Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Melchior Cerda de la

Camporum Eloquentiae, In Causis, Enumeratione Partium, Genere, Coniugatis, Adiunctis, longe lateque patentium, Volumen ...

1

Editio Tertia, nunc correctius edita, Coloniae Agrippinensium: Kinchius, 1637

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ep. el. 531 p. Jud
Jud. 4. 535
1819 p. Jud
17 12

Bibliothecae Acad. Rostoch.
me annumero
ex donatione
P. Ciesij. Iur. Doct.
Rostoch.
die 20. Sept.
1727.
A. c. 3290.
8°

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn81078517X/phys_0002
DFG

CAMPORVM

ELOQVENTIAE,

IN CAVSIS, ENV-MERATIONE PARTIVM,

GENERE, CONIVGATIS,
Adiunctis, longè latéque
patentium,

VOLVMEN PRIMVM. et II.

Auctore MELCHIORE DE LA CERDA,
è Societate IESV, & Hispali Eloquentiæ
Professore Primario.

Editio Tertia, nunc correctiùs edita.

Cum Indice duplici locupletissimo Rerum & Capitum.



COLONIÆ AGRIPPINENSIVM,
Apud IOANNEM KINCHIVM,
sub Monocerote. Anno M.DCXXXVII.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn81078517X/phys_0004
DFG

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO, D. ANTONIO DE Capata, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali.

Melchior de la Cerda P.F.P.

COLLEGIVM Hispalense Societatis Iesu, Illustrissime, Reuerendissimeque Cardinalis, celsissimo Regi & inuictissimo Martyri Diuo Ermenegildo sacrum, sic aduentus illius splendore, quo Hispalim veniens Præsul Gaditanus Gymnasia sua illustrasti, ab hinc tot annos felicitatis suæ radios diffundit in orbis gentium sedes vniuersas, fama ac celebritate tui nominis glorioſas, vt altiora quamquam te maneant dignitatis fastigia, filij tamen & alumni Academiæ quia Hispalenses sunt, Archiepiscopum te suum Hispalensem optent, & sibi Principem tam inclytum contingere saltem ad referendam tuorum in nos meritorum gratiam aliquam ab immorttali DEO assiduè & enixè precentur. Sed vel Toletanæ Ecclesiæ primaria Hispaniarum sedes, vel Consilij Regij Castellæ, regnorum Hispalensium suprema dominatio, vel censorum sacræ fidei principatus altissimus, vel vtraq; sedes celsissima cum Archiepiscopatu Toletano, aut pileo, galeroque proxima Beati Petri Cathedra glorioſissima Cardinalem Zapatam manet pro suis raris, & eunctorum sermone decantatis generis, consilij,

litterarum, virtutum maximarum dotibus, & in Ecclesiam meritis immortalibus. Ego verò, cùm spem Hispalim veniendi sublimiora fastigia, in summa Regis Catholici de te concepta opinione, & pro benignitate, quam ingente, qui suos nunquam obliuiscitur, & cumulatiore gratia fortunare cõsueuit, omnibus præcidisse videantur, id semper faciundum duxi, vt memoriam beneficij collati vicissitudine literaria, quoniam aliter non possum, & si possem, id exiguum, vel potius nihil esset, gratus ac memor referre conarer. Id enim vulgò iactatur, vt in referenda gratia, cùm non possis, quod velis; quod possis tamẽ, id efficias. Cùm præsertim Principes terrarum maximi, quales ac quãti sunt Patres Purpurati, à Vicario Christi Iesu in Ecclesia primi, cùm ab alijs tam longo interuallo distent, supremo in honore positi, grati animi memoriam spectent, & ponant eam quæ referentium est tenuitas, in iusta ac legitima vicissitudine. Alij Patres Societatis nostræ monimentis tradent, quæ in Gaditanos, quæ in Pampilonenses, quæ in Burgenses, quæ in Carpentanos, quæ in Romanos Iesuitas, quæ in vniuersam denique Societatem, tua merita magna & illustria constiterunt. Ego præceptor studiorum Rhetoricæ Hispalensium memini equidem, ac non obliuiscar aduentum illum solis splendore clariorem. Rhetoricæ sedibus & vniuersis Gymnasijs illucentem, cùm nostram orationem, cùm dialogum benignè audisti, descriptum comiter accepisti, cùm de muneris exiguitate cogitasti sæpè ac sæpiùs, cùm in Collegio Anglicano semel inuitatus sermonem de eodem aduentu, & de oratione, & de actione præsentibus nonnullis Patribus intulisti: cum quid acturus esses, non signi-

significasti: sed apertè dixisti, te agitasse domi aliquoties pro referenda gratia, si quæ mittuntur ex religionis præscriptionibus in suos vsus conuertere potuissent Societatis alumni. Quum ergo, Princeps clarissime, in Rhetorum ordinem, in præceptorem, in gymnasia, in Societatem nostram tantus ac tam prædicandus extiteris Pater, sis etiam, & futurus in omne tempus, quo possim ingenioli fœtu, non referam gratiam aliquam? Campum Eloquentiæ in volumina distributum aliquot dare foras aggredior: Cui melius duo prima volumina dicanda decreuerim, quàm tanto Principi, & eloquentissimo, & in Eloquentiæ Campo patenti, id est, in pulcherrima fortunatissimaque vrbe Romæ purpuratorum Patrum dignitate decorato, tot sapientiæ luminibus fulgenti, & post Pontificiam Gadibus, & Pampilone sedem adeptam, post Burgensem Archiepiscopatum, & tantâ postea dignitate depositum purpuræ galeriique honorem à Petri supremâ Cathedrâ Ecclesiâ tam insigniter obtinenti? Scio munus istud exiguum esse, & ab homine tenuiore profectum, & ad tantum Ecclesiæ principem sanè nullum. Scio prosapiam generis tui claram & illustrem, & cum magnatibus, cum Principibus Hispaniarum sanguinis communione coniunctam. Teneo tantam in te facultatem, vimque dicendi, tam variam ac multiplicem antiquitatis, & scientiarum cognitionem, tantam vtriusque Iuris scientiam. Noui virtutes in te omnes Pontificum. Cardinalium suis numeris absolutas, cunctorum sermonibus linguisque celebratas, gloriosè magnificeque terras, mariaque sua celebritate peruagari. Video culmen tuæ dignitatis, fastigiumque supremum, vno duntaxat purpuræ gradu

à Romano Pontificatu distare, proximum primæ Romanæque Cathedræ, cunctos inter Cardinales celsissimo tuo principatu numerari. Miror denique horum ornamentorum splendore tam illustri, vt Solis ipsius aduersi radijs oculorũ, sic mentis aciem non perstrictam fuisse, & cogitationem ab opere huiusmodi tibi præcellentissimo Cardinali dedicando non auocatam. Sed id fecit comitas & benignitas tua, quæ cum Principes maximos ornauerit, tum teipsum gloriosè satis: vt tui, & tuorum beneficiorum memor, Opus Eloquentiæ, quæ Regibus, & Pontificibus magno fuit semper ornamento, & suis in cœtibus floruit, magnificentissimeque dominata fuit, propria quondam Principum, Regum, & Imperatorum, ac propterea tuo Principatu non indigna, maximo Ecclesiæ Principi dicarem. Accipe igitur hæc duo prima Campi Eloquentiæ volumina, qua Sociorum Iesu res benignitate soles excipere. Quod si nostrã tui, tuorum in nos meritorum, tuæ dignitatis memoriæ conseruatam & in animo penitus inhærentem spectare volueris, non indigna munuscula patrocinij tui auctoritate, & vsitata semper benignitate

suscipies, fouebis, & qua fuisti in prouehendis ingenij monimentis propensione mirabili, fortunabis.

ODA.

ODARION AD STVDIOSAM ORATORIAE FACVLTATIS IVVENTVTEM SVPER EMENDATIONE Camporum Eloquentiæ.

Si est: edaci dente volubiles
Horæ polorum sedibus insitæ,
Longéq; distantes in ipsis
Cuncta terunt, minuuntq; terris:
Siue ista Carpus carpat edacitas,
Seu vim molares Eunomiæ inferant,
Sororve Thallotte voraces
Figat edax sine fine dentes.
Nil Noctilucæ sub face Cynthiæ
Corruptionis ferrea spicula,
Limasq; dentatasq; serras,
Aut cariem fugit obsoletam.
Vel ipsa diuûm templa Quiritium,
Carumq; duræ Pyramidum strues
Vrgente pessundantur AEuo
Progenie Chronij voracis.
Per hanc Deorum prædia cœlitum,
Campiq; & horti, quos topiariâ
Decircinauit arte Chloris,
Quosq; opibus Zephyrus repleuit
Labore dignis Herculeo peti,
Qualoq; dignis Hesperidum legi:
Omnes vel experti senectam,
Vel vitium dederunt ruinam.
Sic quos Suadâ Romulcâ satos
La-Cerda Campos panderat æmulos
Quintilianæis viretis,
Aut geminos Ciceronis hortis,

Licet rosarum murice plurimo,
Et liliorum messe niuentium
Campi scaterent, baccharúmq;
Et casiæ segetem referrent:
Licet crocorum copia cum thymo
Late patentes sterneret areas,
Virtutis intexens decora
Cælicolûm monumenta Diuûm:
Tamen fluentis dura necessitas
AEtatis, illum sustulit inclytum
Campis honorem, dissitoq;
Artificis studio Mineruæ,
Multiplicatis cumq; loco typis,
Zyzaniorum damna frequentium,
Totamq; lapparum cohortem
Cùm tribulis dedit implicatam:
Quæ pigra Campis Martia floridis,
Vel imperitûm turba Typographûm
Inuexit, apricumq; Maium
In segetem tribulorum acutam;
(Damnum Latinæ grande loquentiæ)
Inuertit. Id quod Christiadum graue
Sensêre Athenæ, quas bicornis
Lambit aquâ sapiente Rhenus.
Sed euge docti pulpita circuli
Sensum doloris ponite: ponite
Iustos querelarum susurros:
Ex habitis male Melchioris
Cerdæ viretis, eóq; scatentibus
Errore Campis doctiloquentiæ
Zelator est non nemo vestræ,
Qui veterem facit esse Cerdam.
Hic sentietis damna creantibus,
Mendis probrosis latè patentibus

Iniecit

ELOQVEN,

Iniecit optatam securim,
Hisce decus referens viretis.
Nunc ergo Campos docta reuisite
Cohors Minervæ. Currite, currite
Quâ meta fulget: Christianæ
Laureolæ venient Suadæ.

CENSVRA VOLVMINVM CAMPI Eloquentiæ Patris Melchioris de la Cerda, è Societate Iesu.

LIbros, qui Campi Eloquentiæ inscribuntur, Auctore Melchiore de la Cerda, è Societate Iesu à Regio Senatu inspiciendos commissos ad trutinam Ciceronis examinaui, eosque existimo cùm Oratoribus magnam vtilitatem, tum Rhetoribus maximam allaturos. Est enim Auctor inuentione varius, vniuerso dicendi genere copiosus, Græca Libanij eloquentia apprimè instructus. Opus verò velut ἀνθολόγιον, aut potius Rhetorum officina. Quamobrem quoniam è Republica fore putaui, & felix faustumque fiet (quando opus ab omni contra Fidem macula purum esse videtur) in communem vtilitatem excudantur. Dat. Compluti Idibus Februarij, à partu Virginis anno decimo tertio supra mille sexcentos.

Magister Ildefonsus Sanctius in Academia Complutensi Doctor Hebraicæ linguæ Primarius.

APPROBATIO.

HAEc Patris Melchioris de la Cerda volumina accuratè inspeximus. nihilq; in eis inuenimus, quod vel Fidei integritati, vel morum probitati aduersetur. Censemus praterea, ea esse sermonis elegantia, ac verborum puritate, vt non mediocre facultatis Oratoriæ Professoribus sint allatura emolumentum. Consentiunt enim mirum in modum authori suo, qui, vt tota nostra Bæthica Prouincia experta est, ita est eloquentiam professus per annos plus quadraginta, vt semper admirationem, & audientibus excitauerit, & absentibus, tanto cum studentium profectu, vt & nostra Societas, & reliqua religiosorum familia præclari eius ingenij, maximiq; laboris copiosis fructibus feliciter redundârint. Dignaq; itaque arbitramur, quæ typis excusa in lucem ad communem vtilitatem prodeant. Granatæ, in nostro Collegio Diui Pauli Societatis Iesu 28. die Octobris, anno 1612.

Ioannes Antonius de Leon.
Franciscus de Castro.

FACVLTAS SOCIETATIS.

MArcus Del Castillo, Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Bæthica, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt hęc duo prima volumina Campi Eloquentiæ, quæ reuiderunt, & approbarunt priùs viri è nostra Societate graues, & docti à Patre Melchiore de la Cerda composita, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Hispali, Domi Professorum Societatis Iesu, die decima octaua mẽsis Octobris, Anno Domini 1612.

MARCVS DEL CASTILLO.

ELEN-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0012
DFG

ELENCHVS CAPITVM
PRÆCIPVORVM VOLVMINIS I.

AMplificatio ex fine cathedræ Doctori deferendæ, pag. 3
Alterum exemplum ex vno fine propoſito in Catilinam. ibid.
Alterum ex multiplici fine, ibid.
Conglobatio cauſarum ex fine cum dilemmate, 4
Ex fine cum forma, ib. Ex fine & cauſa efficiente, ibid.
Ex fine cum effectis, 5. Ex fine cum enumeratione, ibid.
Ex fine cum ſimilitudine & effectis in laudem Ciceronis, 6
Ex fine cum diſsimili, 7
Ex fine cum diſsimili & exemplo, ibid.
Ex fine cum adiunctis in laudem Hyacinthi, 8
Alterum exemplum ſuperiori ſimile, ibid.
Ex fine cum repugnantibus, 9
Alterum exemplũ ex fine cum repugnantibus, ibid.
Decimaſexta ratio amplificandi ex fine cum comparatione, 10. Ex fine officia diuerſa petuntur, ibid.
Laus ex fine, 11
Vituperatio ex fine cum ſimilibus effectis & cauſis efficientibus, ibid.
Secundum vituperationis exemplum ex fine multiplici, 11
Suaſio ex fine, 13
Altera ſuaſio, 14. Diſſuaſio ex fine, 15
Coniectura ex fine, ibid.
Ex fine motus animorum, 16. Spes ex fine, ibid.
Odium ex fine, 17. Obteſtatio ex fine, 18
Exaggeratio ex fine, ibid.
De ſede, quam finis in oratione continet, ibid.
Exordium ex fine, in laudem doctoris Martinÿ. 19
Narratio, 20. Epilogus ex fine illuſtratus. 21
Alter epilogus, ad orationem in laudem Beati Ignatij Confeſſoris habitam, de gloria Domini ab eodem ſemper ap-

Peti-

petita, 22
De causa efficienti, 23
De causa absoluta & adiuuante, ibid.
De causis procreantibus & conseruantibus, 24
De causis efficientibus sua sponte & consilio, & non sponte, ibid.
Amplificatio ex absoluta causa amoris in amicum, 25
Ex adiuuanti, 7. A procreantibus exercitatio, 28
A conseruanti vsus & exercitatio, ibid.
A causis sponte agentibus in laudem B. Thomæ, 29
A causa agenti sponte & consilio, ibid.
A causa, cuius species sunt quatuor natura. 30
A causa efficienti ex necessitate, ibid.
A causa efficienti ex fortuna, ibid.
Ex efficientia à casu de homine in venatione interfecto, ibid.
Efficiens cum materia, 31
Efficiens cum effectu, ibid.
Efficiens cum simili, 32
Efficiens cum forma, ibid.
Efficiens cum forma materia, & ex varijs generibus causarum & effectis, ibid.
Causa ex minore cum exemplis, 33
Effecta, 34 Effectorum conglobatio, ibid.
Altera effectorum conglobatio, ibid.
Tertia effectorum conglobatio|vehementi interrogatione, & repetitione, & adiunctione, 35
Effecta cum interrogatione & demonstratione, ibid.
Effecta per præteritionem, 36
Effecta cum fine, 37
Effecta cum comparatione, ibid.
Effecta cum comparatione & exemplo, 38
Ex causis ad effecta, ibid.
Effecta cum enumeratione per exemplum, 39
Effecta cum collatione & dissimili, ibid.

Ex

Ex effectis cum comparatione, ibid.
Ad expoliendum ex causis & effectis, 40
Post effecta causas exquirit orator in parente B. Barbara. ibid.
Effecta cum causis, 41
Effecta cum dubitatione & Apostrophe, ad amplificationē, 42 Effecta cum dissimilibus, 43
Ex effectis cum repugnantibus, ibid.
Effecta ad concludendum cum obtestatione, 44
Effecta ad concludendi rationem alteram, ibid.
Causæ omnes in B. Ignatij Confessoris laudem honoremq; collatæ, 45
Ex fine in laudem B. Ignatij Confessoris, ibid.
Ex efficiente in laudem B. Ignatij Confessoris, 46
Ex forma in laudem B. Ignatij Confessoris, ibid.
Ex materia in laudem B. Ignatij Confessoris, 47
Effecta in laudem B. Ignatij Confessoris, 48
Quem locum teneant causæ in Oratione, 50
Exordium ab enumeratione causarum, ibid.
Exordium per præoccupationem causas officij reddens, 51
Tertium exordium ex causis cum partibus absoluti exordij, 53
Quartum exordium ex eisdem causis cum partibus plenioris & absolutioris exordij, 54
Quintum exordium, 55
Sextum exordium ab eisdem causis, 56
Septimum exordium, 57
Octauum exordium, 58
Nonum exordium in laudem B. Sebastiani, 60
Decimum exordium ad orationem in laudem Beatissimi Ignatij Confessoris, & Societatis Iesu Conditoris, ex causis petitum, 61
Occupatio, 63 Narratio, ibid.
Altera narratio scelus Iudæ teterrimi ex eisdem causis ostendens,

ſtendens, ibid.
Confirmatio, 64
Refutatio, 66 Reprehenſio, 67
Enumeratio cauſarum in Epilogo, 68
Amplificatio in Epilogo per cauſas ad affectus mouendos, ibid.
Officia cauſarum ad laudem ex efficienti, 69
Vituperatio ex efficienti, 70
Ad ſuaſionem, 71
Ad diſſuaſionem. ibid.
De partium diſtributione, 72
De partium enumeratione, 74
Vituperatio ab eadem enumeratione. 76
Enumeratio ex cauſis, 78
Enumeratio cum ſimilibus & exemplis in Aegeam Proconſulem, ibid.
Enumeratio cum diſſimili. 79
Enumeratio cum eiſdem diſſimilibus & deſcriptione, 80
Enumeratio cum antecedentibus & conſequentibus in Leouigildum, 81 Enumeratio cum comparatione & deſcriptione in Antonium. 84
Enumeratio cum comparatione, 85
Enumeratio cum repugnantibus & minoribus, 86
Quibus ſchematibus illuſtretur & amplificationum generibus Enumeratio, 87
Enumeratio cum repetitione, ibid.
Secunda exercitatio cum repetitione, 88
Enumeratio cum repetitione in ſingulis periodis, ibid.
Enumeratio per præteritionem cum repetitione, 89
Enumeratio per præteritionem ad ſubiectionem facientem, 90
Enumeratio cum articulis, traductione, interrogatione. ib.
Enumeratio vehemens cum interrogatione, 91
Enumeratio inquirendo cauſas per ſubiectionem, 92

Enu-

Enumeratio per subiectionem cum repetitione initio periodi, & cum interrogatione concludens, 93
Enumeratio per subiectionem, ibid.
Enumeratio per subiectionem cum correctione & dubitatione, 94
Enumeratio per ironiam, 95
Quam partem orationis sortiatur enumeratio, ibid.
Exordium in laudem B. Ermenegildi ex enumeratione petitum, ibid.
Secundum exordium ab enumeratione per praeoccupationem, 96
Tertium exordium ab enumeratione, 98
Exercitatio enumerationis in distributione 100
Exercitatio enumerationis in narratione, ibid.
Alterius enumerationis exercitatio in enarratione facti vehementiore contra parentem S. Barbarae cum amplificatione. 101
Vsus & exercitatio enumerationis in Confirmatione, & inprimis ad ingressum eorum, quae cõfirmanda sunt, 103
Vsus & exercitatio enumerationis in Confirmatione, & primum de laude, ibid.
Exemplum in Ciceronis laudem, ibid.
Exercitatio in Laudem Academiarum per enumerationem, 104
Vsus enumerationis in vituperatione, 105
Vsus enumerationis ad amplificationem cum expolitione, comparatione, dissimilitudine, & suis schematis, ib.
Affectus per enumerationem, 106
Affectus per enumerationem ad indignationẽ haeretici, 107
Ad vrgendum enumeratio cum praeteritione, gradatione, & similitudine, ibid.
Enumeratio in peccatorem amplificata ad reprehensionem cum repetitione acclamatione, & exemplis, 108
Amplificatio per enumerationem ex sermocinatione. 109

Secunda

Secunda ratio amplificandi per enumerationem ex sermõcinatione, 110
Frequentatio per enumerationem post laudem in oratione de laude B. Macharij, 111
Frequentatio secundi generis ex enumeratione de Christi Iesu Natalitijs, 112
Frequentatio ad superioris similitudinem de viro clarissimo Rhetorum inuisente classem, ibid.
Digressio per enumerationem, ibid.
Amplificatio per enumerationem in ingressu laudũ alicuius, 113
De enumeratione in Epilogis dominante, 114
Epilogus per enumerationem, siue frequentationem, cum petitione, ibid.
Epilogus per enumerationem ad misericordiam captandam in cathedræ petitione, 115
Alter Epilogus per commiserationem, 116
Tertium Perorationis genus, 117.

ADIVNCTA.

DE antecedentibus & consequentibus, 120
Laus ex adiunctis solũ B. Ioannis Euangelistæ, 121
Laus B. Ermenegildi, 122
Laus Cæsaris, 124
Laus Prætoris ex adiunctis, 128
Laus viri Nobilis, 130
Laus Iurisperiti, 132
Laus Medici, 135
Laus Theologiæ Doctoris, 139
Vituperatio adolescentis humili generi nati, 142
Altera vituperatio Leouigildi, 143
Suasio ex adiunctis ad bellum Isabellæ Anglorum Reginæ faciundum, 146
Dissuasio ex adiunctis ad Cæsarem, 148
Ad sonyciendum ex adiunctis, ibid.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0018
DFG

Ad reprehensionem ex adiunctis in filio prodigo, 150
Ad spem, vt literis vacent diligenter adolescentes, 151
Ad inuidiam ex adiunctis de Cæsare, 152
Ad odium ex adiunctis in peccato Cain, 153
Metus ex adiunctis in furem, 154
De Christo Iesu in crucem sublato, 155
Adiuncta cum causis efficientibus in filio prodigo, 156
Conglobatio causarum efficientium & adiunctorū, 157
Tertia amplificatio ex adiunctis cum efficientibus in occisores B. Thomæ Cantuarienſis 158
Adiuncta cum fine, de Christi Iesu Transfiguratione, ibid.
Adiuncta cum forma, 159
Adiuncta cum materia, 160
Adiuncta cum forma & materia, ibid.
Adiuncta cum effectis in Rhetoris aduentu, 161
Adiuncta cum antecedentibus, 162
Adiuncta cum consequentibus, 163
Adiuncta cum antecedentibus & consequentibus, 164
Adiuncta cum similibus, 166
Adiuncta cum dissimilibus, 167
Secunda ratio amplificandi ex adiunctis per dissimilia, 168
Tertia amplificatio ex adiunctis per dissimilia ornata repetitionibus & percontationibus de B. Ioanne Baptista, 170
Adiuncta ex attributis personæ, loci, temporis, 171
Adiuncta ex persona, re, & modo, ibid.
Adiuncta cum repugnantibus, 172
Adiuncta cum comparatione, 173
Altera amplificatio ex adiunctis cum comparatione, ibid.
Adiuncta cum exemplis, 175
De antecedentibus 176
Antecedentium prima exercitatio, ibid.
Altera exercitatio ex antecedentibus, 177
Tertia exercitatio ex antecedentibus, qua mortem sanctissimæ

simæ Reginæ Mariæ præisse visa sunt, cum enumeratione & loco communi, ibid.
Quarta ratio amplificandi ex antecedentibus cum adiunctis, contrarijs illustrata flore schematum maximorum, 179
Quinta ratio amplificandi in Antonium ex antecedentibus & consequentibus, 181
Ratio sexta amplificandi ex antecedentium descriptione, ibid.
Ratio septima amplificandi ex antecedentium conglobatione. 182

DE CONSEQVENTIBVS.

PRima Exercitatio ex solis consequentibus. ibid.
Secunda exercitatio ex consequentium descriptione cum petitione, ibid.
Tertia exercitatio ex consequentium conglobatione, 183
Quarta exercitatio ex consequentium frequentatione, & rerum pugnantium conflictu, cum præteritione & dissolutis, ibid.
Quinta exercitatio ex antecedentibus & consequentibus ad vituperationem, 184
Sexta exercitatio ex consequentibus & antecedentibus, cum enumeratione & præteritione, 186
Septima exercitatio ex sequentibus in fine, & antecedentibus per expolitionem, cum contentione, 188
Octaua exercitatio ex consequentibus cum comparatione & fine multiplici in Iudæ odium, 189
Nona exercitatio ex consequentibus cum similitudine per descriptionem, 190
Decima exercitatio ex consequentibus cum dissimilitudine, ibid.
Vndecima exercitatio ex consequentibus effectis, addita comparatione cum articulis & simonia, 191

Duo-

Duodecima exercitatio ex consequentibus per sermocinationem, ibid.
Vltima exercitatio ex sequentibus cum præoccupatione, & sermocinatione, 192
Sermocinatio ex adiunctis de Herode in pueros Innocentes, 193
Altera sermocinatio ex antecedentibus & consequentibus cum comparatione, ibid.
Dialogismus ex fine cum antecedentibus & comparatione, cum dissimilitudine, 194
Prosopopeia in laudem B. Pauli primi solitudinis incolæ & habitatoris, 196
Notatio Maxentij in laudem B. Marcelli Martyris, 199
Mimesis ex adiunctis in heluones, compotoresq;, 200
Pathopœia de Beatorum Martyrum lætitia, 201
In B. Agnete, Barbara, Catharina, affectus spei, 202
Affectus ad pudorem, 204
Alterum exemplum ad pudorem, 205
Affectus ad amorem Dei immortalis, 206
Affectus ad odium, 208
Affectus ad inuidiam, 210
Affectus ad misericordiam, 211
Affectus ad metum, 213 *Postulatio,* 216
Obsecratio, 217 *Obtestatio,* 219
De expolitione. Expolitio in Confessore sanctissimo Parente Sociorum Iesu Ignatio Beatissimo. 224

DE EXORDIO ET NARRATIONE ab adiunctis.

EXordium *ab adiunctis personæ,* 227
Exordium ab adiunctis loci, 228
Exordium ex adiunctis temporis ad orationem B. Eustachij, 229
Exordium ex adiunctis quatuor, personæ, loci, temporis, ac modi: in laudem Philippi hoc nomine Tertij, Hispaniarum

rum Regis, scholas Soc. Iesu inuisentia, 231
Exempla narrationum ex adiunctis, 232
Puer deductus in Societatis Iesu Scholas, ibid.
Altera narratio Salmanticensis scholastici. 233
Narratio petentis collegium Dialectica. 234
Narratio petentis collegium maximum. ibid.
Narratio petentis Canonicatum siue Cathedram, 235
Narratio ad deliberationem in bello contra Agarenos Granatenses, 236
Altera narratio ad pralium nauale, 237
Vltima narratio in deliberatione, 238
De narratione iudicali. Narratio in genus iudicale cadens ad Lutheri accusationem, 240
Altera ad iudicium spectans narratio de equite Salmanticensi ab scholasticis occiso, 242
De epilogis ab adiunctis, 245
Peroratio orationis ex adiunctorum frequentatione. ibid.

DE GENERE ET FORMA.

RAtiones amplificandi à genere, 247
Laus virtutis à genere, ibid.
Altera exercitatio de eodem in genere in formas distributo, 248
Secunda amplificationis ratio, proposito aliquo generali quasi genere, vnde vis omnis emanet ad amplificationē, ib.
Altera exercitatio, aliquo proposito generali loco generis in partes excurrens instituto conuenientes, 249
Tertia ratio amplificandi à genere, 250
Laus B. Laurentij ex Martyrum laude, 251
Amplificatio à toto integro & partibus eius. Amplificatio ex toto & partibus ex summi corporis fabrica, 254
De proprio. Amplificatio à proprio, 255
Altera amplificatio in B. Pauli laude ex proprio, 256
De coniugatis, 257
De exercitatione coniugatorum, 258

ANI-

VOLVM I.

ANIMALIA.

Catelli Melitenses, 260
Canis venaticus, 261
Canes pecuarij, 263
Mimici canes, 267
Canum vltima descriptio, ibid.
Caprarū descriptio, 268
Cuniculi, ibid.
Echinus, 269
Elephantus, 270
Equus, 272
Descriptio pulli, 271
Descriptio mali equi, ibid.
Eques. Catus, siue felis, 273
Leo, 274
Voracitas Leonis, 275
Alia descriptio Leonis, 276
Descriptio Leporum, 277. & seq.
Lupus, 282
Descriptio Muli, 283
Ouis, ibid.
Tonsura Ouium, 284
Rhinoceros, 285
Simiæ, 286
Sphinx, Sus, 289
Subulcus, 290
Pretium & æstimatio carnis suillæ, 291
De animalibus genera nonnulla. 292

AVES.

Accipiter, 293
Descriptio capiendarum perdicum, 297
Acanthis, Ispinus, siue liguarinus, 299
Alauda, siue Galerita, ibid.
Calandris, Anas, 300
Anser, 301
Aquila, 302
Ardea, 303
Bubo, Carduelis, 304
Ciconia, 305
Columba, 306
Columbarium, siue peristreon, 307
Pulli, 308
Turtur, 309
Educatio turturum. ibid.
Cornix. Ratio capiendarum cornicum, 310
Coruus, 311
Coturnix, ibid.
Ratio coturnicum & perdicum venandorum, 312
Ortygometra, 313
Cuculus, ibid.
Cygnus, 314
Gallus, 315
Capus, 316
Gallina 317
Gallinarium, ibid.
De ouis, 318
Ouum, 319
Gallopauus Indicus, 321
Pauo, ibid.

Gra-

Graculi, 322
Grues, ibid.
De Gryphe, 324
Hirundo, 325
Miluus, 326
Noctua, ibid.
Passer, Pauo, 327
Educatio Pauorum, 329
Pelicanus, ibid.
Perdix, 330
Aucupium Perdicis, ibid.
Phasianus, 331
Phœnix, Pica, 332
Psittacus, ibid.
Struthiocamelus, 333
Turdus, 334
De auibus generatim, 335
De vermibus & insectis, 340
Vermis, Lumbrici, Apes, ib.
Crabones, Culex, Locustæ, 343
Fuci, Vespæ, ibid.
Scarabæus, Bombix, ibid.
Cicadæ, Grillus, Araneus, 344
Eruca, 345
Tipula, Millepeda, Lens, Cimex, ibid.
Circulio, Voluox, Serpentes, 346
Basiliscus, Serpens, 347
Anguis, Hydrus, Lacerta, ib.
Stellio, 348

HOMO.

Caput hominis, & eius fabrica, 349. & seq.
Cellæ penariæ, 358
Taberna aromatica, 359
Fruges, ibid. & seq.
Herbæ, 362
Allium, 363
Cepe, Lactuca, 364
Raphani Cardui, Arbor, 365
Ligna cæsa, 366
Vitis arborum, Vites, ibid.
Malum Punicum, 368
Ficus, ibid.
Castaneæ, Nux, 369
Glans, Horti fructuarij, ib.
Rosa, Lilium, 370
Viola, Vestes, 371
Vestitus muliebris, 374
Galerus, Galerus Presbyterorum, Thorax coriaceus, 375
Nimius cultus mulieris improbatur, 376
Cannabis, ibid.
Linum, 377
De sparto, Calamus aquaticus, 378
Pictores, 380
Textoria, 381
Sutor, Pistores, ibid.
Mensa, Abacus, 382
Coquinaria, 384

Pran-

Prandia, ibid.
Alia descriptio prandij, & rerum diuersarum in prandium incidentium, 387
Edulia, Pisces, 393
Lychnus pensilis, 395
Candelabrum, Laterna, Fundamenta ædificij, ibid.
Aedes amplissimæ, 396
Architectonica trochlea, Cochlides, 399
Tympanum, Cyconia, Lectus cubicularis, ibid.
Colus, 401
Rhombus, Acupictrix, Muscipula, ibid.
Hypæthrum, 402
Solarium, Clepsammidium, Proscenium, 403
Nauis, 404
Triremes, 406
Faber ferrarius, ibid.
Morbi, 407
In ægroto quot & quanta necessaria sunt, 411
Chirurgi theca, 412
Tonsores, 413
Balneæ, ibid.
Carcer, 414
Preces contra laruas, lamias, vmbras nocturnas, Lamiæ, 415
Cursus equestris, Miles, 416
Arma, 419
Telum, Scutum, Sagitta, 420
Arcus Balistarius, Funda, Sclopi, ibid.
Tormentum, Bellicæ machinationes veterum, 421
Aries, 422
Vinea, Plutei, Cuniculi, 423
Agger: vallum, fossa, descriptio libri, ibid.
Litteræ scriptæ.

ORATIONIS.

IN Arithmetici laudem ex adiunctis, 425
Oratio in Geometræ laudem ex adiunctis, 403
Oratio in Aristotelis laudem ex adiunctis aliorum ope subsidioque argumentorum, 437
Pro Complutensi Academia legatos, qui Paranymphi dicuntur, præmittente ad Licentiatos, locum Doctorum pro meritis accepturos suis, 445
Oratio Paranymphi, ad Illustrem Dominum Antonium Ildefonsum Medocium, 446
Responsio nobilis Antonij ad Paranymphum, 448
Oratiuncula secunda Paranym-

nymphi ad Licentiatum Petrum Antonium, 449
Responsio Doctoris Petri Antonij ad Paranymphum, 450
Oratiuncula tertia ad Licentiatum Ioannem Alpharum, 451
Responsio Ioannis Alphari ad Paranymphum, 453
Quarta Oratiuncula Paranymphi ad Licentiatum Ioannē Castrensem, 454
Responsio Ioannis Castrensis ad Paranymphi orationem, 456
Oratio 1. in laudem B. Ignatij Confessorū, ex fine aliorum ope argumentorū, 458
Oratio 2. in laudem B. Ignatij Confessoris, ex efficientibus causis aliorum ope argumentorum 460
Oratio 3. in laudem B. Ignatij Confessoris ex Enumeratione, subsidio aliorum argumentorum, 47
Oratio 4. in laudem B. Ignatij Confessoris Societatis Iesu Fundatoris, ex eadē enumeratione, 49
Oratio 5. in laudem Beatissimi Ignatij Confessoris & Societatis Iesu Conditoris, ex enumeratione aliorum ope argumentorum, 50
Oratio 6. in laudem B. Ignatij Confessoris, ab adiunctis ope aliorum argumentorum. 52

FINIS ELENCHI CAPITVM voluminis primi.

ORA

ORATIONVM

Siue

ELOQVENTIÆ CAMPI, INCAVSSIS, ENVMERATIONE Partium, Genere, Coniugatis, Adiunctis longè lateque patentis.

VOLVMEN PRIMVM.

ORDIOR primum patentis Eloquentiæ Campi volumen à Cauſis, Enumeratione partium, Genere, adiunctis, & conſequentibus, quorum ſingulares & mirificas ad omnem amplificationē excurſiones factas ex locupletiſſimis Rhetorum erariis noſſe poterit ſtudioſus Oratoriæ facultatis alumnus. Singulis argumentis præponentur præceptiones, quæ naturam eorum explicant vniuersè. Amplificatio, quoniam multiplex eſt, ex ſingularum exercitationum inſcriptione patebit, quam pluribus præceptis illuſtrare opus non eſt. Loquimur enim cum ſcientibus, atque vſum requirentibus. breuitas plus notitiæ afferet, quàm longitudo bonas mentes obruens perturbanſque plerumque. Exordiamur igitur præſcriptiones à fine: diſtribuimus enim volumen hoc in quinque libros, quorum primus cauſas, alter diſtributionem, tertius Adiuncta, & antecedentia, & conſequentia, & genus complectitur: proximus deſcriptiones habet, vltimus orationes integras. Quæ ſi omnia bonus Rhetor & Diuini verbi concionator in ſuum vſum contulerit, rem ipſam, qua de aget, oſtendet & illuſtrabit, & quo volet, ſpiritu afflante cœleſti, auditorum animos impellet.

Præceptiones ad Finem spectantes.

CAusarum cognitio perutilis est & necessaria, nam scientia est cognitio per causam & effectum. Hinc exclamat Poëta.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Causa autem est, cuius vi aliquid fit.

Quatuor genera causarum fecit Aristoteles, Finem, Materiam, formam, efficientem.

Finis est, cuius gratia aliquid fit. Est autem finis causarum omnium prima & nobilissima, eaque ratione, quem admodum primo loco tractanda est, sic etiam exercenda, & suis excolenda illustrandaque variis amplificationibus: finis enim causa fiunt omnia. Agunt enim homines honesti omnia boni alicuius gratia, & quidquid bonum esse sibi, atque vtile vel natura monstrauerit, vel persuaserit ratio, in id ipsa quasi hortante natura impelluntur.

Finis est duplex, summus & destinatus: summum, perfectum, vel vltimum, eum dicimus qui per se expetitur, vt est status vniuscuiusque rei in suo genere perfectissimus. Finis primarius sacræ Theologiæ, & sacerdotis est Deum piè colere. Iurisprudentiæ primarius finis est. Rempub. administrare.

Destinatus est, vulgò secundarius, qui ad summum consequendum comparatur, vt bona fortunæ, honores. Tanto autem finis nobilor est, quanto proprius ad Deum accedit.

Forma est nota & ratio rei, per quam res est id quod est & ab aliis distinguitur, vt alia est forma domus, alia nauis, alia hominis, alia animalium rationis expertium. Vt animal rationis particeps est causa, qua homo dicitur homo, vt homo est animal rationis particeps. Id ergo cæteris anteponendum est.

Materia est causa ex qua aliquid fit, vt ligna, lapides, calx sunt materia domus: æs argentum, aurum, statua: res omnis de qua haberi possit oratio, est materia subiecta Rhetoricæ. Aedes sunt malè materiatæ, ergo ruinam minitabuntur, vel parui sunt pretij.

AMPLI-

AMPLIFICATIO,
EX FINE CATHEDRÆ
doctori deferendæ.

ETenim cùm omnes in hac Academiâ cathedræ, cùm subrogationes ab scholasticis proficiſci debeant, dum illæ profectò maximè conſtruuntur ad ſcholaſticorum fructum & commodum: in quo & omnes, qui ſunt illius facultatis, & annum audierunt, deligant præceptorem, quem Academiæ conſulturum eſſe putent, & vnuſquiſque ſtudio & ſuffragio ſuo matrem adiuuent atque prouehant.

Alterum exemplum ex vno Fine propoſito, in Catilinam.

SI Senatores in te omnes, ſi populus Romanus, ſi Conſul ipſe, ſi cuncti magiſtratus, ſi boni omnes in te Catilina excubias & vigilias agunt: ſi parati ſunt pro Patria mori, ſi te ex vrbe eijcere, ſi ſentinam tuorum exhaurire: quid expectas? muta iſtam mentem mihi crede, obliuiſcere cædis atque incendiorum tuorum. Neque enim plus vnius improbi, & ſociorum ſceleſtiſſimorum conatus ad patriæ perniciem, quam Conſulum, quam Magiſtratuum, quam bonorum omnium præſidia ad eiuſdem ſalutem inualeſcent. Tuque pro te tuoſque perditum eas, pro indignitate & atrocitate ſceleris, quod te auctore in patriam irruperit, ignorare non potes.

Ex multiplici fine.

ILli Romani ludos gladiatorios, ſiue ad timorem militum imminuendum, ſiue ad feritatem Martis oſtendendam, ſiue ad oblectandos ſpectatorum animos, ſiue ad vulnera ſanguinemque manantem, atque adeo ad mortem contemnendam ad conſequentem ætatem, memoriamque conſecrarunt.

Alterum ex multiplici Fine.

NOn te natum esse ad laborem recordaberis? non ad virtutem colendam, non ad patriam adiuuandam, non ad Rempublicam defendendam, non ad sanctorum vestigia sequenda? atque his laboribus susceptis, & magnis aditis vitæ periculis ad gloriam beatorum immortalem adipiscendam?

Conglobatio causarum ex Fine, cum Dilemmate.

SAtis causæ habuerunt Catholici plurimi, cur ab Angliæ finibus excederent. Cesserunt, si videbant alienos à se Principes aulæ regiæ, qui sane fuerunt, inuidiæ; si commoueri omnia videbantur tempori; si vis suberat armis; si societas Magistratuum pactioni; si periculum sacerdotum, Reipublicæ; si Regina sitiebat sanguinem, summæ potestati, cui obsistere non poterant. Neque ob eam causam fidem Religioni Catholicæ datam non seruabant, cum sese reseruabant ad occasionem commodiorem, cum fieri decursu temporis quædam videretur ad meliorem spem inclinatio.

Ex fine cum formâ.

NOn video causam, cur is in virtutem non debet se totum animo atque voluntate conijcere, & illius causa labores omnes atque pericula subire. Cum in rem omnium pulcherrimam, præstantissimamque mentis aciem intenderet, neque magis egregia forma ac figura prædium cuiuscunque pulchritudinis humanæ decus in animo posset insidere. Quæ in habitum atque formam cælestem, immortalitatis splendore circumfusa, respiciens in sæculorum omnium æternitates, trophæis, monimentisque de Dæmone, Mundo, Carne statutis ornata in media Beatorum curia, visendam spe spectandamque præbeat omnium cœlitum insignibus decorata clarissimis.

Ex Fine & causa efficiente.

FEcisti equidem bene, quodq; oportebat, vt iurisperitiæ operam dares, ad finem, quem aptabas, consequendum. Nam siue sæculi, siue Ecclesiæ itineribus contenderes, ea est facultas iurisprudentia, quæ patefecit viã ad Regum consilia celsissima, & ad Ecclesiæ sacerdotia maxima. Cum præsertim qui tuos conatus promoueret & animum expleret mirũ in modum, te patruus excitabat in summa dignitate collocatus, plurimum valens apud Regem gratia & auctoritate, qui celsissimo sanctæ Inquisitionis

quisitionis & Regii senatus ordini præsidebat, & præfectus erat Ecclesiæ Toletanæ, quæ primaria nostrarum de Hispania est Ecclesiarum. Et te vel Canonicum, vel Decanum Ecclesiæ tantæ facere sibi semper in animo fuerit, aut quidquid ille vellet, à Regibus Hispaniarum impetrare poterat, vt gradibus quasi suis in patrui locum celsissimum peruenires.

Ex fine cum effectis.

IAcobe sanctissima honestissimaque fœmina, visione de Patris Francisci morte vehementer perculsa, quanquam mulier, multum tamen laboris atque virium habuit ad accelerandum properandumque, quoad in Patris mortui conspectum veniret. Quorsum Iacobe ornatissima, splendidissimaque properas? Quid ista tanta celeritas, festinatioque significat? Quid vestes lugubres atque mœstæ, thuris & odorum suauitatis spectant? Quo funeralium vis & multitudo, tapetes atri, quos te imperante tui ministri deferunt? Quo denique reliquus omnis apparatus, studium & adhibita diligentia, nisi vt ritè faceres omnia procurari, quæ necessaria fuissent ad iusta tanto Parenti persoluenda? Præsentia profectò tua, vestitus mutatio, lachrymarum ingens vis, sumptus in exequiis concelebrandis facti, tantum studium, pietas, & ardor inflammatus, indices fuerunt, & testes tuæ in Beatum Franciscum eximiæ voluntatis.

Ex fine cum enumeratione.

ATque potentissimus Hispaniarum Rex Philippus suscipere bellū debet in Anglos. In quo agitur Hispaniæ gentis gloria, quæ nobis à maioribus cum magna in ipsa re militari, tum summa in defendēda religione tradita est. Agitur salus & incolumitas Angliæ Catholicorum, qui multis iniuriis vexati Philippi potentissimi opem & auxiliū implorarunt. Agitur aurum & argentum, quod ex Indiis in Hispaniam mari deportatur, ad quod capiendum Hęretici nefarii classes ædificant & instruunt. Aguntur bona mercatorū Hispalensium, quibus in festo mari, periculosoque reddito classibus hæreticorum, perfrui non possunt: & ab Hispaniarum Rege illis Christianis potissimū consulendum est. Et quoniā Hispani semper ab hostibus metui præter reliquas gentes atque formidari visi sunt, conseruanda est opinio nominis, & gloria comparata. Quod prædones Britanni, qui abhinc annos aliquot, tot in partibus, multis in insulis, vna aut altera armata classe, nostrorum regnorum ditioni sub-

iectas gentes turbandas diripiendasque curarunt, non modo adhuc pœnam nullã suo dignam furore susceperunt, sed ab illo tempore nostris rebus sic imminent, & efficere conantur, vt se Britanniæ regni sui finibus continere nolint, sed solicitate Turcas, & Gallos armare studeant, atque adeo in Lusitania, id est, in oculis & Hispaniarum luce crudelia & exitiosa bella gerere. In hæc intuens, Philippe potentissime, totum te debes animo atq; voluntate ad huiusmodi mala propulsanda conferre, & vt propulses, mari classes instruere, & terram copiarum omni genere abundantes exercitus conflare.

Ex fine cum similitudine & effectis in Ciceronis laudem.

ATque ille Cicero, cui patriæ salus iucundior fuit, quam vita sua, consulatum adeptus, omnem suam eloquentiam, consilium, quo valebat plurimum, industriam & vigilantiam, viros & neruos omnes ad dignitatem administrandam contulit, vt honore consequuto non dignus duntaxat videretur, sed quod ipse sibi proposuerat, multorum vinceret expectationẽ, & illorum nefarios hominũ sermones præcideret, qui nouis hominibus præcludendum aditum ad Rempublicam putabant. Cum igitur exorta fuisset Catilinæ coniuratio, cum faces ad Patriæ exitium, ad Italiæ vastitatem, ad Reipub. interitum, & ad vniuersi prope regni Romani occasum vltimũ iam accensæ metuerentur, & tela iugulis omnium senatorum & consulum præcipuè, reliquorumque Magistratuum intenta; omni studio atque diligentia, ad patriam Rempub. pulcherrimum & fortunatissimum imperium, malis imminentibus liberandum, sine cunctatione caput in medium armorũ discrimen, & in nefarios inflammatæ facis ardores iniecit. Sic equidem ad Reipublicæ commodum incumbebat, vt tanquam speculator altissimum locum obtinens, à Reipublica nunquam oculos deiiceret, vt prospiceret tempestatem futuram. Quod Prætores fortissimos & amantissimos Reipublicæ viros ad se Cicero vocauit, quod iussit illos ad pontem Miluium peruenire, atque ibi in proximis villis bipartitos robur delectæ iuuentutis secum educere, quod tertia fere vigilia exacta in legatos Allobrogũ pontem magno cum comitatu ingredi incipientes impetus factus est, quod literæ quæcunque erant in eo comitatu, signis integris Prætoribus traditæ, Allobroges comprehensi, & ad Ciceronem, cum iam diluceſceret, deducti, quod ex ædibus Cethegi maximus

sicarum

ficarum & gladiatorum numerus elatus, quod Lentulus signum & manum recognouit, quod Catilinam ducem, quod duces reliquos quod illorum copias retinuit atque retardauit, quod nihil vitæ periculum exhorrens principes coniurationis in carcerem coniecit, & vltimo supplicio mactauit, quod toti vrbi, templis, delubris, tectis omnibus ac mœnibus subiectos prope iam ignes, circundatosque restrinxit: quod denique gladios in Repub. districtos retudit, mucronesq; eorum à iugulis ciuium Romanorum reiecit, Rempublicam ex ferro, flamma, ac pene ex faucibus fati ereptam, conseruatam, ac restitutam relinquens: omnia ad Reipublicæ conseruationem adhibitæ diligentiæ, labori, studioque accepta Romani referre debebant.

Ex fine cum dissimili.

ATque Reges ipsi, situm Salmanticensis vrbis ad Academiam delegerunt, non amœnitate locorum ducti, quod enim solum magis sterile & agrorum bonitate magis desertum, quam Salmanticense? sed delectarum & voluptatum, quæ ab studiis auocare scholasticos potuissent, inopia, atque ipsarum mulierum deformitate, qua nulla tellus tetriores, nulla magis horribiles, nulla minus ornatè vestitas, minus comptas politasque ferebat illis temporibus.

Ex fine cum dissimili & exemplo.

SEd hæ res, quæ cæteros scholasticos remorari solent, non retardarunt: non indulgentia parentum ad voluptatem, non somnus ad otium & quietem, non amœnitates locorum ad delectationes, non pecuniæ ad ludos, non amicorum prauitas ad nequitiam & ad peruersitatem morum, non sui ipsius amor, non caro, blanda conciliatricula voluptatum, ad libidines & impuritates, non libertas ad intollerandam licentiam, ad audaciam, ad furorē quo adolescentes (laxis, quod aiunt, habenis) in omnia scelera præcipites fieri solent. Postremo successiuas horas, requietis interualla necessaria, honestas delectationes, cæteraque adolescentum valetudini sustentandæ iusta ac debita subsidia, illa nec habenda quidē vnquam curauit. Itaq; omnes quidem nunc in hac Academia Ioannem Ildenphonsum, sicut aliquē non ex adolescentum genere communi, sed vt summū singularemq; iuuentutis honorem ac illustre decus intuentur. Nunc deniq; incipiunt credere, fuisse adolescētes hoc ingenio atq; virtute præditos, vt ferendis laboribus (quod in locuplete adolescente, nobili, & à natura tam bene formato multis homi-

nibus incredibile, atque falso sermone prædicatum diceretur) quasi nati fuisse viderentur. Nunc intelligant non sine causa hanc classem commendatam fuisse maxime, cùm hunc tantum, & istiusmodi adolescentes alios hac præstantia virtutis & literarum ornatos habeamus; Fitq; hinc, vt in hanc Academiã parẽtes filios suos mallint mittere, quàm in alias literarũ officinas.

Ex fine cum adiunctis in laudem S. Hyacinthi.

QVi sunt illi, à nobis oratione nostra nominandi, quos sibi imitandos proposuit B. Hyacinthus? Christum IESVM & Beatum Dominicum intelligite. Quis est Christus IESVS? Assertor humani generis, magister sanctitatis, præceptor absolutæ perfectionis, fons perennis & inhaustus virtutũ omnium, splendor æterni Patris, qui ab incunabilis suis, à præsepio in extremum vique spiritum, demissionem, patientiam, charitatem, virtutes omnis generis hominum, sermone docuit & exemplo. Quis est B. Dominicus? Auctor Religionis Concionatorum sanctissimæ, Princeps & Antesignanus præconum diuini verbi, imitator Christi IESV, defensor Christianæ Religionis, propugnaculum eiusdem fidei, terror hostium nostrorum, parens & exemplar Beati Thomæ, Petri Martyris, Beati Florentini & aliorum aulæ cœlestis Heroum clarissimorum. His duobus potissimum ducibus cum B. Hyacinthus perfectionis itinere contenderet, in absolutam virtutem, in consummatam sanctimoniam, in decora, & ornamenta cœlestia omni ratione comparanda se totum animo atque voluntate coniiciebat. In hæc duo exemplaria intuebatur, in hæc specula fulgentissima inspiciebat, in hos duos soles oculorum & animi aciem intendebat, vt cum ad illorum similitudinem sese fingeret atque perpoliret, omnibus sanctitatis numeris absolutus Heros euaderet.

Alterum exemplum superiori simile.

QVi sunt oratione nostra proponendi, quos sibi principes suarum actionum isti libidinosi proposuerunt? Venerem & Cupidinem dico. Quę est ista Venus? mater libidinum, fax impuritatum, seminarium turpitudinis, quæ suis comptis capillis, cerussato ore, blandiciis verborũ, obscœno motu multiplici, & gestib. mille turpissimis faces iactat & incendia libidinis. Quis est ille Cupido? filius Veneris, Deus amoris, auctor obscœnitatũ,

signifer

ſignifer matris, concitator voluptatum, armiger libidinis, percussor, depopulator adolescentiæ, obsessor animorum, pernicies labesque, castitatis. Qui nitidulus, candidus, paruulus, nudus, & fucatus, arcum sagittasque intendit in corpora, in animos tela iacit nequissima turpitudinis, atque ad exitium & ad perniciem vltimam viros mulieresque trahit. Hos habent Duces actionum suarum libidinosi, hos sibi proponunt ad alendos libidinis ardores, ad flammas accendendas, quibus ardeant, flagrentque miserandum in modum, cum in hanc carnis appositissimam materiam ipsis funesta fax Veneris adhæsit.

Ex fine cum repugnantibus.

QVid militis nomen? quid datum iusiurandum? quid gladii ex baltheo pendentes? quid sica? quid tela? quid reliqua militaria instrumenta volunt, nisi fortitudinem inuictam ad regnorum defensionem? & ignauus ac timidus terga vertet, abiectis armis, aut per summum dedecus ereptis vel traditis dabit in seruitutem, vinciendum constringendumque turpissime? Hunc militem dicet nemo, qui non acriter resistat hostibus, qui cedet loco, qui gladios hostiles, qui tela, qui mortem ante oculos positam intentis iugulo telis exhorrebit.

Ex fine cum repugnantibus alterum exemplum.

ATque hoc fieri non potest, quod sæpe à nonnullis dicitur, de patria sua fuisse competitorem, atque in patrio solo natum, eidem se debere fauere, eidem suffragari, atque si possent suffragio suo deferre cathedram perinde, quasi conditor ille Limenius cathedram reliquerit hisce Doctoribus, & leges ac iura permittant patriam iustitiæ præponi. Itaque in hac ipsa honorum contentione, quæ semper literarum præpositis ornamentis sileri consueuit; eadem nunc crebrò vsurpatur; posteaquam nonnulli Patriæ amentes se nimium studiosos magnos fautores hominibus natali solo oriundis præbere voluerunt. Magna est vis patriæ; magna eiusdem charitas, cui vrbanus nemo dubitabit vnquam omnem operam aut studium præstare: sed salua semper virtute, saluis & integris Christianæ fidei præscriptionibus.

Decima sexta ratio amplificandi ex fine cum comparatione.

ECquem vidistis, ecquem audistis, in tantis conuiuiis, in tantis prandiis, tanta intemperantia versatum fuisse? Antonius pecunias habebat, eas omnes in epulas, in pocula conferebat. Inuitabat plurimos sui similes, sterni sibi lectos, conuiuia passim parari faciebat: discumbere turpes & flagitiosos, qui nullam suam rem habebant, videres. Antonii patrimonium absumebant. Hæc tu omnium Adolescentum profligatissime ac perfectissime faceres, cum tamen immodicis sumptibus cum tanta rei familiaris iactura, nisi ventris complendi, & inferendi ciborum redundantiam, præ ingluuie, præ intemperantia, auiditate ferreris insatiabili. Cernitis quantum & quam immensum rei familiaris naufragium factum fuerit? quantę videantur euersæ afflictæque domus? ruinæ miserabiles? Per fortunas, per bona sua, per reditus, nescio quis tyrannus, aut quæ calamitas peruasisse videatur, vt illum eiectum tanquam è naufragio nudum aspiciatis in ittus. Videtis neque aulæa pendere de parietibus, neque administrorum tumultu percrepare palatia, neq; voces audiri, neque solitos conuiuarum clamores. Nudos fratres videre potestis domi continere se sorores præ velorum inopia, ipsum famelicum semper & macie confectum mensas aliorum in singulos dies consectari. Ventri cum primò inseruisset intemperanter, vnde se aleret, nihil reliquum fecit in posterum. Quid si nonnullæ superfuerant pecuniolæ, quas habere potuisset ad manum, in folia picta, in ludum deterrimum conferre nõ desistebat, vt ad has se ille solum natum duas res, ad edendum, & ad ludendum existimaret.

Ex fine officia diuersa petuntur.

SAtis constare potest ex superioribus exercitationibus varietas officiorum, quæ ex fine fieri possunt. Sed separatim aliquot profe-renda sunt. Ex fine namque laus, vituperatio, suasio, dissuasio, coniectura, gaudium, odium, spes, obtestationes, exaggerationes peti possunt, vt officia reliqua omittam, quæ ad horum similitudinem petenda sunt.

Laus

Laus ex fine.

LAudo te mi Iesu, & multis laudibus in cœlum tollo, quod cum ab æterno Patre missus esses in hæc terrarum sola, vt nos ex Dæmonis seruitute liberares, ex altissimis cœlorũ palatiis, tanquam Gygas fortissimus tanta cæleritate cursum suscepisti, vt hominis in pristinum statum restituendi causa, in Virginis Mariæ vterum descendens, ab vtero in præsepium, à præsepi in tot te labores Patri obediẽdi gratia, & tanti muneris exequendi cumulatissime, fortiter ac libenter conieceris, lustraueris populos, adieris prouincias, maria nauigaueris, & obieris pedibus tot itinera difficillima: inde in crucem, tanquã in equum alatum ascenderis, & flagris cæsus, spinis coronatus, diritatem subieris clauorum, & mortis atrocitatem intollerandam.

Vituperatio ex fine cum similibus effectis, & causis efficientibus.

QVamdiu populus quondam Romanus fuit, & stetit eorumdem Romanorum imperium in Christianorum vsq; tempora florentissima, tua illa M. Antoni profectio, tua incitata præcepsq; celeritas in castra Cæsaris, illa vestitus mutatio, tam subita, tam repentina, illi mutati ad maiorem celeritatem equi; tuus ille truculentus aspectus, in oculos & in ora C. Cęsaris datus, tua deniq; seditiosa, turbulentaq; concio ad sempiternam sceleris tui memoriam, cum in hominum mentibus insedisset, tum æternis maledictorum notis figebatur. Quid enim aliud tẽtasti? Quid machinatus es? Quid efficere conatus, nisi vt Cęsarem à senatu disiungens, ad bellum patrię faciendũ omni crudelitate deterrimum incitares? Equidem vt ignis materiam nactus, in quam adhęrescat facilè flammam concipit, & longè lateq; dispersus omnia, in quę inuadit, flammarum ardore vastat atq; populatur, vires præsertim augente vi ventorum flatuque vehementissimo: Vt tuba accenduntur & inflammantur militũ animi, & dato signo committendi prælii vbiq; percrepante tubicine strages fiunt maximæ, vulnera inferuntur accipiunturq; grauissima, cadunt fortissimi strenuissimiq; milites, & alii exultant in hostilium turmarum funeribus, cadauera cadaueribus cumulãtur, & augentur, & illorũ sublatos cumulos prętergressi, repelluntur, aut prosternuntur, vel ipsi repellunt prosternuntq; per corpora humi prostrata transilire aduersarios prohibendo; deniq;

denique sanguinis flumine redundat campus vniuersus, atque cooperiuntur iugera camporum immensa, cadauera fluctuare solent fluctibus iactata redundantibus; ita Antonius facibus orationis accendit Cæsaris dubitantem animum, & impulit atque proiecit in bella ciuilia, in sceleratam mentem contra patriam arma capiendi. Quod Cæsar ab oppido Ariminensi vehementius pulsari tympana, militesque quam citato gradu properare Romam, inferri fecit infesta patriæ signa, quod consules ex vrbe Roma profugerunt, omnesque Consulares, quod cunctus Senatus effusus, quod in his Cn. Pompeius imperii Romani decus & lumen clarissimum, quod cuncta Respub. suis sedibus exterminata, quod tota Italia sola terrarum, horum ciuilium bellorum tonitru contremuerunt, & ardore conflagrarunt, quod nulla fuit ciuitas, nullus populus, nullæ prouinciæ, nulla regna, quæ Cæsariano fulmine non deflagrarunt: ab illa tua pestifera intercessione vulnera hæc omnia patriæ facta fuerunt. Hinc stirps & semen malorum serpsit, & promanauit ad tyrannidem occupandam, quæ vsque eo tanto cum malo, cum intoleranda seruitute extitit, donec adolescentum optimorum & libertatis amantissimorum virtute sublata fuit.

Secundum vituperationis exemplum ex fine multiplici.

ILle quidem magna vituperatione dignus est, qui pecunias ad ludos, ad inanes sumptus, ad libidines implendas, ad huiusce sæculi iactationem superbissimam datas sibi fuisse putat; neque animaduertit ad honestas impensas, ad familiam alendam, ad virtutis exercitationes, ad caritatis obeunda munera ab immortali Deo sibi tributas: vt illis proximum adiuuet, & gloriam Beatorum acquirendam curet: atque ita diuitiis huiusce sæculi quasi fluxis & perituris, quatenus illæ ad hominis victum, & ad alendum sustendandumque corpus cum omni moderatione necessariæ sint, & nobis ipsis ad ciuium Beatorum opes consequendas adiumento possunt esse, vtamur. Quamobrem videant illi, quantum iure optimo reprehensionem subire debeant qui domos ornant aulæis, abacos auro argentoque cælato, lectos peristromatibus, & conopæis bombicinis, in equis pulcherrime stratis equitant, mediam vrbem præteruehi gaudent, lecticis & quadrijugis fragore horribili concrepantibus. Nunquam nisi prætereuntium & consequentium famulorum grege stipati prodeunt in publicum, conuiuia magnificentissi

centissima concelebrant, atque ludos præbent apparatissimos, vt sese iactent & ostentent magnificè, & à mediocri hominum genere differant, & Magnates & potentissimos viros ementiantur, & cum inanissima aura, & cum ipso vento populari seruiant imperitæ multitudini, & aliquos de seipsos sermones haberi, aliquam fieri mentionem tot impensis & sumptibus factis magnum ducant & amplum. Neque interea vident cæci homines & amentes, hanc tantam temeritatem & insaniam eo spectare, vt breuissimo tempore dissipent patrimonia, exhauriant iam familiarem, ęs alienum grande contrahant, redditusq; suos tot tributorum onere redigant ad nihilum, quodque reliquum temporis sit, cum ex ære alieno nequeant exire, miseram & ærumnosam vitam agant. Quoties enim, quoties vidimus istorum plerosque post iacturas huiusmodi factas se in villas recepisse suas rei familiaris angustiis oppressos, quoniam pecunias vnde se alant, in ciuitatibus non habent? Quoties creditorum oppressi multitudine, qui debita sua exigunt, atque premunt, & vrgent, vt soluant, de iudicum mandatis bona occupari vident, & nihil præter id, quod ad se alendos necessarium sit præfinito accipientes? Quoties, quoniam exhauserunt & absumpserunt patrimonium miserrima fortuna iactati, fame pereunt, & victum corrogare coguntur? Plenæ sunt ætates, plena monimenta, pleni hominum huiusmodi annales oppidorum, neque vlla vnquam ciuitas istorum miserias cælare potuit.

Suasio ex fine.

EQuidem ad sacram Theologiam, atque ad artes & disciplinas omnes, ad omnem sermonis elegantiam & orationis ornatum tantum valere debuit vis ipsa, facultasque dicendi, vt cum tota spectet ars Rhetoricæ, vt ornatè politèque dicas, & artium atque disciplinarum maximarum opes & thesauros reconditos expromas, atque proferas in lucem, vt in disputationibus domineris, te iactes in legationibus, in concionibus vim habeas, in omni re priuata publicaque actione litterarum principatum obtineas, in hostes fidei tones, ac fulmina iacias, teneas animos auditorum, & quocumque velis, impellas, vnde velis, etiam deducas: quid sit, quod debeas prius, & magis amplum arte bene dicendi ducere, non video; Huc equidem, huc denique pertinet & confertur eloquentia, vt quidquid voluerit, candito sermone loquatur, polito exornet, luminibus sententiarum illustret, ac denique dictione exartis præscriptionibus per-

bus persuadeat. In hanc igitur artem incumbe, cuius si finem nactus fueris, ad reliquarum amplitudinẽ sine dubio peruenies.

Altera suasio.

TV Religionem aliquam ex sacris diuersorum ordinum familiis nõ suscipies illico? Non, iniiciente tibi cupiditatem alicuius ordinis immortali Deo, tanti Domini voluntatem exequeris? cum in animi tui commodum, in cœlorum gloriam spectent iniecta desideria? cum id velit immortalis Deus, vt Religiosorum itinere ad maiorem gloriam consequendam enitaris atque contendas? Vis scire quo aspicere debes? quo te totum cõferre? quo adolescentum, qui Christi consilia sequuti sunt, in Religiosorum familiam cooptantur, conatus pulcherrimi spectant? vt iucunditatem, vt diuitias omnes, vt honores vulgi, gloriam, plausus & acclamationes, iactationem & ostentationem contemnant. Ea de causa se suasque omnes actiones alterius iudicio submittunt, humiles & attritas vestes induunt, contemptissimis escis vescuntur, se intra parietes cœnobiorum continent, paruas & angustas cellulas incolunt, media nocte surgunt ad matutinas preces persoluendas, reliquis diei temporibus, statis iam & præfinitis horis, aut diuinis aut domesticis rebus nauant operam, vi & acerbitate verberum corpus lacerant, ciliciis acriter pungentibus carnis cupiditates comprimunt, contemplantur Christi Iesu beneficia, diuinorum operum pulchritudinem & magnificentiam, cruciatus virgarum, spinarum diritatem, crucis molem & machinam tanti Domini humeris comportatam, dignitatem & maiestatem sanctissimæ Triados celsissimam. Certis & legitimis diei temporibus mirum est silentium, tacitumitas summa conuictorum totius ordinis administrorum, demittere se student omnes & abiicere modis omnibus, exercere seipsos in labore, patientiaq; corporis & animi, seruare se castos & integros corporibus & animis incorruptis, optimè semper inter sese conuenientes domesticos & externos mutua charitate complecti. Neq; tàm in conductorum manu sunt operarii, quàm viri Religiosi in suorum potestate præfectorum. Denique seipsos disiungunt à rebus humanis, & ad ductum & imperium certorum hominum, qui Christi personam sustinent, se totos adiungunt, vt omnem vitam ad Dei præscriptiones dirigant, & hac ratione diuinæ iustitiæ splendorem, & immortalis deinde gloriæ claritatem corporis compagibus soluti sequantur.

Dissuasio

Dissuasio ex fine.

DIssuadeo igitur tibi, quod mihi faciendum nulla ratione putarem, neque facere mihi veniret vnquam in mentem, vt omissa Theologia sacra Iurisperitiæ vacarem, quin à Iurisperitiæ studio velim ad sacram Theologiam animum auocares. Nam si tibi propositum est Ecclesiæ itineribus velle progredi, & quod tibi insedit in animo, ad quod te tua propensio fert, & naturalis ab infantiæ cunabulis inclinatio, huic sæculo nuncium velis remittere, & in aliquem te Religiosorum familiam recipere, quanquam ad confessiones audiendas decreta Pontificum valeant, non tamen ad munus, quod proprium Religiosorum est, concionandi, non vt cum viris sacrarum familiarum disputationibus sacræ Theologiæ interesse possis, quæque disputentur intelligere, aut de suggestu Doctorum sacrorum volumina interpretari, sacros annales veteris aut noui Testamenti explicare; non deniq; vt magistrorum gladium & lauream, aut aliquam dignitatem & Præfecturam consequaris. Quin & illi, qui iurisprudentiæ periti in sacrarum familiarum ordines in aliquam coaptantur, si ea ætate fuerint, vt liberalium artium, & sacræ Theologiæ studio vacare possint, in hæc studia de mandato superiorum ingrediuntur, vt officia Religionis præstantissimo studio, doctrinaque faciant. Quod si vel auiditas tibi fuerit iniecta veri boni cognoscendi, & arcanorum nostræ fidei inuestigandorum, quæ res te citius ad exitum optatum producet, quam sacra Theologia? Hæc de Deo immortali agit, & illius præexcellentem, diuinamque naturam sacris suis dogmatibus intelligendam, cognoscendamque proponit, atque mysteriorum Christianæ Religionis explicandorum munus habet, & propriam, peculiaremque prouinciam.

Ex fine coniectura.

SCilicet eras institutus hæres à Petro, & expectabas amplam hæreditatem, atque hunc, si conualesceret, mutaturum esse voluntatem metuebas, atque vitam ablatam fuisse per te non coniiciemus? qui non secundo te vocandum esse sciebas ab infirmato mutata voluntate prioris testamenti, & ob eam causam non capturum fuisse, quam mortuo testatore te adiisse vidimus, hæreditatem.

Ex fine

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0041
DFG

Ex fine motus animorum.

CVm homines nati sint ad laborem, & ad virtutem, atque his duobus sociis & comitibus ad gloriam cœlorum immortalem comparandam, equidem dolebit, vehementerque dolebit Christianorum optimus quisque, cum videat tot homines sic agere vitam suam, vt nihil minus in animo habere videantur quã fœlicitatem sanctorum, quam cœlicum immortalitatem, quam ipsius Dei optimi ac maximi diuinum aspectum. Mœrebit, cum sic ab scopo proposito discedant, sic vagentur & errent tanta cum nequitia, peruersitateque peccatorum societatem ineuntes, vt cœlo, Diuis omnibus, Virgini Mariæ, Christo IESV omnium remississe videantur, & hæreditati cœlicum, ad quam & viuentes & superstites modis omnibus contendere debebant. In finem Beatorum præcellentem & illustrem mentis aciem intendite, si quæ sæculi sectatores appetunt, parui ducere debetis, quæ caro concupiscit, fugere, quæ mundus defert, repudiare. Quæ speciem aliquam illustrem habere videntur, & re ipsa infirma sunt & sordidissima, quorumque bonorum hæreditatis assequendæ ratio inquinatissima, neque ad illa nisi turpes & sordidi jabiiciunt vnquam sese. Ad veras, ergo diuitias, ad solidas voluptates, ad immortales honores viam affectent & omni conatu contendant, si finis illius, ad quem nati sunt, post mortem fieri compotes voluerint.

Spes ex fine.

HAc profectò spe sustentabaris, vir doctissimè, cum nunquã otiosum spiritum duceb as, magnam partem noctium vigilabas, rem omnẽ tuam cum literis, cum libris habebas, & salutem tuam succisiuis horis cunctis te laborib. conficiens infringebas & debilitabas. Videbaris summum sacræ Theologiæ gradum appetere, & in tempus respicere futurum, quod adest iam & præsens est, cum tuarum daturus es documenta progressionum. Atque ad illud studium incumbebas, vt cum summo honore decedens cunctorum suffragatione, Doctorum insignibus ornatus famam tui nominis spargeres per omnes Academiæ angulos, & ad Cathedrã appedendam, deferendamque prima contentione totus aspirares: atque ita quod homines præcipuè de tuis laboribus augurabantur, id magis extaret & emineret. Inter omnes enim, qui suis in disputationibus meliorem sui ipsius rationem reddiderit, qui litterariis in actionibus in omni genera obiicien-

obijciendi, vel respondendi eminuerit, is principem locum & plane primum sperare debet. Atque id causam sine dubitatione afferet, cur consequutis Licentiati Doctorisque insignibus non docti homines à laboribus litterarijs conquiescant, cum ad amplissima sacerdotia, ad dignitates maximas, ad Pontificatus honores vocentur. Et quanquam cursum literarium confecerint, alterum ineant, & multo difficiliorem alicuius in Ecclesia gradus obtinendi: ad hanc cum peruenerint, restat extremus omnium maximus, difficillimus, vt in secundo se collocatos putent, vt seruiant Reipub. saluti animorum consulant, honorem immortali Deo tribuant, seque dignos tanta sede, tanto dignos honore præstent, vt meritis potius, quam hominum gratia, vel aliquo fortunæ flatu secundo ad tantam amplitudinem peruenisse eos profiteantur omnes, atque recognoscant: ipsiq; ad illa alacrius præstanda propositis Beatorum præmijs, vehementius incitentur. Ita quidem vnus finis in alterum intuetur, & ex alijs alij pendent, vt quasi gradibus suis à primo perueniatur ad extremum. ¶ Magnum est enim lauream literarum consequi, maius honores Ecclesiæ vel sæculi obtinere, maximum eos ad gloriam & ad decus diuini numinis immortale referre, & triplici hoc fine consequuto, si boni, si virtute præditi fuerint, homines hos doctos sapientesque cœlorum gloriam comparare. In singulis elaborandum est: & vt vnusquisque plus habet amplitudinis, plus desiderat laboris atque contentionis.

Odium ex fine.

NOrunt Romani furorem Antonij, norunt effrænatam violentiam: qui furiosus Tribunus plebis seditiones in Senatu temerè concitauit, & suam illam intercessionem violentam atque furentem opposuit, vt consilijs senatorum obsisteret: qui Cæsarem, si sana mente esset ad tanti ordinis auctoritatem, integra re conabatur adducere, & eidem consulere, ne arma contra patriam pernicioſa caperet, sed dimisso exercitu depositis armis supplex ad petendum Consulatum Romam veniret, & quod omnes candidati faciunt, prodiret in campum Martium populi beneficium accepturus; si vellet pro suis rebus in Gallia præclare gestis gratiam à Romanis iustam ac meritam, vt ille clamabat, deferri sibi pedem id temporis in vrbe ponenti.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0043
DFG

Obtestatio ex fine.

QVare vos, auditores, obtestor atque obsecro, vt si vestros animos saluos esse cupitis, si in gloriam Beatorum ascendere desideratis, si nihil in animis magis assiduum esse debet quam salus & incolumitas animorum, atque ciuium Beatorum status fœliciſſimi adipiscendi cupiditas, Deum immortalem orare non desinatis, & vestris precibus placare maiestatem suam, improborum sceleribus violatam, & huiusce rei conficiendæ causa filium adhibete deprecatorem. Precamini Parentem Christi Iesu dignissimam, quæ vos cum filio mansuetissimo æterno Patri reconciliare potest. Atque cum ipse Christus Iesus vos tanto Domino suis meritis & morte sanctissima reconciliarit, cum Virgo sanctissima, quæ ianua est cœlorum, preces filio Christo Iesu adhibere non desinet, ille vobis supplicitet adeuntibus, & opem & auxilium summo cum animorum sensu implorantibus, suum diuinum numen ostendet.

Exaggeratio ex fine.

QVod vero totam Flandriam Hispanis præsidijs vacare voluistis, id cuiusmodi esset, neminem nostrum intellecturum existimastis? postulatum est enim, vt milites ex præsidijs, ex vrbibus, ex omnibus locis, in quibus collocati fuissent, Rex Philippus iuberet emitti, & facturos vos, quod Regia maiestas vellet, & eidem obtemperaturos esse confestim: eos collocet, quibus in locis velit. Scilicet non eo vestræ mentes & postulationes spectabant, vt cum totam Flandriam Hispanis militibus liberauerint, Flandri potestatem habeant in Philippum arma capiendi: atque hæc quæ suspicionibus & coniectura capiebantur, euentu comprobata fuerunt.

Plura finis officia numeraremus, nisi ex affectibus in Demonstrationis exercitatione commotis, huic patri factum satis fuisset. Nunc pauca de sede, quã sibi finis in oratione collocauerit, verba faciamus.

De sede, quam finis in oratione continet.

MEdiocri ingenio præditus intelliget ex superioribus exercitationibus in confirmatione, in amplificatione, in affectibus, ob eam causam in Epilogo dominari posse finem. Quod si in narratione plurimum potest, & ab eodem Exordia petuntur, patet illius vsus admodum. Subijciamus igitur exordium aliquod, & narrationem, atque perorationem non prætereamus, vt clariora finis documenta demus.

Exordium

Exordium ex fine, in laudem Doctoris Martinij.

OMnes qui aliquem nullis impulsi amicitijs, nullis priuatim adducti officijs, nulla denique necessitate coacti, sed sua solum voluntate commendandum in hac amplissimi theatri celebritate susceperunt, prouidere debent non solum quid oneris in præsentia tollant, sed etiam honos illorum, quantum detrimenti si bene non processerit oratio, capere valeat in posterum: omnium enim iudiciorum aleam subire debet, & hominum non immerito doctorum reprehensionem, si plausus & admirationes Auditores non fecerint. Atque eo magis, si, vt ante dixi, faciunt nullis vinculis astricti, nullo fine honestatis spectato, sed dicendi cupiditate flagrantes. Nam qui sibi hoc sumit, vt in hominum doctissimorum & eloquentissimorum consessu, habeat orationem, & reliquis tacentibus, solus ipse verba faciat, quis huic ignoscat, si qua in re à Rhetoricæ præceptionibus declinauerit? Quapropter hoc etiam magis ab hominibus eiusmodi orator laudandus ac commendandus est, qui non solum non voluntarium dictionis prouincium susceperit, verum etiam se ipsum eiusmodi fore profitetur ac præstat, vt ille nisi religione officij, & virtutis, & quadam fidei necessaria ratione dicturus in publicum non prodeat. Huic enim nemo non ignoscet, qui si paululum progressus fuerit, non inani gloriæ, sed temporibus inseruiens in suggestum ascenderit. Ita hoc Auditores ex eloquentiæ summo principe, Marco Cicerone intellectū est: cum nullius rei tam illum considerantem Romani vidissent, quam quòd nullam fere causam suscepisset, nisi temporibus amicorum, & vtilitate communi compulsus. Atque ille ijs præsidijs, ingenij, eloquentiæ munitus, quibus liberior hac in re solutiorque potuisset esse, tamen hac cura continebatur, nondum confirmato solum consilio, & ineunte adolescentia, sed firmata iam ætate & oratione iam sua canescente, habenteque suam maturitatem atque senectutem. Quo minus mirati debetis, Auditores, si nunquam prodire videar in hunc locum nisi inuitus, neque ita frequenter atque alij multi meæ facultatis & artis oratoriæ præstantes æmuli, sed aut amicorum præcibus, aut quod hodierno die in laudatione fecine multis maximis Doctoris Martinij in me beneficijs extantibus deesse videar.

Narratio.

ERat hic vir locupletissimus, qui rem familiarem in animo habebat magni mercatoris, gnaui & industrij partibus susceptis. Et quoniam Burgis commodè fieri non posse videt, vt res cedat ex animi sententia, mutat domicilium Hispalim, quæ propinqua mari, & in Italiam, & in Flandriã, & in Indiam vtramque occasiones offert plurimas onerum, diuersarumque mercium dimittendarum, quæ conduplicato quæstu veneant, vbique locorum, quo expediantur: maximè si huiusce quæstuosissimæ mercaturæ exercendæ causa, mittat procuratores aliquot egregie fideles, & negotiandi contrahendique non inscientes, vel alijs det suas partes, qui mediocri lucro res aliorum, & istius mercatoris locupletissimi nouissent agere, & quidem sine fraude & cum magno mercatorum emolumento: qui merces eidem maximas, illis in locis vendendas, aliasq; comparandas mittendasque commiserint. Cum bene mercatura procederet, neque quod raro accidit cum annos triginta nunquam onerare destitisset in prædicta loca, præsertim in Indiam, neque paruulo damno, nullo naufragio, integris semper rebus in portum inuectis, deportatisque mercibus & argento prægrandi in Hispaniam, quod cupiebat, cuiusq; rei causa Hispali domicilium sibi collocauerat, impetrauit; vt in redditus annuos plurimas pecunias contulerit. Exultare iam homo locupletissimus, & præ cæteris multis iactare sese hominibus Hispali, altius velle ascendere, & cum nobilissimis viris filias in matrimonium collocare, filij equitare, induere pretiosos cultus, & quadrijugis vehi, domus denique famulorum, & ancillarum grege perstrepere, tota suis aulæis & suppellectile pulcherrima nitere. Denique ille speciem præbere, non nobilium modo, sed dynastarum potentissimorũ, & vsq; eo progredi fortunatus homo, vt populos & vrbes festinet emere, filium ad extremum relinquere hæredem populorum & ditionum suarum præpotentem dominum. Quo is aspirabat, peruenit aliquando. Sed en breui moritur, & quod industria, labore pater acquisierat, nescit retinere filius, profundens omnia per luxuriam, & grande æs alienum contrahens, vt dynastæ fortunam, & statum amplissimum in vrbe conseruet. Qui dum sumptus immodicos facit singulos in dies à creditoribus appellatus in iudicium, cogitat in vnum oppidulum se recipere, vt sibi consulat, neque se magis perdat, atque visus est in illum vsque diem perdidisse. Vides

quid

quid sumptus libido faciat? quo perducat hominem inconsiderantia, non se suamque fortunam honestate metiendo? Recordari postea filius incipit temperantiam patris, & moderationem adhibitam, consilium & industriam in acquirendo. Ipse deplorare non desinit fortunam florentem præteritam, & præsentem suam, & suorum miseram, multumque actatam. Qui dum superstites fuerint, nullum diem lætum aspecturi sint, rebus contractis, & adeo in angustum adductis; neque reuisuri ciuitatem amplius; in oppidulo cum hominibus rusticanis & aggrestibus acturi semper in posterum.

Epilogus ex fine illustratus.

AVdi atque attende anime mi, vt scias quid tu Christo Iesu debeas. Confiteare tandem aliquando, quod fecit iste tantus, tamque præpotens Dominus, te & gratè, & iustè debere profiteri, & tibi, quæ pro salute tua fecerit omni ratione recognoscendi impositam fuisse necessitatem. Nam simul atque tempus humanæ libertatis recuperandæ ab infinita sæculorum omnium æternitate præfinitum adfuit, hominum restituendæ salutis, & dignitatis gratia, de mandato Patris æterni, nulla mora, protinus incredibili celeritate, tanquam gigas, vt vidistis, in terrarum sola descendit, atque primum in Virginis vterum interuentu spiritus diuini humanam sibi naturā copulans, nulla vel minima Virginitatis labecula, nouem menses in eius visceribus delituit, ab vtero Matris in porticum ruinosam & male materiatam sese dedit. Vitam deinde nobiscum triginta continuos annos egit in multis laboribus, vigilijs, inedia, in summa rerum angustia ac difficultate, atq; adeo in tanta, quantam sciunt omnes, egestate, & extrema certe quidem mendicitate. Tum concionibus, exemplo vitæ, summa sanctitate, iter rectum & directum in beatorum gloriam ostendit, miraculis maximis & stupendis dignitatem, maiestatemque suam testatam & exploratam hominibus faciens. Deniq; quemadmodum ex totius orationis decursu, quamuis sacræ fidei præscriptionibus instituti non essetis, potuistis agnoscere, comprehensus à nefarijs satellitibus, iussu Principum veteris legis, & per summam discipuli crudelitatem inaudita paucorum nummulorum auiditate inhiantem, & imminentem innocentiæ suæ integerrimæ traditus, iniquissimis modis tractatus, vexatusque seruilem in modum, ritumque nequissimorum hominum, ex cæde, & ex sanguine viuentium, virgas & spinas

pertulit, ac tandem in crucem se tolli passus est. Quid amplius vultis homines? Quid ille mitissimus Agnus facere potuit, quod non præstiterit, & ex omni semper parte abundè nimis & absolutè, vt nihil absolutius fieri potuerit? Atque hæc omnia, quo spectauerunt, nisi ad humanam conditionem miserè iacentem excitandam, & in pristinum, vnde Adami scelerata defectione ceciderat, statum, & dignitatem insigniter florentem restituendam. Quæ si vestrum causa mitissimus Agnus fecit, si vestrarum miserus ærumnarum, atque ea de causa fecit, vt in antiquum decus, & gloriam veterem reuocaret; cur non eam dabitis operam, vt quo tantis, & tam immortalibus infinitæ misericordiæ monimentis vocamini, & tanta caritate accersimini, vos excitetis, tot & tam ingentibus auxilijs subsidijsque adiuuandi. Huc exurgite Auditores, & cursu celeri, precor, aduolate, quo cum celeritate mirabili peruenerit is, in vestrum vsum fructumque vbertimum cursus huiusmodi velocitate Gigantem suscepisse scitote.

Alter Epilogus ad orationem in laudem Beati Ignatij Confessoris habitam, de gloria Domini ab eodem semper appetita.

QVid igitur restat, Auditores, nisi, vt eo, quo Beatissimus Patriarcha, & parens sociorum Iesu clarissimus Ignatius verba, quo mentem, quo facta contulit, eo nos actiones nostras, animos & sermones conferendos existimemus? Quemadmodum ille gloriam diuini numinis in omni rerum genere, proponendam ante oculos, in animoque defigendam statuit, idem nos non indiligenter faciendum præstandumque cutemus. In hanc rem omnes ille vires, & neruos corporis & animi intendit, iam inde à primis traductionis suæ cunabulis, hoc contendit, & enixus est per omne vitæ suæ tempus, cum demissionis, cum patientiæ, cum caritatis, & cunctarum virtutum facta maxima pulcherrimaque fecit: cum tam multa visione, specieque multiplici diuina recreatus fuit & illustratus, huiusmodi spectacula glorioſa in obscuro tenebrarum loco iacere volens: cum idem tot miracula edidit ingentia, & stupenda: cum tres homines, vt alia omittam, à mortuis excitauit, & ea sileri semper voluit & nullo modo foras efferri, suijpsius & suarum rerum contemptor, & gloriæ diuinæ maximus præco & amplificator illustrissimus, hæc omnia diuinæ bonitati, potentiæque

terræ

terræ ac cœli dominatoris Dei tribuens: cum Societatem Iesu, Religionem inclitam, toto terrarum orbe, tanto humano generis bono, disperſam diffuſamque latiſſimè condidit, fundauitque ſanctiſſimè; cum eidem nomen minimæ, non minoris impoſuit; cum non ab Ignatio, ſed à Ieſu nominatam, & illius ſanctiſſimo nomine inſignitam exire in orbis Gentium lucem clariſſimam voluit, vagientem primam ac naſcentem paruulam, adultam iam & proiectam, & per omne tempus vetuſtate corroboratam & amplificatam omnibus incrementis: cum poſtremo (cætera vos recordari poteſtis orationis capita) non generis ſui Loyolæ ſtemmata glorioſa, non lupos, non lebetes, fumoſarum imaginum inſignia, ſed Ieſu nomen ſuis quatuor literis inciſum inſignitumque magnificentiſſimis, & ad immortalis Dei gloriam pro ſociorum ſuorum vetuſtiſſimo, glorioſiſſimoque monumento fulgentibus, & in terrarum fines vltimos vſque penetraturis prodire voluit in hanc lucem orbis gentium clariſſimam, illud nos monere voluit, illud ſuos præſtare, quod ipſe optimus veriſſimuſque diuinæ gloriæ buccinator fecit, vt ad gloriam diuinam vires totas & animos conferant. Quæ vt nos, vt ipſi præſtent patrocinium ſuum tantus Patriarcha apud Deum immortalem & cœleſtem, qua plurimum valet gratia, interponet.

DE CAVSA EFFICIENTE.

EFFICIENS cauſa eſt, quæ vi ſua aliquid efficit, vt ſol diem efficit, toto cœlo luce diffuſa. Cuius eſt triplex diſtributio; prima in abſolutam, & adiuuantem: altera in procreantem & conſeruantem: tertia in agentem ſua ſponte & conſilio, & non ſponte nec conſilio.

De cauſa abſoluta & adiuuante.

CAuſa abſoluta & perfecta eſt, quæ per ſe rem efficit, vt ignis calefacit, aqua refrigerat, aer humectat, terra exſiccat per ſe ſine ope alterius. Hinc niſus apud Virgilium lib. 9. ſe ſolum auctorem factæ cædis profitetur, his verbis:

Me me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit.

Dicitur autem causa efficiens absoluta agere per se, non quod aliis causis non indigeat, vt materia, sed quod alia efficiente causa, non sit ei opus ad agendum.

Adiuuans causa est, quæ sola non efficit, sed aliam adiuuat, vt sunt instrumenta, quibus artifices vtuntur ad opera conficienda. Medicamenta, quæ medici adhibent ad depellendos morbos: milites, commeatus, classes, duces, equites, pedites, quorum adiumento Imperatores victoriam reportant.

De causis procreantibus & conseruantibus.

Altera distributio causæ efficientis fuit, in procreantem & conseruantem: Causa procreans est, quæ generat aliquid ac procreat, vt parentes filiorum, scriptores librorum, & opifices operum suorum causæ procreantes esse dicuntur. Hinc laus Ciceronis, de S. Sulpitio 9. Phil. Quanquam nullum monumentum clarius Seruius Sulpitius relinquere potuerit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij filium. Causa conseruans est, quæ rem iam factam tuetur, atque conseruat. Vt Rempub. leges, iudices, magistratusque conseruant.

De causis efficientibus sua sponte, & consilio, & non sponte.

Causa sponte efficiens est ea, quæ particeps est consilij, quo ducitur ad agendum: vt homo qui sua sponte facere quidquis solet. Causa efficiens non sponte sua est, quæ consilio caret: cuius formæ quatuor sunt, Natura, Necessitas, Fortuna, Casus.

Causa Natura efficiens est, quæ duce natura aliquid efficit, inde naturalis vocata: vt venti mari incumbentes causæ sunt naturales tempestatis: sol excitans vapores, aerque frigidus cogens eos, nubes efficiunt, & pluuiam. Huc pertinent terræmotus, fulmina, tonitrua grando, & alia id genus.

Necessitas est causa efficiens necessario: vt orta tempestas est cau-

est causa quamobrem mercator abiecerit merces in mare. Fortuna est causa efficiens fœlicem rerum euentum, vt inuentio thesauri ei, qui domo profectus fuerat alio consilio.

Casus est causa efficiens infœlicem rerum exitum: vt si quis venator mittens sagittam, interficiat in alio loco dormientem, casus est aut imprudentia. Quanquam tot sint in causarum efficientium differentiæ: tamen nullo separatim discrimine, Rhetor hanc causarum dissimilitudinem vno complectitur efficientium nomine. Nos tamen aliquot cuiuscumque discriminis præpositis exemplis, earum officia, rationesq; amplificandi reuocabimus ad efficientium nomen generale.

AMPLIFICATIO.

EX ABSOLVTA CAVSA AMORIS in amicum.

SI semper amicus habitat, penitus qui amat, in eo quē diligit, si omnia eius consilia quamuis abdita & inuoluta, cogitationesque tacitas animo inuestigat & euoluit, si suscipit personam istius, eiusque tum bona, tum mala ducit sua; si eo sensim progreditur amando, vt à se ipso alienus & abstractus, apud eum magis, quem amore prosequitur, quam apud se esse videatur: si is, qui diligit mutuum facit, & ei, qui se amat, parem atque accipit, voluntatē reddit: si tum illud euenit quod est in amore summum, vt alter in alterius pectore quodammodo viuat, & vnus è duobus animis mirà quadā & inexplicabili ratione confletur: quis nisi amor habet vim faciundi vnum, & co ligandi ex duobus, præstantique modo res inter se miscendi? Amor facit, vt summa sit conglutinatio animorum in vnum coeuntiū, vt voluntates quadam inclinatione propendeant, & opiniones ac sententiæ mirificè inter se consentiant. Amor facit, vt summa sit & mentium & voluntatum consensio, vt neque sententiæ sententijs, neque appetitiones appetitionibus repugnent & officiant, tum illud oriatur, quod quærimus absolutum ex omni parte atque perfectum, cuius nunquam in rebus humanis, præterquam in amicitia similitudo illa reperiatur. Amor facit, vt verè amici à veteribus Latinis vnanimes & concordes appellentur. Amor cogit Aristotelem illud non minus notum, quàm acutum & graue responsum ad posteros transmittere, amicum

animum esse vnum in corporibus duobus habitantem. Amor facit, vt vera sit illa memorabilisque sententia: qui eadem velit alteri, quæ sibi, & in eum non sit secus animatus ac in seipsum, qui pari dolore, parique lætitia afficiatur atque amicus, qui cũ altero sentiat, eademque non vna aliqua animi parte, sed toto animo expectat, hunc esse verum amicum atque germanum. Amor facit, vt videamus veros amicos in aspectu & sermone mutuo acquiescere, incredibili cumulari gaudio, & quadã voluptate fine satietate pasci: absentes autem & locorum interuallo disiunctos, licet abundẽt alijs omnibus animi corporisq; bonis & externis, in media tamen copia, nescio quid requirere, & angi animo, & tacito quodã desiderio tabescere. Amor facit, vt mentium voluntatumque consensu similes inter se prorsus functiones, actiones, officia, sicut ab vno fonte manent. Amor facit, vt cùm omnis hominum vita intelligentia & voluntate gubernetur, atque hæc sint nobis duo præcipua & faciendi, & agendi principia, ne possit eorũ vitæ genus esse dissimile, quorũ sensus omnibus in rebus mirificè congruunt. Hic amor facit, vt quorum est insignis inter ipsos animorum coniunctio, eosdem non solum eisdem studijs teneri, eisdem rebus delectari & dolere, sed etiã vti simili amictu & incessu. Tanta vis est concordiæ, quæ mentes eorũ voluntatesque construxit, vt ne minimis quidem in rebus eos à se inuicem disiungi ac diuelli patiatur. Sed hanc tantam & animorum & factorum consensionem, quantam vix in duobus, tribusue paribus amicorum aliquando vidimus vel audiuimus, vel legimus fuisse, in omnibus hominibus tanta varietate nationum, ciuitatũ dissimilitudine, discrepantia sermonum atque linguæ, sine aliquo diuino munere & dono existere posse, credere stultum est. Diuini amoris æstu à charitate scilicet, non humana vi, & industria perfici potest. Charitas enim, quæ conturbare solent hominum vitam, & alienare aliorum ab alijs voluntates, tantumque vel odij vel inuidiæ incendium excitare, vt nulla queat hominum prudentia restingui, ea quidem omnia de medio tollit. Charitas magnanimiter perferre iniurias, & benignè ac leniter condonare facit, in rebus aliorum secũdis non inuidere, non inhumanos neque crudeles nos esse in aduersis, nec inconstanti leuitate fluctuare iram; insolentiam, auaritiam & alias animorum perturbationes comprimere, eos quos amat cariores habere indies, nec tanquam in hoc sæculo natos, sed cælestium diuitiarum participes, Christi IESV sanguine assertos in libertatem, cõ-

hæredes

hæredes Iesu opũ diuinarum futuros, comites supremorũ spirituum amore, & memoria, & cogitatione cõprehendere, nihil velle, nihil appetere, nisi quod sit è Christi disciplina, tendere supplices ad Deum manus, diuinã opẽ expectare, diuinũ auxiliũ ac misericordiã implorare, sibi, suis amicis, inimicis, alienis & propinquis bona multa precari, & omnes ex Dei voluntate cupere regi ac gubernari, vt reconciliatis inimicis, & in Christi Iesu amicitiam reductis, permanentibus amicis in Dei gratia, consensione doctrinæ Christianæ, coniunctione voluntatum, honestate vitæ, trium diuinarum personarum communionem imitãtes, quæ modò credunt, videre post obitũ possint, & sempiterna ac cœlesti vita cum Patre, & Filio, & S. sancto vno Deo perfruantur, cui in omnẽ æternitatẽ gloria & imperiũ debetur.

Ex adiuuanti.

AN verò existimatis fieri potuisse, vt viri ste tanta sapientia præditus esset, nisi multa sibi fuissent ad literarum cursum ineundum persequendumque adiumenta? An verò quod sibi summum erat ingenium paruam vim habuisse putatis? Quæ memoria, custòs rerũ, quas audiebat & legebat ipse, cunctarũ? propensio quanta fuit eidem ad studium literarum, & naturalis inclinatio? Quid verò Academia impetrare non posset tot bonis præceptoribus & scholasticis industrijs & diligentibus abundans, tot optimarum plena prælectionum, tot ac tantis in singulas hebdomadas disputationib. locupletata? Parẽtes, quod cuiquam incredibile videretur, eum per literas, & per nuncios incitabant, vt nihil magis frequentia literarum, & eorum, qui de patria veniebant, aduentu vsurparet atque repeteret, quam studium literarum, quam progressiones mirabiles semper incredibili celeritate faciundas. Neque parentes ab Academia discedendũ adolescenti cõstituerunt æstus tempore grauissimo, non vacationibus datis, non vllis aduersæ valetudinis tentationibus: vsque eo non solum adhærere libris, eos voluêre semper, sed mortem gloriosam duxerunt, quam vacando libris, si quæ vis morbi de medio auferret, obijsset. Quæ omnia absoluebantur & perficiebantur magnopere æmulatione contubernalium quorundam, qui certatim ad literarum studium dies & noctes incumbebant, atque frequentatione dubitationum suarum, & argumentorum, quæ in concertationibus literarijs ponebant; assiduitate conferendi, quæ audierant, inter seque repetendi; consuetudine verum indagandi, & in summam quæstionem

nem perducendi, vt quid efficeretur, quid esset tenendum, certũ & exploratum haberet. Hinc & contuberna'ium vnumquemque laudabant præceptores, verè dicebant illos & prædicabant scholasticos, honorificè appellabant, & opponebant principes discipulorum æmulis & aduersarijs ad respondendũ, & ad satis faciendum, si quæ contra sententiam suam, aut doctrinam constanter rationibus, argumentisque confirma am attulissent. Denique vt alia multa præteream incitamenta proficiendi, illa fuerunt non parui ducenda, quod cum in illũ condiscipulorum oculi & ora conjicerentur ad suas difficultates, suosque laqueos dissoluendos afferrent, neque minus auidè, quam ipsos magistros, neq; minus confidenter consulerent & expectarent responsum, ex illius vultu, & ore pendentes. Sed sit iam extremum in his adiumentis spes & expectatio summa, quàm sustinebat in Academia, ad eam scientiæ magnitudinem perueniendi, vt in scholasticis sui generis & ordinis nulla maior animis cunctorum concipi, nec haberi videretur.

A procreantibus exercitatio.

QVid amplius causæ requirimus ad sactam Theologiam auidissimè discendam, quàm illius inuentorem, & auctorem fuisse cœlorum opificem & architectum Deum, & de cœlo traditam generi mortalium atque del tam esse? Itaque quotiescumque Theologiæ meminerimus, quoties tantæ disciplinæ mysteria recondita & abstrusa perscrutati fuerimus, & in cœlorum sedes nostras inferre cogitationes, & ad auctorem diuinæ doctrinæ Deum immortalem Theologos referre necessarium erit, qui si ad tanti Domini veritatem, virtutem, sanctimoniam & absolutam perfectionem non aspirauerint, an tantæ maiestatis discipulos, alumnos & filios verè se, constanterque iactare poterunt?

A conseruantivsus & exercitatio.

QVid vna quondam vigilantia Ciceronis, & labores pro Republica susceptι? Quid illius incredibilis atque toties commendata eloquentia ad salutem Reipublicæ & ad patriæ conseruationem magis expetendum videbatur? Hic cùm videret coniurationem nefariorum hominum, ex latebris atque ex tenebris erupisse, palamque armatam volitare cœpisse, & ad Consules interficiendos, ad conficiendos Magistratus, ad extinguendum Senatum, ad Rempub. ad occasum interitumque deducen-

deducendum tela iugulis Romanorum intenta de manibus coniuratorum extorquens, saluos & incolumes Magistratus, patriam & Rempub. suo consulatu conseruauit. Atque occasurum procul dubio pulcherrimum terrarum opus, monimentum Romuli, sedem omnium gentium atque nationum, præsidium orbis vniuersi quasi Athlas alter, suis humeris sustentauit. Inde parens patriæ à Catone, à Sulpitio, à Volcatio, à Pompeio, à Senatu Populoque Romano fuit appellatus.

A causis sponte agentibus in laudem Beati Thomæ.

BEatus Thomas egregia sua indole, & ingenio mirabili in literas & in virtutem ferebatur, neque egebat hortatibus, non impulsore aliquo, qui stimulos & calcaria ad vtriusque rei studium & contentionem admoueret: sed naturali sua propensione modò virtutis actiones, modò literarum suscipiebat; vt nunquam illum nisi in virtute, vel in literis versantem aspiceres. Sic autem tempora vacandi literis & virtuti partiebatur, vt cùm de literis ageret, aut de virtute, animi voluntas in vtramque partem propensa comprobaretur. Ita parentes, atque præceptores nullum vnquam de literarum studio, nullum de virtute verbum adolescenti fecerunt. Ita videbantur illius perspicere animum propensum ad vtriusque studij admirabiles & præclaras actiones.

A causa agente sponte & consilio.

ATque illis res in hoc adolescente fuit semper spectata magnopere, quæ nos in admirationem maximam sui iudiosos, & amicos adducebat, qui cùm posset maiorum suorum itineribus incedere, equitare more locupletum adolescentum, patrimonio, quod à maioribus acceperat, quoniã nemo impediebat, & cum multorum adolescentũ exemplo feciſſet, haberet excusationem aliquam; cùm quod exemplo fit, id fieri iure putetur, tamen ad libidinem, ad sumptus alios, ad otium abuti noluit, sed ad virtutem, ad literarum studium, nullo suasore, nulli huiusmodi consiliorum auctore, sed sponte ac voluntate sua studiorum iter ingressus fuit. Atque ita literas & disciplinas didicit tanta cum auiditate proficiendi, vt sitim nunquam explere videretur. Voluit ipse enim primus Dux esse splendoris huiusce literarij in stirpem & familiam suam illati. Et quemadmodum fratres ad rem militarem, vt parentum exempla sequerentur, nullius hominis impulsu applicuerunt sese, rem iste etiam

etiam adolescens literarum agendam suscipiendamque decreuit, vt togæ militiæque qui de prosapia sua fuerant summa cum laude floruerunt.

A causa, cuius species sunt quatuor natura.

QVid moramur tempestatem grauem, vehementemque existere tam turbato, commotoque mari vehementissime, aperta existente causa, vi ventorum horribili, quibus fluctus tolluntur in cœlum, & puncto temporis deprimuntur in imas profundi voragines. Boreas ipse, Eurusque violentissimi extiterunt, in mare incubuere vehementissime, totumq; à profundo sæuiens ac fremens horrifico fluctuum insanientium fragore commouere visi sunt.

A causa efficienti necessitate.

MAlus puer, malus scholasticus. Quid huic scholastici facias, nescies prorsus: ita auersus à literis, & ab scholis videtur alienus esse: quem nunquam sponte ac voluntate surgentem ad prælectionem, nunquam sumentem libros in manum, nunquam describentem aliquid, aut discentem aspicies. A pædagogo trahendus est in gymnasium & in classem intromittendus, vi retinendus à præceptore, & is aliquid agat in negotio literarum, qui malè cogendus ferulis, aut virgis semper?

A causa efficienti ex Fortuna.

QVid in diuitijs, & de fortunis tuis omnibus gloriaris? atque ipsos rides, & pro nihilo habes inopes & egentes viros? quos si fortuna locupletes fecisset, & ad tuam euexisset dignitatem, tui similes videres; & si te reliquisset, deseruissetque in humili statu fortunâque contemptissimâ, omnino hiscere non auderes. Cogita igitur fortunæ & temporum hæc esse munera; quorum bonorum non tam facultatem vnquam, & copiam expetendam boni putauerunt, quam in vtendo rationem, & in carendo patientiam.

Ex efficienti à casu de homine in venatione interfecto.

QVod hominem ille necauerit venantem, & inter virgulta versantem, ipsis abditum arbusculis, occultatumque dumetis densissimis, cùm in aues aera præteruolantes collineasset sagittam, dignus venia procul dubio, quem vellet viuum, vellet

nunquam

nunquam occisum, non secus quam seipsum viuum & incolumem: sic cecidit illa mors, vt eam non cecidisse, neque euenisse vellet occisor. Casus vt culpam nescit, sic pœnam sustinere nequit. Atque casus si melior fuisset, si fortunatus, inde discederet occisus homo. Quoniam igitur ita tulit casus infestus, vt venantem & peragrantem lucum sagitta de medio abstulerit, habere vos debet placatos & propitios occisor ad ignoscendum.

Efficiens cum Materia.

VIdeo politam imaginem, video ex omni parte perfectam, neque causam aliam esse perfectionis animaduerto, quam auctorem & egregium artificem pingendi, cuius manus omne consequitur artificium. Ars cum parente rerum natura certare visa est, penicillum summum erat, colores nitidi & illustres, adhibito summo temperamento ad imaginis similitudinem exprimendam. Materia affecta admodum & apposita, ad suscipiendas formas & figuras similes, quod nitore auri suis in locis distincta luminibus illustrissimis habebat splendorem & claritatem eximiam. Non Apellis dissimilis, aut illo sane præstantior pingendi laude videbatur auctor operis admirandi.

Efficiens cum effectis.

COmplectimini Saulum, nondum Paulum è Saulo factum ante suam traductionem mirabilem & stupendam, illa nobilitate generis, suis oppidis maximis, auctoritate plurima fretum, in Patrum veteris legis peritissimorum curiam ingredientem, & habentem sermonem longum & valde accensum, quem iracundia, quæ ad ingrediendum illum adegerat, suppeditabat, & faces ardentes magis alebat ad Christianorum exitium & perniciem vltimam tonitru multo, & fulmine verborum iacto. Cuius os cùm sustinere non possent, & vultum in dicendo flagrantem, causam commiserunt, & Christianorum persequendorum prouinciam. Datæ sunt literæ, dati satellites ad comprehendendos Christianos, vbicumque locorum reperirentur illi. Data denique instrumenta Principum obsignata signis & eorundem auctoritate confirmata: quorum ille præsidio munitus accelerat profectionem suam totus iracundia ardens, & insatiabili Christiani nominis extinguendi cupiditate flagrans.

Efficiens

Efficiens cum simili.

IN Saulo libet præsens exemplum subjicere, quem proficiscentem Damascum animo complector. Quæ cupiditas delendi Christiani generis, & in cultores Christi IESV ardens iracundia? Totum ex ore, ex oculis, ex pectore flammas spirantem eadem Saulum in equum sustulit, & accinctum gladio collocauit in sella, & ad tantos processus & cursus faciendos impulit, vt non currere, sed aduolare videretur, sanguinem Christianorum auidissimè sitiens. Ille admouere calcaria, crebro stimulare equum, ilia velle perrumpere atque calcaribus multum sanguinem exprimere: anhelans, & desudans custodiam, vincula, neces nominare passim, atque in eam partem omnia, nullum vt Religionis Christianæ vestigium studio & diligentiâ suâ relinquendum putaret. Quem vero ad modum dicam properasse Saulum? quanta adhibita contentione currendi? similem illorum dico, qui persequuntur hostes fugientes, & ferrum & crudelitatem spirando persequi non desistunt ad adipiscendos omni celeritate prouolantes, cum nacti fuerint inimicorum sanguine protinus saginandi. Vt Tygres, quæ lacessitæ, Euro velocius dumeta, saltus, & loca difficillima cæco furore inflammatæ præteruolare visæ sunt, vestigijs insequentes hostem, aut longè conspicatæ, corporis dilaniandi discerpendique certissimæ. Tantus erat aduolantis cursus citatissimus, præceps & cæcus in Christianorum sobolem impetus, & odium insaturabile.

Efficiens cum Forma.

O Summam cœli pulchritudinem, cuius formam rotundam atque globosam suspicimus, tanta pulchritudine præstantem, tanto splendore micantem, clarissimis astrorum globis & Lunæ varietate noctu distinctam! Diu solem astrorum principem claritate orbi terrarum illucentem aspicimus ab illo summo rerum omnium opifice & auctore Deo formatum.

Efficiens cum Forma, Materia, & ex variis generibus causarum, & Effectis.

HOmo quid expectas? cur in auctorem tuiipsius Deum immortalem non intueris, qui te hominem ex limo & argilla finxit, corpore atque animo constantem, & ad sui similitudinem animum in corpore conclusum formauit rationis, & intelligentiæ participem? cumque potuisset propter scelera

tua

tua te dare præcipitem in profundam inferorum caliginem, in hunc vsque conseruauit diem, & multis præsidiis muniuit, muneribus auxit & cumulauit plurimis, in nobilissima collocauit terrarum parte, Christianæ Religionis cumulauit insignibus, Sacramentorum rem & magnitudinem attribuit ad reficiendũ te ex alicuius ruinæ capitalis naufragio, & omnium scelerum, quæ in suam maiestatem cõcepisses. Quod tot habeas præsidia, tot adiumenta ad naturam tuam iacentem in pristinam dignitatem restituendam, non commoueris? Quod cõfessores, quod concionatores, quod plurimorum exempla sanctorum, quod vita Beatæ Virginis docet, nihil curabis? Ille te de Cruce pendens Christus IESVS clauorum diritate manus pedesq; transfixus sibilo boni Pastoris, iacentem in fordibus & squalore peccati excitare debuisset ad animi salutem, ad gratiam recuperandam, vt animi te ipsum tui misereatur: Quem si semel Deus deturbauerit in sedes inferorum tuis maximis sceleratissimisque flagitiis infensus, emergendi nullam ex tam profundo pelago facultatem habebis. Ipse Deus immortalis te ad cœlorum regionem, ad immortalem Beatorum gloriam comparandam, & ad tantæ maiestatis aspectu perfruendum in omnes sæculorum æternitates creauit: quid expectas? quid immoraris, quid iaces? Huc exurge, inquit ipse IESVS, restituam te, atque complectar, in illis sempiternæ gloriæ tabernaculis collocabo, quæ præmia sunt sanctissimæ anteactæ vitæ. Nihil mihi gratius neque iucundius est, quàm meritorum meorum, quàm cruciatuum, & mortis acerbissimæ fructus aspicere, quàm videre candorem animorum, pulchritudinem & ornamentum, pugnas acerrimè commissas, prælia secundissimè facta, vulnera hostibus animorum illata, victorias & insignia reportata victoriarum, & ornamentis omnibus decoratos & illustratos animos, debitis præmiis, & honoribus sempiternis afficiendos in solium vsque Patris æterni celsissimum augustissimumque deducere. Enim verò ferus est ac ferreus ille, quem hæc ad reditum in gratiam cum immortali Deo non commouerint.

Causa ex minore cum exemplis.

Hic ego si hanc prouinciam non omnium amicorum rogatu suscepissem, si hoc à me muneris non vniuersum trilingue collegium postulasset, si me animus atque amor in artem bene dicendi, existimatio deamatæ facultatis, atque artis oratoriæ non hoc facere coegisset, atque hæc vna causa fuisset,

quòd sapientissimum hominem, quòd doctorem egregium, quem ego in curriculo liberalium artium præceptorem sortitus essem, quem loco parentis habuerim, quem in prouincia Dialecticæ, Philosophiæ, tam acutè, tam accuratè, tam doctè prælegentem omnes commendauerint, tamẽ digna causa fuisset, cur hanc theatrilucem aspicerem laudes suas oratoris voce prædicaturus, vt inter condiscipulos obseruantiæ meæ in præceptorem signa testata relinquerem. Fecerunt hoc multi in Academia nostra, fecit etiam nuper Baccalaureus clarissimus M. Antonius, qui te Martinum commendauit propter discipuli obsequium & obseruantiam præceptori debitam.

EFFECTA.

Conglobatio Effectorum.

QVæ quidem à me, si, vt dicenda essent, dicerentur, vehementiùs agerem, Patres, quàm adhuc egi: dicerem quantam virgæ Christi IESV religionem, quantum ictus virgarum infixi misericordiæ sensum afferre debuissent. Reuocarem animos vestros ad columnæ, cui Christus Iesus alligatus fuit, memoriam, ad illam acerrimorum ictuum per multum tempus tanta crudelitate infixorum acerbam vehementemque multitudinem, & illam vim stagnantis sanguinis, & toto corpore copioseque largè profluentis. Agerem vobiscum, Christum IESVM spoliatum vestibus, corpus vinculis acerrimis constrictum, cæsum crudelissimè excarnificatum modis omnibus, plagis inflictas innumerabiles, & vnam præcipuè medio tergo luculentam, non cruciatis solum carnibus, sed concisis, & ex omni parte dilaniatis. Ostenderem Christum Iesum, illum vindicem nostræ libertatis, Filium Æterni Patris, speculum & imaginem tanti numinis, pro nostræ carnis extinguendis ardoribus, & libidinum maculis & sordibus eluendis perpessum fuisse.

Altera Effectorum conglobatio.

FOrtissimi fuerunt illi Imperatores Romani, & omni memoria dignissimi, qui Romam ab hostibus defenderunt, illorum furentes impetus propulsarunt, coniecerunt in fugam innu-

innumerabiles copias, vrbes ceperunt & Prouincias, & totum terrarum orbem bellis plurimis terra marique commissis in tantæ Vrbis imperium potestatemque redegerunt. Nonne ab his Imperatoribus victoriæ fuerunt reportatæ? Nonne triumphi prouinciis captis & subactis Regibus magnificentissimè deportati, & tantâ cum gloriâ laudis Imperatoriæ in vrbe Româ summo apparatu splendoreque acti? Nonne denique sua fuerunt monimenta rerum præclarissimè gestarum, vbique locorum constituta?

Effectorum tertia conglobatio cum vehementi interrogatione, & repetitione, & adiunctione.

ATque haud scio, an malim te videri nullo pudore fuisse in ingressu gymnasij? An amicos aliquid habuisse pudoris & consilij, qui pro te nullum verbum præceptori fecerint? Non tu nefariis in hoc gymnasio sceleribus admissis in perpetuum tibi aditum præcluseras? Quid tandem erat à te factum, quamobrem cum reliquis scholasticis in gymnasio retinendus fuisses? An absentia tot dierum? an turbæ datæ in scholis? an perturbatio gymnasij? an offensiones susceptæ? an verba contumeliosè facta? an iniuriæ tui & aliorum ordinis factæ? an largita superbè præceptori responsa? an vis illata plurimis? an querimoniæ de te multorum ad præceptorem delatæ? Tu verò qui volebas in gymnasium recipi, qua demissione, quo satisfaciendi desiderio, qua mutandi vitæ, & morum corrigendorum voluntate, quo animo, quàm deliberato nihil in posterum sceleris admittendi? quem ipso aspectu, motu corporis, atque responsis perfecte præceptor non potuit, qui te emisit, exclusit, in malam rem abire iubens; ne tuo prauo exemplo commisceres & perturbares Academiam in posterum.

Effecta cum Interrogatione & Demonstratione.

AN verò tu eras Christianus, cùm in platea pauperes clamitabant, non communi more, sed intolerenda fame pereuntes, te sedente pro foribus tuis in sella deductis cruribus? Et qua in hac vrbe maior vnquam fames fuit, cui diuites non succurrerent, horreis præsertim suis omnis generis frumento completis? At tu illo ipso tempore palam omnibus audientibus pauperum miserias, & voces aspernabaris, atque alteram portam, porticum scilicet, aperueras ad triticum carissimo pretio venditum occultè quidem efferendum.

An verò toto illo tempore quisquam te granũ frumenti, nisi pecuniâ grandi vendentem aspexit? quisquam dico etiam panem extorsit? quisquam deposcẽs ope tuâ famem aliquâ ex parte leuauit? Nominandus est ille annus ad ignominiã tuam. In ciuitate cum summa caritas esset, & inopia rei frumentariæ, neque frumentum importaretur ex aliquot locis, neq; in vrbe propter inopiã veniret, peribant pauperes, fame enecati reperiebantur, fames intoleranda tota vrbe erat, neque tu in tanta miseriâ & vastatione ciuitatis opem & auxilium tulisti.

Effecta per Præteritionem.

QVæ vero promulgata ab ineunte regno Isabellæ edicta fuerunt? Quæ decreta publicè affixa? Quæ præconis voce quàm intenta prædicata? Quæ delata ex Aulâ Reginæ ad Angliæ reliquos populos, vrbesque quascunq;? Quæ promissa multis, qui Catholicos indicarent, qui proderent, qui de regno exeuntes retinerent, qui deferrent ad Iudices creatos? Qui locus Anglicani Regni non explorabatur? Cuius pecuniæ non publicabantur, fortunæque Catholici? Quod genus iudicij, quę prouincia, quæ ratio inquirendi reperiebatur, quæ non tentata demandataque fuerit in Catholicos? Qui populus, quod oppidum, qui portus oraque Anglorum erat, in qua non essent speculatores exploratoresque cõstituti, vt tamquam canes venatici loca omnia inuestigarent, atque odorarẽtur, vt simul atque aliquem inuenissent, vinctum constrictumque traherent? Quis autem improbus fuit, qui hoc toto Regni tempore non comparandas sibi pecunias, & prædas faciundas sibi maximas non arbitraretur ex Catholicorum bonis? Quis hæreticus prouincias, quis legationem in Catholicos à Regina petebat, quam nõ acciperet, & obiret consequendi quæstus cupiditate? Cõprehensis carcer diuturnus, solitudo, squalor, sordes comparabantur, damnatis spoliatio bonorum, iniuriæ contumeliæque grauissimæ, crucis ignominia, exquisita supplicia, inauditæ neces parabantur. Hic aliquando serius, quàm ipsi vellent Christiani, cum malorum, quæ inferebantur, acerbitate commoti seipsos tenere non possent, quin excitarent illam suam non sopitam, sed temporum iniquitate ad opportunam occasionem reseruatam virtutem Catholicæ fidei defendendæ, passi fuerunt illi viri, qui fortunas suas, qui opes, qui statum omnem, qui vitam, qui sanguinem pro Religione deuouerunt plurimi, qui hostes fidei,

fidei, feras indomitas, prædonum infinitam manum virtute ſua, ſanctitate debellandam comprimendamque curauerunt.

Effecta cum fine.

CVm, Beate Hiacynthe, remiſiſti nuntium huic ſæculo, & Canonicatus ampliſſimo te ſacerdotio abdicaſti, non te remouiſti ab hoc honore populari, & ab hac illuſtri vulgi gratia? Cùm in Beati Dominici ſacram familiam coaptandum dediſti, & ſequutus fuiſti veſtigia tanti Parentis, non valere iuſſiſti clariſſimorum Pontificum gratiam: non illorum ædes ampliſſimas? Cùm ciliciis, vigiliis, inedia, virgis corpus tuum aſſiduè conflictares, non ſtudebas domitas & compreſſas habere carnis cupiditates? Cùm concionareris, cùm itinera faceres, cũ aures præberes confitentibus, cùm labores omnes grauiſſimos, & hominum iudicio intolerandos ſuſciperes, non ad animorum ſalutem, non ad peccatorum fibras extirpandas, non ad hortos diuinis virtutibus conſerendos incumbebas? Cùm miracula tot, & tam ſtupenda ederes, non animorum incolumitatem non immortalis Domini decus & gloriam quærebas? Cùm in medias fluuiorum aquas te coniiceres tumentes, & incitatis vorticibus præcipiti ruentes impetu, nonne in Deũ intuebaris, & in ſpem diuinæ poteſtatis erectus, calcandas ſuperandaſque fluminum intumeſcentium vndas decreuiſti? Cùm pallium proiiceres in medium flumen turgeſcens, & aquis adauctum hyemalibus, vt illo longè lateque explicato pro cimbâ te duce, te nauclero cœleſti, ſocij, comitesque vterentur, & in vlteriorem ripam tranſmitterentur incolumes, non in poteſtatem diuini numinis infinitam, & in omnes partes interminatam mentis oculos coniiciebas? Cùm deniq; ſpirares mortuus cœleſtem ſuauitatem, & corpus incorruptum diuino afflatu ſuauiſſimam auram afflaret, caſu nos hæc miracula edita fuiſſe dicemus? an vt intuerentur homines caſtitatem tuam, corporis, & animi integritatem, Virginitatis lauream, Deum immortalem præuidiſſe conſtabit?

Effecta cum comparatione.

QVid eſt tam amœnum, quàm ver ipſum, quo non modò ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque parietes lætari videntur? Quid tam iucundum, quàm tempus iſtud, quo non modò homines, ſed bruta ipſa exhilarari atque geſtire videntur? Quid tam lætum, quàm verni temporis amœnitas?

Quo dita lætum est, vt summi, medij & infimi homines illud inire magnopere cupiant, vt auram salutarem, & temperationem cœli, & viriditates omnes, & vestitus agrorum, & cæteras amœnitates habendas, captandasq; curent? Qui idcirco rusticationes decernunt, & villas rusticanas ædificandas censent & curant, vt in agris se oblectare possint, præsertim tantâ cum delectatione corporum & animorum.

Effecta cum comparatione & Exemplo.

ITaque veterum multas ciuitates, quæ seditionibus suis perculsæ, & afflictæ fuerunt, omittam. Illa præpotens Roma, quæ quondam opibus, imperio, fortitudine, gloria tantopere floruit, hoc vno malo concidit, discordiis maximis & seditionibus concitatis. Cùm in foro Tribuni plebis turbulenti ac pestilentes tranquillitatis & otij communis inimici conciones turbulentas haberent, tunc temerè populum concitabant, tum nouos magistratus & leges petebant, tũ optimos viros gubernaculis imperij deiiciebant. Quod si hæc Romæ tunc, cum illa non solum fortissimis viris, sed etiam sapientissimis abundabat, commoueri mala accepimus, quot & quantas flammas putaris in aliis locis discordiarum excitatas fuisse, cum Reges absentes, ipsique moderatores fuerunt, & hominibus rerum nouarum cupidis, & regni cupiditate flagrantibus occasiones datæ sunt. Hinc motus ciuiles in Regnorum perniciem profecti fuerunt, hinc perfidia multorum hominum, qui à Regum suorum fide turpiter defecerunt, præsertim disiunctis in locis, vbi maior est ad facinus audacia, pauci verò sunt, qui possint seditiosorum furori resistere.

Ex causis ad Effecta.

QVid istud rei? Quæ nunc tanta rerum mutatio videtur in adolescente tantâ cum probitate? In hoc adolescente nulli mores optimi inesse videbantur: in vita ipsius nihil erat præter otium, præter delectationem, voluptates, amicitias improborum turpiter ac nefariè retentas. Agebat iste cum improbis, cum nefariis adolescentibus. Idem ad rixas, ad simultates, ad folia lusoria, ad ædes prohibitas non modò noctu solus, sed diu in clarissima luce præsto fuit, lustrationes viarum & platearum quotidianæ quasi deliciæ & amores sibi videbantur: cùm prohiberet nemo, nullum ille vitiorum genus prætermittebat, cumulabat potius, & augebat malis suasoribus

soribus. At cùm nescio quis bonus amicus verba feciſſet pauciſſima, vno verbo facto ſic in alterum mutatus, vt iam nihil in hoc adoleſcente videatis præter laborem, vigilias, bona ſtudia, exercitationes inſignes, bonorum ſermones, & familiaritates. Ille ſe totum dedit bonis adoleſcentibus, virtutis amantibus: ad caſtitatem, ad virtutem, ad confeſſiones, ad cœnobia ſacra, ad templorum luſtrationes propenſus fertur. Domo nunquam egreditur niſi neceſſario, & ad ſcholas, aut ad templum audiendi ſacri cauſa. Quid ergo conferam tempora præſentia cum præteritis? Vt ſuperiora improborum amicorum conſuetudo, ſic præſentia bonorum familiaritas attulit.

Effecta cum enumeratione per incrementum.

ILle vnus adoleſcens, vnus Antonius, vnus Rhetor nos cum ſuis carminibus & orationibus non modò ignominia, & turpitudine liberauit, ſed etiam effecit, vt aliquando videremur aliis ſcholaſticis nos oppoſituros eſſe, atque cum aliis non decertaturos ſolùm, ſed etiam præmia reportaturos, ſine quibus ignauia multorum cum ſummo probro atque dedecore gymnaſij per multos annos ex concertationibus excedebamus victi ſemper & ſuperati. Quo mihi etiam dignus videtur honor huic delatus fuiſſe Rhetori, Poeſeos, dicam an Rhetoricæ? an vtriuſque, id quod eſt honorificentius?

Effecta cum collatione & diſſimili.

QVid ergo quæris illum orationem non feciſſe tam politam, tam elegantem? A quo igitur eſt facta? opinor ſi incertum fuiſſet, quiſnam feciſſet, veriſimilius tamen eſſet, eum feciſſe, qui Rhetoricen audiiſſet? Deinde cùm eſſet nemini dubium, quin alias orationes publicè pronunciaſſet cum certè potius, qui nonnullas attuliſſet, quàm illum, qui nullas: poſtremò certè potius illum, qui biennium in Rhetorum claſſe fuiſſet, quàm eum, qui de quarta claſſe tranſiſſet ad Dialecticam, autorem conſtituemus.

Ex Effectu cum comparatione.

NEc verò illorum quiſquam, quibus à veteribus Romanis morte obitâ pro Republicâ poſitas in excelſo loco, atque in roſtris ſtatuas acceptiſtis ſtatutas, fuit minimo fidei Chriſtianæ Martyri aut acerbitate mortis, aut in ſuſceptâ moriendi

causâ præponendus, qui cùm causam virtutis, causam Romanæ sedis, causam Vicarij Christi IESV, causam Religionis susceperint, cumque præceptis Christi IESV, diuinæque legi parentes, fortitudine & alacritate mirabili occumberent, luce, palam, in mediis plateis, à nefariis pestibus & sacrorum Religionisque hostibus in Dei immortalis hominumque conspectu fuerunt confecti, non sine gaudiis & lætitiis maximis, multis præclarisque fortitudinis suæ datis testimoniis. Eorum igitur fortitudinem constantiamque quisquam spoliandam honoris & gloriæ diuinis ornamentis esse dicet, cuius mortem in sanctissimâ causâ ornandam monimento sempiternæ gloriæ omnes iudicauerunt?

Ad expoliendum ex causis & effectis.

QVam vos causam esse putatis, cur in tot Academiis, in tantâ multitudine adolescentum, in tantâ præstantiâ ingeniorum acerrimorum, in maximâ bonorum præceptorum copiâ, in tanto studio & accuratione bonarum artium tradendarum, tantis præsertim propositis præmiis, atque celsissimis Reipub. honoribus, tam sint pauci, tamque planè nulli numerentur, qui in literis plurimum excellant? Facilis est responsio. Omnes omittendæ sunt voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, sermones etiam penè nostrorum familiarium deserendi, suscipiendi labores, vigiliæque plurimæ, omnis denique corporum & animorum adhibenda contentio, contra vim imbecillitatemque naturæ nostræ. Addo etiam multos ab ineunte pueritia literarum inire cursum, quorum neque ingenium literis maturum est, & studia plus roboris ac firmitatis postulant: atque illorum inscientia & teneritudo nullis consiliis neque exemplis ad studium, ad laborem fingi formarique potest.

Post effecta causas exquirit Orator in parentem B. Barbaræ.

QVid accidit, cur tantopere pater filiam accusaret? vt eam neque securi percutere verecundaretur deficiente carnifice? Homines cuiuscumque generis, qui nomen Christianum, qui legem nostram odissent, cùm nostrorum Martyrum cruciatu atque supplicio pascere oculos, animosque satiare vellet, sanguinis accusandi nunquam iis animus fuit. Vnus plures Christianos prodidit; ecquando autem visus est quisquã tantâ crudelitate

crudelitate fuisse, vt filium aut filiam in iudicium adduxerit? At contra, quamcumque intrabat domum Prætor, nullum ex ea spectaculum parentes vinctorum comprehensorumque filiorum præbuerunt; sed ipsi vinciendos, confrindosque se dabant potius, quàm filij in vllum vitæ discrimen adducerentur: quia ipsorum filiorum amor omnium amorum iucundissimus generi hominum fuit, atque carissimus, & quia nihil est filijs amantius: nullum est autem testimonium amoris certius, quàm quos charos æquè ac te ipsum habueris, eorum nolle mortem aspicere, (quid dicam, quod tu fecisti, afferre velle?) Hanc igitur quam ob rem accusasti? quam ob rem occidisti? quamobrem in eâ carnificis officio functus fuisti? Ecquem audisti in orbe parentem, qui filiam manu sua indignissimè vita priuauerit? Fera tua & immanis natura fecit, crudelissimum, omnique diritate deterrimum in Christianos odium conceptum, compressumque hanc à te tantam, tam inauditam, ac planè feram crudelitatem extorsit.

Effecta cum causis.

QVid vis amplius? Quid diuitias appetis? Quid argentum & aurum concupiscis? Quid illius accumulandi causa dies noctesque laboras? Si victus quotidiani causa, satis iam bonorum tibi est, quid quæris amplius? Si honoris alicuius consequendi desiderio, quæ tibi cupiditas altioris loci, quem antequam consequaris propter pericula exhorrere debuisti. Sin metuis ab alijs dignitate superari, quid metuis, quos vides ipsos corpori officere; nunquam autem animum posse offendere? Sin quòd bona splendorem aliquem offerunt, & honorem, idcirco hæc ipsa omnibus modis coaceruare studes, nonne ostendis ea te æstimare, quæ præ bonis cœlestibus parui facere debebas? Facis iniuriam Deo, si maiorem spem dignitatis tuæ in bonis interituris ponis, quàm in iis opibus, quas Beati Ciues obtinebunt in perpetuum. Quod si tibi nulla causa est, cur huius sæculi bona tanta cupiditate velis appetere? Si tibi diuitias Beatorum propter sordes sæculi contemptissimas Deus immortalis largitur, nec quidquam relinques, quod non illis Beatorum palatijs infinitum in modum cumuletur & augeatur, per Deum immortalem, quæ est ista tanta cupiditas, tam inexhausta insatiabilisque libido? Quis vnquam homo fuit tam cæcus, quis tã temerarius & amens, vt cum Chrystallinam, atque perlucidam aquam haberet, perturbatam & cadaueribus inquinatã bibere

velit? Scis Franciscum nihil post sæculo nuntium remissum habuisse, nihil possedisse, omnia spreuisse, contempsisseque, nihil viro sanctissimo defuisse tamen, atq; hunc amorem tantæ paupertatis sponte ac voluntate sua delectæ fructus post mortem tulisse sempiternos. Nisi hoc alienum putas à fortuna tua, quem vestem & habitum Franciscanorum non induisse rectè scimus. Quasi verò cupiamus in Francisci sacrorum alumnorum angustias adducere fortunam tuam, quem ornatum, cultu honestorum non indigentem, non lacerata veste dissutáque horridum volumus, sed habentem ad viuendum quod satis est; non tamen mœrentem, neque tabescentem amplissimorum secundâ fortunâ, & illorum bonis & opibus inhiantem.

Effecta cum dubitatione & Apostrophe, ad Amplificationem.

FN Pompeij patremne appello, an filium? recentior memoria filij est, & cum bellis præsentibus coniunctior. Tantumne te appellē, cùm tibi vindictam, & quotidie secundiores exitus in bello pro Republica suscepto pollicebaris. Negabas filio æquè atque patri fortunâ infeliciter cessuram esse: vnus inuentus est, qui patrem & filium perdiderit, cum exercitu victore terrarum & maria præteruolauerit, ferrum tibi, tibi & tuis mortem minitans, & patris turpiorem exitum, ni te dederes, ni traderes exercitum, & quas vellet, quas optaret pacis conditiones offerret. Vnda tuorum acerno militum coòperta, campi sanguinis inundanti flumine manarunt, tu superatus vix fuga saluus euasisti. Venio ad Cn. Pompeium patrem, tu enim Pompei pater cùm Cæsar gener tuus fuisset, cum illū auctoritate iuuisses, cum ad Galliam primò obtinendam, deinde ad prorogandam adiutor auctorque fuisses, cumque omnia ad illum ornamenta detulisses, cùm victor fuisses omnium gentium ac nationum, hoc si quis tibi res tantas ad Cæsaris gloriam molienti diceret, fore tempus, cum is victor Galliarū, qui auctoritatem Senatus, iudiciū bonorum omnium neglexisset, tuam non modò personam bello persequendam, verum Principibus Romanis, cunctis senatoribus tecum Reipub. partes agentibus, arma capturum, disturbaturum exercitum, & ad filios bellum conuersurum, denique de filijs, de te patre, de cuncto senatu magnificè glorioseque triumphaturum; non responderes, id nisi machina propè mundi, atque hac prorsus vniuersitate ruente, accidere non posse? Quanta cōuersio status? quanta inclinatio tuorū tēporū?

Effecta

Effecta cum dißimilibus.

Ad reprehenſionem per dubitationem in L. Syllam dictatorem.

IN omne genus hominum improborum, vtrum ſuperbiam prius reprehendam, an crudelitatē? ſine dubitatione crudelitas grauior fuit ſemper, atque atrocior. Accepiſtiſne ex literarum annalibus, quemadmodum ſit iſte ſolitus proſcriptos homines in exilium mittere? quot neces fecerit, atque has intermiſsâ publicâ concione? Cùm illi, qui iugulabantur, luctibus & lamentis cōplerent omnia, perturbaretur multitudo, quieſcere iuſſit omnes, præter paucorum cædem, addens, qui ſuo iuſſu occiderentur, in ciuitate fieri mali nihil, cum præſcriptorum capita atria capere non poſſent, cùm viæ plateæque omnes ſanguinis flumine redundarent, atque ipſe crudelitate celebratus poſt hominum memoriam crudeliſſimi cognomen tyranni deportaſſet. Superbiâ verò quâ fuerit quis ignorat? quemadmodū Senatorem quemq; deſpexerit? poteſtate ſuâ per multum tempus fungi non pe miſerit? Senatorem nemo non Imperator magni habebat, & ad illum res omnes deferebat: nihil niſi quòd tantus ordo cenſeret faciundum putabat. Senatores is vt infimos, & contemptiſſimos homines tractauit: ſe ſolum fœlicem, ſe fortunatum, ſe Dominum cunctarum gentium appellans.

Ex effectis cum repugnantibus.

TV es auſus in publicum prodiens cum tuo illo ore impudenti dicere te parentibus audientem fuiſſe? Quo verbo fratres tuos, atque ſorores, tum cùm ad obſeruantiā te adducerent minus morigerū, ingratos monitores demōſtrabas fuiſſe. Tu obediens parentibus, quos neque oculis videre poteras, neque ſermonē illorū audire, quos videndos, audiendoſq; cunctis in rebus natura ipſa, Deuſq; immortalis dederūt? Tu patri tuo, matri etiam verba duo, ſi vnum facerent, reſpondebas, & quidem liberè nimis & audacter. Tu fratres in parentum obedientiā te reuocare volentes, orantes, atque ſupplicantes ſuperbiſſimis, & inſolentiſſimis verbis ab oculis tuis repuliſti. Idemque tu in parentis obſequio, & obſeruantia ſingulari, cum illi vnà cum canis, cum lacrymis te obſecrarent, tu auerſo vultu, tergoque verſo, immoderata brachiorum iactatione, tanta impietate, intem-

intemperantiaque fuisti, vt nec punctum quidem temporis interesse paterere inter abitum tuum atque obsecrationem paternam; saltem dum absolueretur obsecratio, & paternæ lacrymæ fluerent, non constitisti. Nondum quicquam significabat, cùm negabas; nondum patefecerat voluntatem, cùm notam tibi & exploratã dicebas, neque quidquam fieri posse dicebas, & quidem semper intemperanter. Atque nõ magno argumento hoc fuisse dicam, cur parentum colendorum mandatum non exequutus fueris? Neque tibi curæ fuisse confirmem eos, quos carissimos habere debueras, cum nihilo secius tractaueris sæpe, quàm administros parum tibi fideles, & multis in rebus vi potius & malè, quàm officio & voluntate obsequentes?

Effecta ad concludendum cum obtestatione.

INterea quidem per Deum immortalem, quoniam omnem nostram salutem, libertatem, dignitatem, gloriam beatorum & factorum nostrorum præstantiã pulcherrimorum, & Assertoris IESV maximis & immortalibus meritis obtinemus, à mandatis diuinis non discedamus, Iesum colamus, & in virgas, in spinas, in illius vulnera sanctissima mentis oculos tollamus. Simul & illud tanquam necessarium cogitemus, nisi virtute partâ, & meritis tanti Domini miseros nos & calamitosos futuros in perpetuum. His præsidiis munitos, tanquam duplici vallo septos, legiones inferorum non formidaturos esse, neque causam vllam formidandi nos habere: atque tandem futurum tempus, & diem illam adfuturam, cùm Dei gaudia verissima, pleniss imaque nobis pariamus.

Effecta ad concludendi rationem alteram.

FAciendum est igitur, Auditores, vobis, vt nomen Christiani sanctissimis actionibus comprobetis. Nec enim verũ Christianum quemquam post aliquod crimen capitula susceptum putare debitis, nisi ad se rediret, & peccati sordes ac maculas elueret. Quo enim puncto temporis inspectante immortali Deo audax, impudens, & temerarius plagam animo lethalem inflixit, & id egit, vt gratiam immortalis Dei abiiceret; eo die non modò se gratia tanti Domini, sed veri Christiani dignitate spoliauit. Esset enim statim deijciendus in inferorum regiones, si Deus hominem huiusmodi repentina morte voluisset opprimere.

CAVSÆ

CAVSÆ OMNES IN B. IGNATII CONFESSORIS LAVDEM honoremque collatæ.

SED *hæc omnia genera causarum in vnius Principis Ecclesiæ laudem conferamus, quo summam amplificandi ipsis ex causis petendam eloquentiæ studiosi habeant in promptu, maximè, qui non tantâ memoriâ sunt, vt tam multiplicem ac variam causarum amplificationem habere possint expeditam, & ad occasiones & opportunitates passim obuiam, pro quæstione qualibet Rhetoricæ producendâ in hunc Solem, & Theatra, atque adeò in templa celebriora, ceu magni Theologi concionantes solent.*

Ex fine in laudem Beati Ignatij Confessoris.

CVm domo fraternâ, cùm paternis laribus, cùm patrio solo excederes, Ignati sanctissime, cùm relinqueres inanis sæculi iactationem, cùm aulæ Regiæ, Principum palatiis, militari iactationi nuntium remitteres, cùm in itinere dimitteres famulos, & remaneres solus, cogitationis susceptæ tandem & voluntatis explendæ proposito, ac deliberatione constanti, cùm incidens in pauperem vestes cum illo commutares, & vestitu pretioso te exuens, indueres te attrito, lacero, milleque centonibus resarto, cùm vicatim, ostiatimque corrogares stipem, & te in Xenodochium conferens, in pannosos, pedore, squalore obsitos pauperes inferres, & vnà cum illis caperes cibum, cubares humi, hyeme totus frigore tremens, video quò tuæ cogitationes spectarent: vt inires vitam consilorum Christi rationibus innitentem, & ad perfectionis modos exquisitos aspirares breui magnis Dei muneribus, & donis cœlestibus afficiendus.

Ex

Ex efficienti in laudem B. Ignatij Confessoris.

AMor ille diuinus, qui in tuis visceribus hæret, Ignati clarissime, magnam in te vim habet, vt nihil cogites, nisi gloriâ diuini numinis: nihil agas, nisi actiones tuas in hanc gloriam Dei celsissimam conferens: nihil loquaris, nisi cœleste ac diuinum, & tanti Domini decus immortale spectans. Cùm regimen fœminarum à Societate repellis, cùm varijs tempestatibus in te vnum excitatis gaudes, cùm plebi fame periclitanti succurris, cùm Romam cum primis comitibus contendis, veterem plebis erudiendæ morem, & frequentē vsum Confessionis & Eucharistiæ restituis, cùm honoribus in Societatem aditum obstruis, cùm distribuis iam Societatem in prouincias, & has prouincias in varias terrarum partes describis, cum summo Magistratu te ipsum abdicare conaris, hac amoris diuini magnitudine flagrabas. Cùm postremò visiones cœlestes, tot luminum stupendorum clarissimam lucem, ingentem miraculorum multitudinem à Deo tibi datam & impertitam vides, & Deum ipsum horum bonorum ac munerum diuinorum auctorem recognoscis, amor ipse diuinus princeps fuit in te tot & tam illustria monumenta cumulans & augens, & adducens te ipsum in tam illustrem ac veram immortalis Dei cognitionem.

Ex forma ad laudem B. Ignatij Confessorij.

VIdeo te, Princeps Ecclesiæ clarissime, varia multiplicique forma fulgentem, gladio accinctum ab vno latere, & ab altero sica, pretiosis vestibus indutum, famulis ac pueris comitatum, in Aula Regia versantem, & cum Principibus Hispaniarum agentem. Video præterea cum galea in capite, cum lorica in pectore, in vna manu scutum, in altera gladium, vel hastam tenentem, & peditem, aut equitem magnas strages edentem, partes tuorū fortiter & acriter defendentem. Video te sacco asperrimo vestitum, fune præcinctum crassissimo, & ex illo pendentem scuticam ferreis rotulis, & globulis acutissimis ad carnem lacerandā insertis. Iam alio vultu, ore pallido, longissimo iam capillo, impexa longioreque barba, squalidum & horridum macie propè confectum, & totum exhaustum, nudis pedibus omni tempore, summa etiam hyeme incedentem. Video te in habitu ac forma peregrini Ierosolymam contendentem:

Video

Video te tunica talari, & epitogio, qui communis vestitus est Presbyterorum Ecclesiæ honestissimorum, saluti animorum consulentem, & huius rei causa nouam, afflante Spiritu cœlesti Religionem instituentem, à Romanis admissam Pontificibus, & eorum auctoritate confirmatam. Quid hæ, Patriarcha clarissime, tam variæ multiplicesque formæ? Tempora equidem sæculi, & tuæ traductionis, & instituti, ac societatis nobis ante oculos statuuntur.

Ex materia in laudem Beati Ignatij Confessoris.

QVàm varia multipliciaque sunt munera, quæ præstas, Heros diuine, cùm te in Xenodochia confers, & pauperibus in lecto iacẽtibus inseruis, & infima lætus & hilaris officia facis eorũ, quos alij fugere & vitare solent, fastidiens neminẽ. Quid dicam te lectos sternere? quid purgare eosdem? quid pauperes medios amplecti? collocare in lectis? fratres tuos, & carissimos quidem appellare? in singulis te ipsum intueri Christi IESV personam sanctissimam? Illa magna sunt, cùm obis vias, lustras plateas, inuestigas pauperes, in xenodochia defers curandos, & omnibus modis fouendos curas; cum pro vijs publicis, pro compitis, pro plateis, pro locis celebrioribus pueros, & plebem infimam Doctrinæ Christianæ rudimentis imbuendam instituere conaris, & conciones habere de vitijs, de virtutibus, de pœnis inferorum, de gloria Beatorum, de omni denique Christianæ Religionis instituto. Christi gloriæ appetentissima materia est hæc tam multiplex, & tua, & tuorum Religione dignissima. Iam verò cum vis prima docere pueros elementa, & scribere, & legere eosdem ab indice Alphabetario tuorum opera ducentes primordia suæ institutionis, occupationes sunt hæ tuorum, per te traditæ tuis, atque demandatæ. Nullum apud te tam humile, tam infimum officium, quod Deo gloriã attingens non magni facias: vt iam mirari desinamus humaniores omnes disciplinas, Latinas, Græcas, Hebraicas, Rhetoricen ipsam à tuis tradi, & cum eadem liberalium artium studia coniungi. Notæ sunt sacrarum literarũ diuinæ Theologæ officinæ parentes & apertæ cuicunq; sciendi cupidissimo. In Confessionibus audiendis, in ministranda sacra Eucharistia, in habendis concionibus, in ope subsidioque morientibus ferendo, in omni re salutem animorum, & gloriam Dei spectante tui operam & studium nauant te Duce præceptoreque cunctarum exercitationum insigni.

Effecta

Effecta in laudem B. Ignatij Confessoris.

QVæ signa apparent, & oculis omnium spectantur Beati Ignatij non adumbrata, sed maximarum expressa virtutum. Prodeat paupertas Societatis IESV, quam audeo dicere, omnium maximam & angustissimam cunctarum nostræ Religionis sacrarum esse familiarum. Adsit integritas corporis & animi virginitas illa Angelica, quâ nec minimo sensu caro tentata fuit à virginis visione. Caritas dicet. Ignatium in medias flammas pro salute proximorum irruere paratissimum fuisse, & quodcunque libenter, & lætè admodum appetiisse mortis periculum: quod Romano Pontifici se, suosque præcipuo obedientiæ voto astrinxit, quod Christi nomen in orbis terræ fines vltimos, & vexillum IESV glorioſissimè triumphans tantâ Christiani honoris celebritate penetrauerit Duce Ignatio, suis nullam oram, regionemque non obeuntibus, quòd tot cõfessores, tot martyres pepererit Ecclesiæ: quod sui signis semper infestissimis contra hæreseos sectatores conflixerint sæpè vitam cum sanguine profundentes: quod sui omnis generis literarum cognitione, quod voluminibus tam multis proditis, & quotidie exeuntibus in publicum, Ecclesiæ lucem attulerunt: quod de cathedris, de suggestis, & in Academiis & in templis ad instituendos & literis & virtutibus animos tantam vim adhibuerunt, effecta sunt profectò pulcherrima, spiritus, & eximiæ virtutis Ignatij Confessoris. Iam verò beatificatio ipsa & ad illam confirmandam auctoritatis vicarij Christi IESV, tot prodigijs virtutum, & miraculorum stupendorum adducta, dies ipsi festi, tam multa spectacula, tam varij apparatissimique ludi, cunctarum ferè maximarum Ecclesiarum, & ciuitatum singularium, & equitum, & dynastarum maximorum ad dies hos celebrandos, & omni magnificentiâ certè quidem augendos mirabilis conspiratio, decretaque exeuntia in publicũ, vim & splendorem habebunt insignem. Nolo attingere quæ libris iam typis excusis, & foras emissis, nota sunt & testata generi mortalium vniuerso. Dicam quæ nõdum literis mandata sunt: quæ in Cantabriâ in prouinciâ Guipozcoâ, in patrio solo Beatissimi Ignatij tantâ conspiratione cunctorum celebrata fuere: quod octo dialia consequuta diem solemnem celebrata fuerunt, quòd ludi apparatissimi, quod taurorum agitationes bis, quod simulationes personarum, quod inuenta multa, quod

singulis

singulis suis diebus spectaculorum varietas populo adhibita fuit, quod tot populorum effusiones, & concursus ex prouinciis maximus spectatus, & festorum dierum, & obeundi sacelli Petri sanctissimi, & illius palatii colendi causa, in quo ille natus & editus in hanc lucem, signa videntur mirandæ sanctitatis, ob quę in illum omnes propensi, mirèque affecti fuerunt. Idem prædicauit adhibitus summâ religione cultus, decantatæ solemni more, modulationeque Ecclesiæ concinente vespertinæ preces & sacrum quanto ritu cæremoniisque celebrioribus fieri potuit atque celebrari. Adhæc cum more maximorum Ecclesiæ heroum, peruigiliis, & ad inediam solemnem, & ad colendas ferias huiusce Patriarchæ totos annos voti religione Oppidani Cantabri constrinxerunt sese; cum visitatis anni temporibus & ter decantanda sacra, & ad sacelli & Ecclesiæ maiorem religionem, cultumque sacerdotia (quæ Capellaniæ dicuntur) suis reditibus annuis fundarunt, atq; stabilierunt ciues ipsi de communi conspiratione Oppidanorum & Principum totius prouinciæ; cum miracula facta plurima locis in illis, aliisq; in sedibus Beatificationis huiusce celebratæque; cum nullus ferè in Cantabriæ partibus illis naseatur infans, qui non Ignatii nomine & honore afficiatur, signa sunt hæc maximæ Beatissimi Ignatii sanctimoniæ. Mitto innumerabilia quæ afferri possent. Cum in Portugallia in cæteras partes desertas & propinquiores agros, camposque patentes ingentes aquæ effudissent sese, parcentes machinationibus puluere tormentario plenis & rotulis, ipsis papyraceis tormentis vndique circumdatis, quæ vis, & quam ingens magnitudo miraculi fuit, cum nubes ipsæ vrbem transierint, & mœnia salua reliquerint, post vrbis portas confestim delabentibus ingenti fragore montibus aquarum crassissimis? Quid de infante dicam, qui nondum sacro fonte ablutus, decertante matre cum parente, de nomine, quo afficiendus esset, ad sacra suscipienda delatus in templum, ore proloquutus, & distinctos sonos edens, sustulit controuersiam, nomen Ignatii, quod sibi imponendum esset, indicans & proferens? Sed abstineamus à miraculis persequendis, in tanta fœlicitati Societatis IESV inuidentium copiâ, in tot obtrectatorum, & maleuolorum multitudine. Age verò quantum habet & ostendit sanctitatis in Ignatio, ipsius societatis incrementum, tam breui tempore tot aucta collegia, tot ædes probationis, tot professorum domus, tot prouinciæ, tam longè, lateque diffusi socii IESV, illorum bonus odor sanctitatis, tot

fructus allati & litterarum, & virtutis? Iidem socii eum ignominia tonante aduersariorum tumultu cum dedecore & ignominia expulsi, summo mox honore & gloria reuertentes, & & plausu tanto, tanta acclamatione redditi & restituti, quantam ostendunt capitis & fundatoris sui virtutem & sanctitatem absolutam? Nihil sanctitatis, Auditores, nihil miraculorum, nihil prodigiorum stupendorum in aliis Patriarchis Ecclesiæ celsissimis reperietis, quod non in beato Confessore eluceat, & emineat Ignatio. Quæ si vera, si sancta, si testata, si re comparata sunt, colite Auditores tantum Ecclesiæ Principem, & lumen cœli clarissimum, tanta sanctitate præditum, decus & gloriam Ecclesiæ illis temporibus ab immortali Deo reseruatam. Quibus multis in locis labantem, & iam cadentem Religionem sua ope, suorumque subsidio fulcire potuit, poterit cæteris in partibus stantem fidem conseruare, & exemplo vitæ, concionibus, consiliis salutaribus, doctrina disciplinaque Christi IESV gloriam & honorem augere.

Quem locum teneant in Oratione.

APparet non solùm in confirmatione & in amplificatione, sed etiam ex Cicerone in Exordiis, in Narratione, & in Confirmatione ob varia officiorum genera, in quibus vim suam ostendunt, locum habere causas. Quod in Exordiis primum appareat ex ordine partium Orationis.

Exordium ab Enumeratione causarum.

CRedo ego vos, Auditores optimi, mirari, quid sit, quod cum tot præclari adolescentes, egregiique Oratores in hac Complutensi Academia sint; ego potissimum in hanc theatri celebritatem prodierim, qui neque hisce viribus, neque firmis lateribus, sed affecta iam ætate, & prope senectute media fuerim, vt his, qui dicere potuissent, essem procul dubio posthabendus. Omnes equidem ii, quos posse benedicere non ignoratis in hac laudatione, tantam loci dignitatem propter temporum breuitatem contingere noluerunt. Ita fit, vt adsint, propterea quod honestatum lauream venerunt, vacant autem idcirco, quia prouinciam suscipere recusarunt. An cæteris ego in arte benedicendi præstantior? minimè verò neque illius adeo sum peritus, vt aliis eloquentiæ laudem non tribuam. Quæ me igi-

tur

tur res præter cæteros impulit, vt laudes Doctoris sapientissimi prædicarem? Quia si quis præsentium Oratorum, quos Academia videtis habere, in quibus summa vbertas est, & facultas orationis, si quis, inquam, orationē habuisset, id quod hodierno die fieri necesse est, multò minorem gloriam sibi comparasset, quam comparasse putaretur. Ego etiam, si nullam mihi gloriam peperero, quæ in huiusmodi literatiis actionibus potissimū spectanda est, nequaquam tamen honorem, qui nullum consecutus fuerim, amisisse videbor. Deinde quod cęterorum, neque accurata admodum oratio tanta videri potest propter præstantiam & laudem suam: Ego si quid minus politum dixero, vel minus reprehendendum videbitur, quod non ad Eloquentiam me totum contulerim, vel ignosci occupationibus meis poterit, quibus detentus tam elaboratam & politam orationem habere nequiuerim. Accedit illa quoque causa, quod à cæteris forsitan ita petitum sit, vt vtrumuis saluo officio, & elegantia communi se facere posse viderint: A me autem is petiit, qui me & iure suo, & officiis omnibus cogere visus est: cuius ego neq; potestatem in me, neque summa in me, fratresque meos merita negligere debeam. His de causis ego hanc prouinciam orator vnus accepi, non comparatus vnus, qui multo tempore instructus ad laudem accessissem, neque in adolescentiæ flore, vt suauitate vocis, & magna contentione dicerem: sed coactus præ omnibus, qui tot vinculis & tam acerrimis constrictus me expedire non possem. Forsitan quæratis, quis iste tantus casus, & quæ tanta necessitas, quæ tot ac tantos oratores deterruerit, quo minus in laudem tanti Doctoris, quemadmodum consueuerint, orationem velint habere? quod adhuc multos ignorare non mirum est. Propterea quod abhinc triduum eius rei, quæ lauream hanc anteuertit, causa publicata est. Res ea est, sacerdotii in Ecclesia Hispalensi possessio capienda, cuius ad illum nuncii diplomataque Romani Pontificis auctoritate testata confirmataque venerunt. Hæc necessitatem attulit, ne sine laurea discederet: hinc aliorum Doctorum laurea noto & veteri more capiunda fuit.

Exordium per præoccupationem, causas officii reddens.

SI quis vestrum Auditores, aut eorū, qui adsunt, forte miretur, me, qui ab hoc dicendi genere iam pridem abstinueram, atq; ita cecineram receptui, vt rarò me proditurum in publicū

fuisse cuncti putarent, tam breuiter, vix vno mense præterito, in hanc loci celebritatem ad dicendum prodierint; is si orationis habendæ causam rationemque cognouerit, vna & id, quo facio, approbabit, & nullum apprehensioni relictum fuisse locum videbit. Cum collega trilinguis in hac Academia fuissem, Auditores, atque ex hoc collegio decessissem, vt aditum mihi in Theologorum sodalitatem patefacerem, factū est, vt cum nonnullum in meis vigiliis & laboribus, tum maximum in Doctore sapientissimo præsidium meis contentionibus positum esse arbitrarer. Itaque cum multi illius opem implorantes, ad illum supplices venissent, vt suæ petitionis causam contentionemque susciperet; se sæpe esse pollicitum, sæpe promisisse dicebat, si quod tempus accidisset, quo aliquid ab eo requirerem, commodis meis, saluâ semper iustitiâ, se non defuturum. Venisse tempus respondebat canditatis, non iam vt causam meam, sed omnibus exploratam iustitiam defenderet; me neque hominem quidem in hac Academia, ad quem confidentius confugerem, habere, quod eorum gratiam studiis deditus, parietumque vmbraculis tectus non magnopere acquisissem. Quas res labor in studiis, ingenia in litterariis actionibus, virtus in omni contentione efficere debuisset: eas omnes me nunquam non publicis omnium testimoniis præstitisse, rogare & orare, sibi veniam illi darent, qui fidem mihi iam diu astrinxisset, & sine summo scelere minimè violare posset. Tuli grauiter & acerbè, Auditores, vt aut tanto Doctori viderer ingratus, à quo tantoperè fueram adiutus: aut si ego, qui me ad aliorum laureā & laudem non admodum multis precibus antea contulissem, istius viri de me tantopere meriti temporibus & honore cohonestando non obtulissem. Dicetis habere illum alios Oratores obligatos sibi, valdeque deuinctos, qui præsertim aliis temporibus, eisdem in contentionibus ab eodem adiuti fuissent. Quo ego exemplo ingratā animi labe aspergerer, si quam gratiam alii referebant, hanc ego non referrem, id mihi quam fuisset turpe, quis non aspiciet? Adductus igitur sum officio, fide, virtute, beneficiis omnibus, gratorum hominum exemplo, naturæ vi, lege communi, vt laudem præsentis laureæ ex sapientissimi Doctoris tempore florentissimo susciperem. Qua in oratione, Auditores, illa me res magnopere delectat, quod hæc, quæ videtur ardua prouincia, non tam difficilis est, quam propter multitudinem rerum, de quibus à me dicendum est, iucunda. Commendo enim virum nobilem, sa-

pientis-

pientissimum Doctorem, varia multiplicique cognitione præstantem. Quamobrem si propter materiã copiosam fuerat expetenda, hæc vna est, quæ nos in libero, lateque patenti campo compellet excurrere. Quod si hanc materiam tam copiosam, tam illustrem, tam singularem non haberem, si aut hoc vir iste sapientissimus non petiisset, aut mihi cum Doctore hoc Ioanne Ildenphonso causa tantæ necessitudinis non intercederet, & hoc quod facio, me ferendæ gratiæ causa faeere non profiterer, vt homo singularibus in me meritis & beneficiis immortalibus aliquod à me grati animi testimonium haberet, tamen vt hominum sermonem fugerem, & linguas in me iure quidem optimo concitatas declinarem, in hanc theatri lucem prodire non recusarem. Quamobrem dum de illius laudibus & ornamentis maximis constituto breui tempore, verba facio, vestra me quæso singularis humanitas & attentio in finem vsque prosequantur.

Tertium exordium ex causis, cum partibus absoluti exordii.

QVamquam mihi semper frequentia vestri ordinis formidolosa, celebritas huiusce loci similiter ad agendum metuenda, ad dicendum propter amplitudinem planè fugienda visa est: tamen præsentis aditu laudationis non mea me audacia, sed temporum difficultas, ne tacere contenderem, hodierno die fecit. Nam cum antea propter sapientiam vestram & tanti suggesti dignitatem non auderem in hanc theatri mediam celebritatem descendere, statueremque huc nihil nisi excultum labore, perpolitum arte afferri oportere, omnem meam industriam priuatis gymnasiorum exercitationibus adhibendam putaui. Ita neque hic locus vacuus vnquam fuit bonis oratoribus, qui sanctorum virtutes commendarent, & meus labor intra domesticos parietes versatus, aliquam orationem magis elaboratam comparare sibi potuit. Nam cum propter huius auctoritatem loci ad orationis aliquam facultatem, copiamque consequendam magis incumberem, perfeci, Auditores, vt aliquid elaboratius, quam antea proferrem. Nunc cum & temporis tantum huic exercitationi tribuerem, quantum huiusce facultatis studiosi; & ad dicendum ætatis tantum accesserit, quantum vires & latera nostra ferunt, si quid oratione potuero, his feriis sanctissimi Læandri, qui nostris sæpe rebus opem & auxilium tulit tribuendum, deuouendumque censeo. Atque illud

imprimis mihi lætandum iure video, quod in hac prima ex hoc loco ratione dicendi materia, talis oblata est, in qua oratio nemini deesse possit. Dicendum est enim mihi de B Læandri singulari maximaque virtute: huius autem orationis difficilius est exitum quam principium inuenire. Itaque mihi non tam copia, quam modus in dicendo quærendus est.

Quartum exordium ex eisdem causis cum partibus plenioris & absolutioris exordii.

IMmortalis gloriæ ostendendæ, quam in cœlesti regione sibi comparauit Beatus Hyacinthus, non casu aliquo, vel æmulatione proposita, sed partim opportunitate temporis oblati, partim dignitate sua hisce fœliciſſimis temporibus, cum in aliis terrarum partibus celebrata, tum Hispali paucos post menses celebranda, initium hodierna dies attulit, eademque occasione, quæ Heros iste sanctissimus sibi ornamenta peperit, ex hac loci celebritate commendanda. Tantam enim gloriam comparatam, tam eximium & immortalem ordini Dominicatorum honorem allatum, tam cœlestem ac plenè diuinam in sanctorũ cætu sedem adeptam taciti nullo modo præterire possumus. Diuo enim Hyacintho in sanctorum numerum adscripto, non solum illius virtutem, sed Matris Ecclesiæ fœlicitatem in tanta præsentium hæreticorum sentina laudatam ornatamque video. Gaudeo enim, vehementerque lætor B. Hyacinthum, qui de sanctissima sacri Dominici familia fuit, in tantam gloriam euectum fuisse. Neq; sanè me facere officium filiorum egregiè fidelium satis vnquam putarem, nisi tantæ Religionis, atque nostræ fidei sanctissimo glorioſissimoque Patre, quibus modis, cuique datum esset, laudibus & honoribus affecto. Ergo & mihi, & reliquis mei simillimis oratoribus cum gloria Patris celsissimi, tum honores ab omni fere Christiana gente tributi, quasi stimulos & calcaria, ad aliquid de sua sanctitate dicendum, admouerunt. Intellectum est istud maximè in feriis Hyacinthinis in Octobrem mensem, vt maior honoris accessio fieret ab Hispalensi senatu reseruatis. Ille quidem Pater sanctissimus fructus omnis antea actæ vitæ cum iam pridem à discessu animi è corpore in cœlesti aula tulerit: hac ætate fœliciſſima exultãtis Matris Ecclesiæ gaudio & incredibili lętitia tum summo Romani Pontificis iudicio facto, & afflatu Spiritus Diuini ad illum in sanctorũ ordinem adscribendum in his terrarũ sedibus interpositi,

interpositaauctoritate tulit. Ex quo profectò intelligi potest, quanta in B. Hyacintho sit gloria, & dignitas insignis, cum in comprobante sanctitatem suam non minor, quam Vicarii Christi IESV sit cœlestis celsitas & amplitudo diuina. Quod quidem B. Hyacintho suis maximis & cœlestibus meritis, iure quidem optimo contigit.

Quintum Exordium.

ASpectus iste vester iucundissimus, frequentiaque tanta, quantam me intueri gaudeo, & alacritatem mihi summam affert orationis habendæ, & spem laudationis susceptæ aliqua ex parte satisfaciendi: quanquam enim animus mihi semper fuit in hunc locum veniendi, ætas tamen & anni defuerunt, qui simul atque accedere visi sunt, auidus equidem fui huiusce semper lucis aspiciendæ. Quod si antea id facere potuissem, nunquam tentare postea sine dubitatione desinerem. Hodierno equidem die, cum me & vestra dignitas & concio tanta recreauerit, fundamenta iacere potui orationum in posterum habendarum. Nam est commendatus à nobis Licentiatus dignissimus, & abundans iis ornamentis, quæ mihi materiam orationis amplissimam suppeditarunt. Atque ego tum erectior ad dicendum, quanto minore cum expectatione in hunc locum ascendi. Et quidem cum hodierno die primum prodeam in hanc theatri lucem clarissimam, paululum si ornatè dixero, adolescentiæ ignoscì potest, cuius in vbertate summa inesse solet luxuries quædam, quæ annis & ætate depascenda est. Quam si primum accedens ad forum de se confiteri non est verecundatus orator, neque nos affici pudore debemus, si adolescentes elaboratum nihil & absolutum, in tanta præsertim literatorum & eloquentium multitudine protulisse videamur: in qua tot sunt Roscii, quot auditores. Si quis in culpa ponendus est, ipse est præcipuè noster Licentiatus, cuius de laudibus, vt diceremus aliis præteritis consummatis oratoribus, in quos oculos conijcere potuisset, ab eodem tanta voluptate electi fuimus. Quare dum munus demandatum obeo, me quæso vestra animorum attentio singularis in exitum vsque prosequatur.

Sextum exordium ab eisdem causis.

SI quantum in Theatris, locisque celebrioribus eloquentia boni oratoris potest, tantum in hoc concessu atque auditorum celebritate oratio mea valeret, nō minus in hac prouincia, & munere demandato cederem orator eloquentium virorum orationi, quam tum in suspiciendâ, cum multum ac vehementer obstiti deferenti. Verum & illud hominis esse putaui, qua de re prouinciam oratorem suscipere oporteret, animis deinde non amplius contendere: & hoc constantis, qui cum fidem deposcenti obligare decreuissem, eam suo tempore egregiè fideliterque præstare. Atque ego quidem cum audax præcipuè fuisse videbor in commendando homine doctissimo, tum impudens in hoc amplissimo loco tot virorum splendore charitateque decorato: non solum quod in hanc loci amplitudinem prodire ausus fuerim (quod tametsi audacter sit in materia difficili, tamen exemplo multorum non est tam temerarium) sed quod non dubitaui, id ipsum quod difficultatem habet, laudem scilicet tanti, & tam amplissimi viri meis viribus imparem confiteri: & quod nemo in tam exiguo spatio temporis ausus est, id mearū virium imbecillitate tentare ausum esse. Nisi forte hoc rationis habet, quoniam cum facta vis fuerit in tanta temporis breuitate, & amicorum & hominum de me bene meritorum coactu faciendum decreuerim. At si in hoc theatro more institutoque aliorum Oratorum, qui opinionis suæ discrimen nullum subire voluerunt, non ageretur, vt primus in laurea Doctoris suscipienda Franciscus Antonius fuisset. Quia præter spem, præter communem cunctorum opinionem accidit, vt quod prorogatum tempus fuerat, id propositum fuerit multò ante, in curam Regiam (quod omnes sciunt) instante necessaria, celerique profectione. Quamobrem ignosci audaciæ meæ debet, quod tanto honoris mei discrimine temporis, quod ablatum fuit, rationem non habuerim. Nec impudentiæ tribui potest, cum benigitati auditorum fidens, contendentis preces exaudiuerim tanto laudandi Doctoris commodo & vtilitate præsenti: neque laudes virorum præstantissimorum vllius oratoris inscientia, aut inopia orationis veterem suam & illustrem amplitudinem amittunt. Quare dum laudes, viri præstantissimi vtilitatibus seruiens, voluntati morigerans, & honoris mei parum curans fretus benignitate vestra persequor, me ex hoc loco dicentem benevolis, & attentis auribus excipite.

Septimum

Septimum exordium. Ex eisdem causis:

ETsi vereor, ne probro mihi detur, pro sapientissimo viro me habiturum orationem, in hunc locum hominem parum in dicendo versatum descendere, minimèque deceat, cum Doctor hic præstantissimus magis de re literaria, quam optimi quique Duces de militari gloriari possit, me ad eius laudem parum orationis elegantiam & ornatum afferre non posse. Tamen tot Principes eloquentiæ, & omnis generis literarum multitudo, quæ ad hanc lauream conuenit, magis terret oculos meos, qui quocunque inciderint, florem eloquentiæ, & luminis totius sapientiæ intuentur. Non enim locus iste aliquorum parum doctorum hominum consessu, non ego exiguo studiosorum numero stipati sumus. Nam illi magistri eloquentiæ, qui non solum adesse solent, & coryphæi sacræ disciplinę, cæteriq; reliquarum artium & disciplinarum principes, qui nisi semel aut iterum oculis Oratoris cernuntur, etsi ad decorandam huiusce diei celebritatem conuenerunt, quanquam tantis honoris & gloriæ insignibus cohonestamur, afferunt tamen aspectu præsentiaque sua Oratori timoris non parum, vt ex hoc loco tot sapientissimis hominibus audientibus dicere sine timore magno non possimus. Quos si ex mei ingenii tenuitate & mediocri vsu & exercitatione orationem æstimaturos magis, quam ex suæ eloquentiæ viribus & immenso ac profundo sapientiæ pelago censerem, deponerem profecto onus, nec inter tantam vim & magnitudinem artis oratoriæ, & sapientiæ, existimarem meæ orationi locum futurum esse. Sed me recreat eloquentissimorum & sapientissimorum hominum consilium & prudentia maxima, qui profecto nec inopiæ, nec tenuitatis nostræ putabunt esse, quem oratorem nunc primum ferè theatra hæc amplissima acceperunt, eundem posse tantæ suæ eloquentiæ, & sapientiæ maximæ horridâ & inculta, & nunc primum ex vmbraculis in hanc lucem prodeunte oratiunculâ satisfacere. Quamobrem tot Oratores antiquissimi, Iurisconsulti, Medici, Theologi sapientissimi non periculum honoris, sed fauorem denuntiant, neq; vt perturbato, sed vt pacato animo dicamus, hortantur, neq; silentium modo orationi nostræ, verum etiam animos & alacritatem præsentiâ pollicentur. Reliqua verò multitudo, quæ tota est auditorum, tota nostra est, neque sane quisquam eorum, quos vndique stantes, aut considentes extra cancellos suis in gradibus audire nostra ver-

ba cerno, & huius laudis exitum expectantes, non cum dignitati Doctoris clarissimi fauet, tum de se, de suis orationibus, de muneribus ad hoc theatrum demandatis, non aliquot postea diebus idem fieri iudicium posse arbitrabitur. Verum genus est aliqua ex parte aduersum, & infestum huic Oratoriæ actioni, & eorum, quos orationes habitæ, verborum & sententiarum luminibus distinctæ claros & illustres oratores reddiderunt; qui celebritate nominis comparata nobis timorem etiam injcere possent; quorum laus cum multis orationibus illustris sit, admonere me debuit, vt hunc primum ad laudem istiusmodi introitum non deformidem, qui vnam, alteram & plures orationes pro consequenda numinis gloria sæpius habuerunt. Quamobrem adsum animo promptiori, & timorem quemcunq; habebam, depono. Nam si vnquã de laboribus, & de studiis, de sapientia omni honore decoranda cohonestandaq; animi, voluntatesque perspectæ fuerunt, si denique vnquam locus amplissimorum ordinum Patribus amplissimis datus est, vbi studia sua in literatos, & omnibus sapientiæ ornamentis præditos Doctores, & vultu, & silentio, & animorum perspicua benignitate declararent, hoc profectò tempore eam occasionem nacti fuerunt, vt ostendant eos, qui semper literis ac virtuti dediti fuerunt, quique tantas & tam mirabiles progressiones fecerunt, meritos fuisse, qui ab illis ornati decoratique hoc potissimum tempore, in persona tanti Doctoris, per eorum virtutem, beneficentiam, liberalitatemque cohonestentur.

Octauum Exordium. Ex eisdem Causis.

SVmmæ præpotentisque terrarum Imperatrieis, quæ diebus præteritis diem suum obiit, vitæ integritatis ostendendæ, non consuetudine Hispaniarum, sed partim rerum suarum admiratione, partim Regii, Imperatoriique sanguinis virtute perspecta, necessitatem præsens exequiarum dies attulit, eademq; materiam, quæque dolorem efficiet, quæque augebit vehementer in tanto funeris mœrore demonstrabit. Tantam enim Imperatricis dignitatem, tam summam præcelsamque maiestatem, tam incredibiles illius admirandasque virtutes, tantam in summa Imperatoriæ maiestatis gloria benignitatem, tam denique memorabilem, ac plane celebrandam religionem, summo studio ac pietate proferre debemus. Imperatrice enim celsissima

sissima commendata, non solum illius stirpem Regiam & Imperatoriam, sed Regias & Imperatrice Christiana dignissimas virtutes commendatas prædicatasque video. Admirati enim fuimus, ac vehementer admirati, cum videremus talem ac tantam Imperatricem, quæ in tanto honore & gloria fuisset, tanta præditam fuisse sanctitate, in tantæ præsertim dominationis, ac florentissimæ fortunæ gloria, quæ res diuinas, quæ Deum immortalem sæculi tumultu & inanitate non raro quidem obruta obliuisci solet. Nec mihi persuadere potui, nec fas esse existimaui prætetire diem hunc silentio, tanta, tamque suprema præponentique Domina tantarum virtutum & ornamentorum cœlestium participe non honore istiusmodi eximio & illustri decorata. Ergo & mihi inusitatam hanc, & ad hodiernum vsque diem præclusam viam tantarum virtutum admiratio religioque patefecit, & omnibus votis ad beneuolas aures attentioresque mentes præbendas faces ardentes admouit. Intellectum est enim omnibus quidem in his ornamentis celebrandis, & maxime in pietate sanctitateque commemoranda, cum Imperatricem Christianissimam religiosissimamque Regi potentissimo, Reginæq; cum illa sanguinis communione coniunctis, tot Principibus & Magistratibus Hispaniarum in tanto dolore ac mœrore versantibus ostenderimus, commemoratis præsertim illius præclarissimis actionibus, tot virtutibus ac moribus integerrimis, & extantibus in Christianam Religionem tot eiusdem meritis immortalibus, illos omnes & Reges præcipuè potentissimos huiusce sæculi gloriam quancunque, & splendorem, claritatemque Regiæ maiestatis Beatorum honoribus & dignitatibus sempiternis conaturos anteferre. Illa quidem fructum omnis anteactæ vitæ in cœlesti aula maximũ iam accepisse cogitare debemus, cum summo gaudio Beatorum omnium, tum maximæ, sanctissimæq; Triados, quæ merita bonorum cumulatè compensare nunquã desinet, & efficere præmiis immortalibus, maximis, magnificentissimisque benignitate consueta. Ex quo intelligi debebit, quanta in virtute diligentissimè, sanctissimeque semper culta sit dignitas, cum in acceptis præmiis tanta spectetur in Dominam celsissimam diuini numinis largitas ac beneficia. Erit verè fortunata illa, cuius ex meritis & virtutibus maior multo consequuta, quam in hoc sæculo perfruebatur, & perfrui poterat, ad animum gloriæ magnitudo redundauerit. Quod quidem sanctissimæ Imperatrici iure

iure quidem optimo accidit: quæ enim est illa ex omni genere mulierum in tanto honore & gloria versanta? quæ aut generis claritate, aut pietate, aut religione, aut omni genere virtutum præstantior?

Nouum exordium in laudem B. Sebastiani.

CVm propter egregiam ac singularem B. Sebastiani, Iudices, in Hispalensium salute custodienda & crudelissima pestilentiâ à nostris ciuibus, à viris, à mulieribus auertenda opem allatam & auxilium singulare, tum multos & bonos Poëtas, & egregios Oratores eius laudibus viderem accessisse præcones, capiebam animo non mediocrem voluptatem, quod cuius intercessio apud Deum immortalem vniuerso populo Hispalensi saluti fuerit, de eiusdem, bonorum & egregie fidelium ac gratorum oratorum consensu, maximis & immortalibus meritis celebrandis, in vulgus exeunte literarii certaminis edicto conueniisse viderem. Cum autem audirem plures, partim Poetas, partim Oratores, multo alacriore, quam aliis annis, studio ac religione flagrantes dicturos esse, salutem acceptam, conseruatamque, maximè cunctorum studia, religionemque excitasse gaudebam, magisque ac vehementius gaudebam, si ob eam causam nostrorum Poëtarum & Oratorum maior esset numerus ac multitudo, quod ille apertè suam, & parentum, & ciuium salutem, & vitam precibus, intercessione, patrocinioq; texisset. Nunc etiam vester, Iudices, conspectus & consessus iste magis reficit & recreat mentem meam, cum video vos ad hanc diei celebritatem auctoritatem tantam, & Oratoribus alacritatem afferre. Video enim ex vobis neminem, cui orationes gratæ nõ sint, cui poëmata non iucunda, cui laudes tanti Principis non acceptæ admodum, & attentis ac beneuolis auribus non excipiantur. Quamobrem non extimesco, quod in suis orationibus extimescere solent præstantes Oratores, ne nostra nunc Oratio parum à vobis attentè audiatur: qui B. Sebastianum maximè ornatum, prædicatumque vultis, beneficiorum, quibus obstricti estis, memoriâ sempiterna: sæpiusque mihi venit in mentem admirandos vos fuisse in B. Sebastiani virtutibus ad prædicationem proponendis, studiosissimos, appetentissimosq; illius honoris, & alicuius, si non paris, referendæ gratiæ, vt illius opportunissimo tempore magis, quam aliorum Ecclesiæ Principum maximorum sanctitatem, religionemq; colatis. Quanquam

quam mihi non sumo tantum Patres, neque arrogo, vt meam orationem D. Sebastiani maximis erga nos meritis facturã satis esse putem: sed vt gratũ me, & memorem beneficiorum præbeam, integerrimam eum vitam, sanctissimos mores, summam fortitudinem, inuictã patientiam, constantiam, mortem, gloriamq; consequutum ostendam. Quod si omnia non præstitero, quæ sunt à bonis Oratoribus præstanda, petam à vobis, Iudices, vt cuius precibus ac patrocinio mea, parentum meorum, vestrum omnium, nostrorum ciuium, vtriusque Senatus, & vrbis & Ecclesiæ salus custodita sit, qui gratus videri voluit, vos ei vestram veniam tribuatis. Equidem ad hanc prouinciam, quam in tanti Martyris laude arduam ac difficilem suscipio, istud consolationis accedit, quod mihi non solum de B. Sebastiano dicendum est, cuius dignitatem magis, quam res alias quascunque nostri status ac fortunæ, quam honorem, quam vitam nostram cohonestare vellem, sed etiã de eodem alii Oratores, qui plura, quam ego de illius virtutibus, ac meritis in nostram ciuitatem extantibus dicent, in hunc locum dicturi conscendent. Vos me dicturum, ne tanto viderer officio defuisse, quod cœpistis & optastis facere, attentis beneuolisque auribus excipite.

Decimum Exordium ad Orationem, in laudem Beatissimi Ignatii Confessoris, & Societatis IESV Conditoris ex causis petitum.

SI quis vestrum exspectat causas orationis habendæ in Beatissimi Ignatii Confessoris laudem iustas ac necessarias, quibus non gloriæ inanis cupiditas, sed necessitas in hunc locum vestrum Oratorem adduxisse visa est, is spectet quis ille sit, qui dicat, & officio me parentis adductum hanc suscepisse prouinciam minimè profectò mirabitur. Adductus sum enim officio cohonestandi Parentis mei, honorandique oratorio munere feriis hisce sacris ac solemnibus Beatificationis nunc primum ex instituto celebrandæ. Tantam enim feriarum celebritatem, & nunc primum Romanorum auctoritate celebrandam, tam insignem, & præclarum honorem, tam cœlestem ac diuinam gloriam, cum aliis modis & rationibus, tum ritibus & cæremoniis Ecclesiæ sanctissimis colendam, tam venerandam ligatâ solutâque inter nos oratione si filius aliquis prætermisisset, in benè de Parentis pietate iudicantium reprehensionem optimo quidem iure veniret. Parentes enim cum iura diuina

& hu-

& humana nobis colendos, summopereque venerandos proponant, & imperent, ipsa etiam natura tantam inseuit in filiorum animos pietatem, vt de illorum honore dies noctesque cogitent, & vbi paterni nominis gloria agitur, ab illorum partibus augendis, agendisque capitis etiam periculo auocari nequeant. Quæ si in humanis in corpore, in honore sæculi tantam vim habent, in cœlestibus, in animo, in Beatorum gloria quanta pietate & obseruantia nos in Ignatii Parentis optimi sanctissimique cultum ac Religionem incumbere debemus, cum hoc sit tempus illud, & primum, & tam solenne, illius colendi suscipiendique Pauli V. Vicarii Christi Iesu auctoritate decretum? Est equidem iustum ac pium officium & Religioni debitum, & omni iure quidem vrgente præstandum, & multò magis quod ad animum, quod ad cœli gloriam totum conferatur, dato mihi, reliquisque alumnis simili Francisci, Dominici, reliquorumque Ecclesiæ Patriarcharum Duce ac Principe clarissimo. Neque me audaciæ accusabit quisquam vel insolentiæ, quod in tam celebri, maximèque bonis Oratoribus patenti campo nostram excurrere videant orationem. Quin ea potissimum de causa huic cœlesti Principi inseruire possum, ac debeo, cum neque in audaciæ, neque in superbiæ crimen venire valeam, qui in aliis feriis Sanctorum solennibus cum aliqua laude versatus fuerim, & in tanta rerum copia materia deesse non possit, cum modus potius quærendus sit, quam rerum sylua lætum & alacrem reddens Oratorem. Quamobrem dum de Beatissimo patente Ignatio, nunc in Beatorum ordinem adscripto, verba facio, me quæso vestra benignitas in finem vsque dicentem excipiat. Ac ne quis vestrum quærat, quibus de rebus dicturus sim, hunc mihi proposui definixique orationi scopum, quæ non virtutes omnes perlustrat, (hoc enim multos sibi dies postularet) sed gloriam immortalis Dei; in quam ab incunabulis traductionis suæ, ad vitam meliorem, verba, facta, cogitationes, vt nec minimum deflecteret, forma constantiq; æquabilitate, dirigendas, conferendasque decreuit.

* *
*

Occupatio.

Occupatio.

QVæret aliquis, cur tot *Exordia cumulauerimus? Primum, quòd quo plus auri & argenti aliquis cumulauerit, is locupletior erit, tum vt intelligat Rhetor olim veteri Romanorum memoria maiorem Exordiorum partem à cauſis & Præoccupatione petitam fuiſſe. Quod in Ciceronis Exordiis, quæ in noſtris adumbrare ſtuduimus, Eloquentiæ ſtudioſus, Oratoris volumina adiens, verſanſque diligenter, agnoſcet.*

Narratio.

REm vobis, quemadmodum geſta eſt, breuiter narrabo Adoleſcentes, quoniam Bacchanalia inſtaurabantur, adierunt cum gallo gallinaceo in campum longè lateque patentem ad gallum agitandum. Quem ſimul atque de manibus emiſſum viderunt, malis medicis appetere cæperunt, Vnuſquiſque dabat operam, vt alterum curſu præiret, nanciſcendi galli, & euellendæ plumæ alicuius cauſa. His ad multum tempus vis incredibilis malorum medicorum in miſerum gallum conijciebatur, quem multitudine agitatorum appetitum, malè vexatum in orbem concluſerunt, vt conficerent aliquando, & ad alias ſe delectationes conuerterent. Quærere exitum gallus, ſi qua peteret: qui cum ex omni parte præcluſus eſſet, propinquior agitatoribus magis ac magis obruebatur malorum multitudine medicorum, vſque eo, quoad à ceruicibus caput abſciſſum, & in triumphi ſimilitudinem, cuſpide gladii affixum, geſtatum eſt: vt ſpeciem pugnæ commiſſæ ſpectatoribus agitatores præberent.

Vides in hac Narratione auctores ludi adoleſcentes, fines Bacchanalium celebrandorum, atque inſtrumenta, mala medica, gladium. Effecta ſunt vexatio galli, nec allata.

Altera Narratio, Scelus Iudæ teterrimi ex eiſdem cauſis oſtendens.

SCelus nequiſſimi Iudæ propter inſignem proditionis nequitiam paucisſimis verbis perſtringamus, qui tantæ fuit auctor improbitatis, vt Dominum & præceptorem ſuum hoſtibus crudeliſſimis prodiderit. Atque ille nuntio iam remiſſo Apoſtolorum dignitati, totus ſudans & anhelans præibat, feſtinans

& acce-

& acceleratis, vt Assertorem generis hominis proderet: cui obuiam processerunt satellites armati gladiis, & fustibus muniti, Iudâ teterrimo duce festinationem accelerante & excitante: Quem cum intuentur, ab Assertore vno verbo facto armorum strepentium fragore summo, humi cecidêre resupini, quasi cæci & amentes. Neque surgerent, nisi facta potestate per Christum Iesum. Hic illi diuinæ potestatis obliti, quem osculo notauerat & designauerat Iudas, hunc tantum Dominum à fronte, à tergo, & à lateribus quam tumultuosissimè adoriuntur. Strepitu, tumultuque tanto surgere Iudæi excitati, virique ac mulieres, exilire de lecto, proferre capita de fenestris mirari comprehensionem, percontari de comprehenso, multi clamare scelus indignum, & obstupescere comprehensionis iniquitatem, propter summam Christi Iesu virtutem, & quam prouiderant, & audierant magnitudinem multitudinemque miraculorum stupendam, clamare multi scelus indignum, facinus flagitiosum: mulieres, quæ natura sua misericordes sunt, eiulatibus complere omnia: satellites nihilo minus moueri patientiæ Agni spectata magnitudine: Ictibus multis pulsare, propellere mitem Agnum, rapido citatoque gradu sudantem, anhelantem trahere, & inter trahendum dictis factisque, & modis omnibus indignissimis tractare.

Confirmatio.

Erigebant & confirmabant sese ad omnem subeundam dimicationem Martyres inuictissimi. Neque aliter fieri poterat, vt tantam vim & acerbitatem suppliciorum perferre possent; nisi Deus ipse vim & robur inuictum tribuisset in tanto discrimine & fluctibus in Martyrum vitam redundantibus, atque diuina consolatione, gaudiis cœlestibus, diuinitus sæpe obiecta visione, cumulasset. Quin & precibus Sanctorum adductus, & ad ostendendam fidei Christianæ præstantiam, ad Religionis causam, pro qua fortiter occumbebant, illustrandam miracula plena admirationis & inauditi stuporis edebat, quibus sic efficiebantur spectatores, vt erroribus suæ sectæ relictæ, Christianorum sacra susciperent, & darent seipsos, præter opinionem, in medios rogos & flammas ardentes. His erecti confirmatiq; rebus Martyres fortissimi, supplicia tyrannorum exquisita, Religionis defendendæ causa, subibant. Atque cum certo scirent illos manere gloriam cœlorum sempiternam, honores Beatorum nullo æuo perituros, voluptates veras & solidas, & quod

omnium

omnium præstantissimum est, aspectum sanctissimæ Triados, ad hanc fœlicitatem assequendam totos neruos & vires corporum, animorumque contendebant. Pro secundâ fœliciq; Beatorum fortunâ consequendâ mori glorioſum ducebant, & millies, si toties mortem oppetere potuissent, vitam cum sanguine profundere huiusce finis adipiscendi gratia desiderabant. Non genera suppliciorum expectabant, sed occasionem opportunitatemque temporum turbulentissimorum oblatam. An obliuisci possumus Laurentij crates ex ferro factas, ad ignem admotas, flammarum ardore flagrantes, in illas corpus imponi, tanquam in currum triumphalem gaudebat. Lætum & hilarem vultum ostendere, verba tyranno fortiter facere, hortari carnificem ad versandum in alteram partem latus, & ad edendum, (quod alterum satis tostum latus videretur) tyrannum inuitare, medijs in flammis, flammas ipsas Martyrem ducere rosas ac flores suauissimos, gratias agere Deo immortales, cupere vehementer & adeo precari summopere vt flammæ magis ac magis inualescerent, & per multũ tempus illarum vis ardorq; permaneret. Quid Catharina (vt alias nostræ fidei Virgines omittam) an rotas ligneas vel ferreas gladiorum acerrimorum acie multiplici confertissimas incitata celeritate conuersas nostris mentibus vllo vnquam tempore excidere posse credimus? Quę forma, quæ materia vtriusque machinationis? quam horrida, quam formidolosa? Vtramque Laurentius & Catharina adierunt, & constantissimè pertulerunt. Quo magis torquentur Martyres clarissimi, maiores animos suscipiunt, plus roboris ac firmitatis accipiunt, & ostendunt formam & pulchritudinẽ animorum suorum, qui medijs in cruciatibus ludos spectare, & apparatissimis se interesse spectaculis visi sunt, gaudijs omnibus perfusi, atque voluptatibus affecti diuinis, breuiter recepturi laborum & cruciatuum suorum absolutam perfectamq; mercedem: qua nihil cumulatius, nihil maius, nec magis expectandum esse videatur. Ita comprehendebantur, vt ipsi darent se se in hostium suorum manus: ita manicis compedibusque constringebantur, vt illi manus & corpus libenter vincendum constringendumque praberent: Ita ignominijs afficiebantur, & omnibus contumelijs onerabantur, vt se beneficijs immortalibus, atque diuinis honoribus affectos putarent: Ita denique tradebantur in necem, in crucem, in tormentorum omnium acerbitates, vt ad vitam meliorem, & nullo vnquam tuo interituram se proficisci non dubitarent. Sic Heroes isti præstantes;

& præclari, cruciatus huiusmodi, tanquam obsides futuræ gloriæ, & immortalis vitæ à summo præpotentique Deo datos, assiduè vehementerque precabantur.

Refutatio.

HIc ego contendo, neq; credibile fuisse, virum hunc in has pecunias cupiditatis oculos adiecisse, neque vllam fuisse causam adijciendi. Non habitum, non formam auari præ se tulisse, neque vnquam in munitissimum locum, etiam si maximè vellet, hominem hunc potuisse aditum habere. Quod si aut vllum ex his nummis in manus hominum venisse suspicio fuerit, aut vlla res extiterit, in quam contulisse pecunias necessarium fuerit, hunc hominem crimini affinem putatote. Primum enim non infimum asserimus, sed principem facile vicinitatis locupletem & copiosum, pecunijs abundantem, dantem de suo largè nimis, atque liberaliter, alieni nunquam appetentē, quin sustentantem & augentem rem aliorum familiarem, mutuas dantem passim pecunias & erogantem inopum & egentum hominum generi. Quod si causam habuisset cur eas pecunias appeteret, non mirarer. At quæ causa potuit esse locupleti? Grandis pecunia fuerat? eâ nos curâ liberauit aduersarius, secundum quem ad centum nummos aureos non peruenerat, aut si accesserat, summam hanc non superabat profecto. At decrant homini pecuniæ: qui hoc tempore loculos pecuniarum refertissimos habebat. Et constat inter omnes, hoc ipso die, quo pecunias ablatas dicis, hunc eundem grandem pecuniam mutuam dedisse. Quid deinde? à nemine visus ex domesticis? non in breuiore, non in longiore pallio, non in habitu atque formâ furantis? non postremo vt is, qui nosceretur communi vestitu? Quid denique locus ille, in quo arcâ erat, quæ continebat summam huiusmodi, patebat? communis erat? an vero remotum cubiculum, in quod heres se concludebat, & arcam habebat duplici claui conclusam, obseratam, obductam ferro, quo priusquam penetraret, à ianua, & aditu multiplici peruenidum erat? Auditus strepitus? vox illius audita? comprehensus ab aliquo? è manibus euasit arreptus pallio? illud reliquit, in fugam se celeriter conijciens? Nihil horum. Quid ergo testimonium falsum dicis, & apertis indicijs accusatio tua mendacij arguitur, tanto tuo probro ac dedecore manifesto?

Repre-

Reprehensio.

ILlene literatus homo, ex vestris Gymnasijs eijcietur, ex Academia Complutensi amandabitur? Qui vestram ornauit Academiam, cathedram moderatus fuit primariam per multos annos, tantam laudem comparauit indulgentissimæ matri? Qui Princeps Theologorum, qui Parens tantæ Academiæ habebatur, qui vbicunque fuisset, siue in consessu Doctorum grauissimorum, siue in aliqua prouincia demandata, nihil nisi gymnasiorum vestrorum vtilitatem, nihil nisi parentis gloriam & honorem appetebat? Agite qua de causa? quis hoc non reprehendet, inceptorem perfectoremque tantorum operum, & auctorem tantarum vtilitatum & commodorum ex officina literaria excludi, eijci, amandari? O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Vt homini alteri, hoc Doctore multo inferiori, locus honoratior daretur, vt paucorum suffragatorum cupiditas hominem eadem patria natum adiuuaret, & ad cathedram proueheret primariam immoderata & insatiabilis, fecerunt ij, qui neque leges, neq; iustitiam seruarunt, neque Deum suis in suffragijs ferendis ante oculos proposuerunt. At qua in re? in cathedra primaria, quæ pondus & momentum est rei literatiæ summum, qua iacente iacebunt reliquæ: ab hac enim (vt ita dicam) reliquæ vitam & spiritum accipiunt ad impertiendas scholasticis vtilitates literarias. Requiretur vero quemadmodum cum hæc ita sint, ad facinus isti suffragatores tam fuerint audaces? Quia tacituum Doctorem nostrum, quia nihil loquentem, quia certum de cathedra, & ob eam causam nihil ad suffragia incumbentem viderunt. Ideo magis ad nequitiam auferendæ cathedræ oblata occasione, totis ita neruis contenderunt, quoad consequuti fuerunt, & minus docto nefariè, scelerateque detulerunt. Hæc forma Academiæ? hæc species benè constitutæ Reipublicæ literariæ? diripi, spoliari matrem auidam suis ornamentis, & Doctoribus orbari, per summum scelus, atque nequitiam eijci, exterminarique sapientiam, decus & honorem eripi? Quo boni Academiæ filij se conuertent? Quem optabant, quo cum contenti erant, & feliciter rem literariam procedere gaudebant, hunc de cathedra non solum deijci, sed squalidum, atque sordidatum, ab Academiæ gremio complexuque diuelli æquis animis videbunt? si quod vnquam tempus lugendæ calamitatis fuit, istud profecto lacrymas extorquere potest.

Sed finis sit, neque enim præ sensu, præ dolore acerbissimo longius progredi valeo. Precemur tamen à Deo Optimo Maximo conuersionem hanc temporum, & vt inclinationem fortunæ benignis oculis intueatur.

Enumeratio causarum in Epilogo.

QVare si nos hostes lacessunt quotidie, si imminent cum exercitu & copijs & classibus instructis imperio nostro, & eductâ toties acie confligere nobiscum acerrimè nõ desistunt? Si tot amisimus ornamenta pacis, subsidiaque Reipublicæ: si vidimus agros vastari, cladem finitimis populis inferri maiorem audimus: Si hæc non alio, quam ad gloriam nostræ Reipub. imminuendam, ad minuenda vectigalia, ad bona ciuium diripienda abhinc tot annis acerrimis alijs hostibus, bello graui diuturnoque confligentibus, fœdatam & propè perditam habemus, cum neque muris ipsis altissimis, ex saxo factis fortissimo, non ahæneis portis muniti, non diuerso genere telorum, non omnibus tormentis, instrumentis vsitatis, bellicisque machinationibus tueri ac defendere potuimus. Si sæpe victi fuimus, atque prælijs multis partim in fugam coniecti, partim nostrorum internecione facta miserrima, malis omnibus oppressi. Quid expectamus amplius? quin pacem, quæ nihil habitura sit insidiarum, honestissimis conditionibus accipiamus.

Amplificatio in Epilogo per Causas ad affectus mouendos.

OSpes fallaces! O cogitationes inanes! sperabam equidem hoc robore, atque hac firmitate virium, quæ sunt adolescentis robusti, me semper futurum esse, neque mortem quidquam rei habituram esse mecum, in senectutem vsque non aggressuram, nisi post multos annos, post captatas voluptates, & perceptas huiusce vitæ iucunditates. Id temporis, cum iam ad me redijssem, & in gratia Dei immortalis fuissem: O spes fallaces! O cogitationes inanes! inopinantem mors inuadit, in medijs voluptatibus, in medijs delicijs, atque ipsius sæculi iucunditatibus. Itaque mors fregit & debilitauit vires, præcidit machinationes omnes & inanissimas turres, quas mente architectatus fueram inscius & ignarus consilij. Mors imminere visa est, quæ propter morbi grauitatem, propter desperatam à medicis valetudinem non multum abesse potest. Quid agam? quid

quid Iudici supremo, quid largitori bonorum omnium, quid auctori vitæ Deo Optimo Maximo respondebo? qui me viribus integris, bona valetudine, & alijs opibus maximis fortunauit, vt seruirem, & obedirem suæ maiestati, & itineribus diuinæ Legis progrediens, ad cœlorum gloriam aspirarem. Fregi mandata sua, violaui Legem diuinam, laxaui habenas sceleribus ac flagitijs omnibus, atque in his sum angustijs, his mortis impendentis difficultatibus opprimor, vt ex limo & argilla factus, qui mortem nunquã ad futuram putaram, mortis videar, & appaream effigies, ossibus duntaxat consistens, proculdubio morti propinquus, atq; etiam breuissimè sine dubitatione moriturus. Quid agam? Peccaui, sceleratè feci, ad tuam, bone Iesu, clementiam confugio, qui spem veniæ de cruce sanctissimã dedisti, & apertis protensisque brachijs in sinum complexumque tuum vocasti. Grauia mea scelera fuerunt, sed maior est profecto tua pietas, & infinita benignitas, quã dolentes, lugentes, supplices atque prostrati ad tuos pedes veniam suorum scelerum à cœlesti tuã Maiestate consequuntur. Dolendum est homini propter flagitia sua? dolorem profecto vellem quàm maximum accipere, disrumpi, diuellique viscera concupiscerem præsensu, præ lacrymarum ingenti multitudine. In clauos, in crucem, in mortem tuam intuenti mihi dolorem affers maximum, & efficis maiorem, quam explicare possum. Qui sensum hunc ex corde duro & adamantino haurire voluisti, spem consequendæ cœlestis immortalitatis inijcies, vt minimè peccatorum veniam, neque Beatorum gloriam desperans, sed in te vno, in tuis cruciatibus, & in meritis passionis immortalibus spem salutis meæ ponens, animam exhalem.

Officia causarum: Ad laudem ex Efficienti.

SEd cum parentum tuorum præstantiam, cum illorum in rebus gerendis consilium, & prudentiam singularẽ, & tantam sui nominis in hac ciuitate memoriam relictam recordor, perspicio id, quod omnes iure optimo dabunt, te veram parentis similitudinem, & imaginem expressam fuisse: vt quis te nouerit, qui te viderit, parentes tuos non desideret. Ita in oculis, in ore tuo, in grauitate, summa in statu & incessu, in omni motu corporis, cum appositã ad Rempub. gerendam dignitate, & quod caput est, in actionibus vitæ præclarissimis, in conseruandã, tuendãque Republicã, in omni procuratione muneris publici, cum integritate maximã, sine fuco vllo, vel pigmentis vanæ

simulationis, parentum viuam effigiem ante oculos ciuium visendam spectandamque proposuisti. Sic tibi honorificum est parentibus natum fuisse clarissimis, & in omni benè morata ciuitate cunctorum sermonibus & laude cohonestatis, vt ab illorum tu virtute non degeneraueris: peruersitas enim filiorum parentum sæpe laudes obscurauit; quemadmodum præstantia bonorum, contemptam & obscuram familiam è tenebris in lucem vocauit. Quamobrem sic affectus esse debes in posterum, vt incepisse te putes: insistere vestigijs parentum quotidie magis enitaris, neque desistas, donec ad similitudinem patris deductus, cum illius mores & vitam imitatus fueris, aliquod tuæ virtutis in hac ciuitate monimentum statuas; quo præsentes non solum homines tuam virtutem laudent, facta efferant, sed posteri ad tui memoriam præclaris virtutis tuæ positis statutisque monimentis excitentur. Hæc enim excellens virtutis præstantia, quæ nota non solum hominibus suæ ætatis fuerit, sed ad omnem posteritatis memoriam æternitatemq; propagatur.

Vituperatio ex Efficienti.

VEtarer equidem mendacij notam, qua merito deberem inuri, si te parentis tui similem dixissem: tantum abest vt prædicare fuisset in animo. Nam quoties mores improbos, viram nefariam, & omnia ad perniciem profligata in te vno fuisse video, non solum parentum nobilitate, tanta virtute filium indignissimum iudico; verum etiam vix apud me statuere possum, an ex illo te genitum dicam, & susceptum in hanc lucem. Nam filij parentum aliquam speciem & adumbrationem habere solent, & tales plerumq; fœtus esse videntur, quales fuerint parentes, quorum stirpe procreati sunt: at in te nullum adumbratum paternæ virtutis vestigium, quid expressum insigniter dicam? Verè nominandus inter illos, qui à parentum virtute contestatâ desciuerunt, atque ita deflexerunt, vt, cum se parentum insigni virtute prædirorum nominarunt filios, se magis execrabiles, magis detestandos, & omni odio dignos præbuerint, quam si numquam tantorum se parentum filios iactauissent. Cum tuis nefarijs sceleribus, libidinum illecebris, & in omnem intemperantiam effusis cupiditatibus, dedecoris & ignominiæ maculis inustis tuo nomini, quantum in te fuerit, tenebras rebus præclare gestis & virtutibus parentum tuorum offundendas curaueris, non adducar profecto, vt te filium tantorum parentum appellem.

Ad

Ad Suasionem.

QVod si parentes tuos intueri velis, & quantum ille laudis generi suo attulerit considerare, daturus operam es, vt ijs, à quibus progenitus es, & susceptus in hanc lucem, respondere studeas. Quos vero principes tuæ familiæ poteris appellare, & de tantis, tamque præclaris parentibus iure quidem optimo gloriari, & illorum virtutes atque res præclare gestas sine vanâ orationis suspicione, omni loco atque tempore publicis priuatis sermonibus prædicare; hos si tibi proposueris imitandos, & facta glorioſa in memoriam redegeris, & ad res militares, & ad omnem statum Reipub: & ad maiorum tuorum verum splendorem retinendum excitaueris, qui & in bello clari fuerunt, & ad difficiles & periculosas contentiones, sæpe terrâ, marique delecti Duces, in omni vero administratione Reipub. principem in Senatu locum obtinuerint; si his itineribus processeris, ad illorum imitationem te totum contuleris; horum te filium, paternæ virtutis æmulum & imitatorem, tantorum parentum excellenti præstantiâ dignissimum iactare sine pudore queas. Quem cum aspexerint omnes, non oris solum dignitate, omnibus corporis lineamentis, sed quod præstantius est, & in quo vera laus inest, virtutis, consilij, industriæ, fortitudinis paternæ viuam effigiem intueantur.

Ad dissuasionem.

QVod si penitus perspicere volueritis conditorem, & in illius mores nefarios, deprauatamque vitam intueri, ciuitatem in colendam non magnopere putabitis, à latrone sceleratissimo constructam, & ad sua latrocinia, ad suas rapinas & ad incursiones faciendas magis ædificatam dicetis, quam ad hanc terrarum partem, tanquam amœnam & salubrem sedem deligendam. Qui si non in animo habuisset in abditis & tenebricosis locis habitare, in humidis atque paluſtribus, in deuijs atque syluestribus, quo se post spoliatos, necatosque viatores recepisset, quò faciles aditus paterent nemini, ingredientes autem in cœno statim inhærerent, progressi longius dumetis, & virgultis implicati, non se expedirent prius, quam in occulto receptatore latronum loco necaretur: nunquam ad situm, & positionem loci paluſtrem, humidam, difficilem, totamque penè syluestrem captandam oculos adiecisset.

De partium distributione.

HErbetius diffinit, *partium distributionem, alicuius generalis in suas partes diductionem esse. In partium enumeratione continetur*, diuisio, partitio, distinctio.

Diuisio *est proprie, qua genus in suas formas distribuitur, de quibus in nominandi casu dicitur, vt virtus distribuitur in Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem, & Temperantiam. Dicimus enim*: Prudentia est virtus, &c.

Partitio *proprie est distributio, qua totum, aut integrum in suas partes distribuuntur, de quarum singulis non potest dici in nominandi casu, vt domus in pauimentum, parietes, tectum distribuitur, & non dicimus*: domus est tectum, *nisi per metaphoram.*

Distinctio *est vocis in suas significationes distributio: canis, aut animal terrestre, aut aquatile, aut sydus cœleste significat.*

Distributio *est duplex; vna perfecta, altera imperfecta. Perfecta est, qua constat omnibus partibus. Vt Rhetorica constat quinque partibus, inuentione, dispositione, elocutione, memoriâ, pronuntiatione. Imperfecta non omnibus constat, vt si dicas, Antonium exhausisse bona Pompeij, & ædes, hortos, suppellectilem, vinum, aurum, argentumq; numeres.*

Cum velis vti perfectâ partium enumeratione, sic vteris, nullam vt partem relinquas. Vt si velis probare calliditatem non esse virtutem, id ita probes: Calliditas *non est iustitia, neque prudentia, neque fortitudo, neque temperantia: non igitur est virtus.*

Diuisio *neque plura, neque pauciora habebit membra quam diuisum. Hæc enim diuisio; virtutum altera est fortitudo, alia prudentia, alia iustitia, imperfecta est: deest enim membrum vnum, nempe temperantia. Vitiosa quoque est hæc:*

hæc: Rhetorica diuiditur in inuentionem, dispositionem, elocuutionem, memoriam, pronunciationem, iudicium: nam redundat iudicium.

Velim te tamen admonitum habere, vti Rhetores frequentius imperfecta enumeratione, eamq; probari sapientibus ad amplificationem: satis enim est si illæ partes numerentur, quæ ad rem præsentem pertinent.

Atque illud notandum est ad partium distributionem quamcunque, nullo discrimine Oratores vti nominibus, partium enumeratione, partium distributione, non tam rei, quàm elegantiæ sermonis inseruientes.

Omisi etiam de industria, quæ vulgò dicuntur distributiones fortuitæ, cùm subiectum distribuitur in sua accidentia, aut accidentia in sua subiecta, vel accidentia in sua accidentia. Subiectum diuiditur in sua accidentia, vt hominum, alij magni, alij parui, alij patres, alij filij, alij docent, alij docentur, alij in Asiâ, alij in Africâ, alij in Europa. Accidentia in sua subiecta diuiduntur, vt arborum, aliud nix, aliud peplum, aliud calx, aliud ceruſſa, aliud equus, aliud paries: sapientium, alius Paulus, alius Salomon, alius Plato. Perditorum ciuium, alius Catilina, alius Lentulus, alius Cethegus.

Accidentia distribuuntur in sua accidentia, vt sapientium & doctorum virorum, alij sunt Christiani, alij Ethnici. Diuitum alij ciuiles, alij Ecclesiastici, alij auari, alij liberales, alij superbi, alij humiles, & sexcenta alia id generis, quæ libens præterij, quoniam enumerationis nomine appellari volunt magistri Eloquentiæ, ne studiosorum Rhetorum ingenia & memoriam perturbent & obruant harum rerum subtili enumeratâ diuersitate.

DE PARTIVM ENVMERATIONE.

Amplificatio ab enumeratione studiorum.

ET enim quod est ingenium tantum, quæ tanta facultas dicendi & copia, quæ istius vitam tot virtutum ornamentis insignem, iam pridem in omnium ore linguisque versatam, aliqua ex parte possit commendare: Cuius vt pueritiæ & adolescentiæ laudes virtutesque attingam, puericia bonæ indolis specimen habet in se introitum ad literarum studia clarum, deductionem ad scholas sociorum IESV cum expectatione tanta, & ingenij, & virtutis opinione commendatam, auiditatem politiorum literarum, & totius honestatis percipiendi progressus maximos, fructus ex vtraque re perceptos tantos, quantos condiscipuli laudabant, & certatim æmulabantur. Cuius traductio ad Dialecticam breuissima fuit, & laudabilis, quibus in studijs cunabula huiusce facultatis (quam summulas vocamus) in hac scientia quærendi atq; differendi disputationes habitas, argumenta posita, responsa data, eorum, qui adsunt, scio ignorare neminem, cùm in publicis concertationibus in propugnatorem ponebat argumẽtum, & pro posse ingeniosè, subtiliter, & acutè obiiciebat, cùm eum, cui propugnandi locus dabatur, & vna significatione, (id quod omnes videbant,) aberrantem à veritate in viam sæpè reduxit, & in media argumentandi contentione, cùm argumẽtantes calent maximè, & oppugnatores aliquid efficere velle videbantur, non solùm de sua sententia deiiciebat, sed planè refellebat, & conuincebat. Cuius in Philosophiæ totius arcanis progressio, laureæ adipiscendę fuit, primique in honorum renunciatione gradus, certum quoddam augurium: simul in sacra Theologia perdiscenda nominis famæque, relictis semper à tergo condiscipulis, non ambigua declaratio. Iam verò suorum studiorum plurima & maxima constituit monimenta, & indicia in Academia Saguntina, Vallisoletana, Complutensi, quam iste per annos viginti continuos ita cohonestauit & illustrauit, vt ea in altiorem gradum ascendere nullo modo posset. Vix autem per omnes sæculorum ætates de suo gradu deiici aliquando posse videatur. Hoc præceptore liberalium artium, & sacræ Theologiæ alumni, neque cœnobia

Religioso-

Religiosorum, quæ antea frequentabantur, neque vigilias & lucubrationes aliorum, neque magis ingeniosa, vel vtilia scripta desiderauerunt. Tantum quisque scholasticorum existius prælectionibus vtilitatis habebat, quantum & diligentissimi hominis, & omnium doctissimi præceptoris labor & cognitio singularis afferre potuit. Nulla difficultas literaria per hoc omne tempus, nisi tanti Doctoris ingenio iudicioque excutiebatur, nulla res vnquam tantis difficultatibus affecta, vel tam implicita fuit & obscura, quæ non ad eundem expedienda deferretur & illustranda. Quæstiones liberalium artium Philosophiæque examinandæ, pericula examinis Baccalaureorum, Licentiatorum subeunda. Comprobatio communis laurea afficiendorum sacræ Theologiæ literatorum hominum, qui & in alijs Academijs, & in sua Philosophiæ, Theologiæque vacassent, propria semper huiusce Doctoris fuit. Idem iste Doctor Theologus suggesta antiquissima partim insignium Ecclesiarum, quæ maximi concionatores ascendebant, partim etiam templi maximi, & Academiæ sacelli Gregoriani, quæ nunquam nisi maximis & doctissimis hominibus paruerunt, suis iste concionibus cohonestauit illustrauitque omnia. Neq; hoc solum in frequentioribus sanctorum ferijs, sed in anni totius decursu, in celebrioribus Sanctorum, Virginis Mariæ diebus, in Quadragesimæ statis solemnibusque temporibus fecit; sed etiam conciones celebriores magnificarum supplicationū decretarum ad templa, sacellaque illustriora pompa religioneque cohonestatas sortitus est. Principem denique nullum Ecclesiæ, nullum Ducem, neque Magnatem sæculi, qui paulo magis honorificè, atque apparatu vitendo excipiendus esset, is oratione vel prælectione non ornandum celebrandumque suscepit concessu Doctorum amplissimorum Academiæ deferente, & enixè vehementerque efflagitante. In virtutibus verò suis & ornamentis res gestas, & laudes commemorare multitudine magnitudineque pertimesco: simul ornamentorum præstantiam commemorando assequi non potero, quibus ab illo scholasticos adolescentesque omnes, collegarum conuentus omnes, ordines, & cœtus Doctorum clariores & illustriores redditos fuisse notum est. At enim hæc ita gesta sunt ab isto, vt propter obscuritatem cognita non sint ab omnibus. Hominem esse abitror neminem, qui nomen istius audierit, quin facta quoque eius glorioſa commemorare

non

non possit, vt mihi magis tacendum sit, ne multas virtutes prætermittere, tum ne quas dicendo adaugere videar: sic enim mihi videtur hæc multitudo, quæ ad audiendum conuenit, non cognoscere ex me quidquam noui potuisse, sed ea, quæ fecit, mecum recognoscere. Quæ cùm ita sint, homo amens ac perditus sit, necesse est, qui id non agat, vt hominem hunc, qui literis, qui gratiâ, qui auctoritate, qui virtute huic Academiæ ornamento fuerit, non omni ratione commendandum putet.

Vituperatio ab eadem Enumeratione.

ET enim quod est tantum flumen ingenij, quæ tanta verborũ copia, & sententiarum vis? quæ istius vitam tot vitiis, flagitijsque contaminatam, iam pridem in omnium reprehensionẽ & vituperationem adductam aliqua ex parte adumbrare possit? Cuius (vt adolescentiæ maculas ignominiasque præteream) adulta ætas quid aliud habet in se, nisi animum nudatum & spoliatum à seipso gratia Christi IESV, nefariam & impiam defectionem, relictam fidem, desertam Religionem, Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, dignitatemque contemptam? Cuius defectio cumulus fuit commodorum, & vtilitatum maximarum inimicis & hostibus Iesu Christi, Isabellæ deterrimæ Reginæ Angliæ, & Angliæ prædonibus rapacissimis: quæ in Regno multos sceleratos, multos latrones, multos prædones ad diripiendas res Christianorum excitauit. Cum in Christi cultores Hispanos odium suum renouauit, & instaurauit inueteratum, cùm naues (quarum ille maximus pirata erat, & pro Prætore se gerebat) ad Christianorum direptionem ascendit, & eas aggrediebatur, si poterat, tormentis omnibus oppugnabat, & multa longè lateque disiuncta maria transibat, nauigabatque. Cuius nauigatio, multarum, & hyberno æstiuoque tempore Hispalensium rerum fuit direptio, & in diripiendis mercibus diuersarum gentium, atque nationum contra leges omnes humanas atque diuinas inaudita quædam inhumanitas, intolerandaque crudelitas. Iam vero suæ defectionis & ad Lutheranos traductionis exercendæ plurima & turpissima constituit monimenta. In Insulis atque portubus idem ille cum prædonibus, per illud tempus quo dabatur, ita furebat, atque vastabat obuia, vt multas villas, plurimos etiam populos, omnes agros depopularetur. Hoc prædone neque mercatoribus nostris in Indos transire liberè, neque ex Indiis

in

in Hispaniam nauigatio patens & aperta dabatur. Tantum prædo nefarius cum suis piratis asciris, atque aggregatis diripiebat, quantum poterat inuadendo, rapiendoq; nancisci. Maximi, quod omnes sciunt, acerui ex vectorum pecunijs effecti, infinita vis auri & argenti coaceruata: item delatæ merces in Angliam, in socias & amicas non raro Prouincias. Naues plenissimæ frumento, & oleo, vinoque captæ & exinanitæ, atque homines ignoti propter rapinas socij subito facti, & in hostium numero habiti. Plurimi propter eruendas pecunias seruilem in modum tractati omnibus onerati contumelijs, & occisi multi, trucidatique crudelissimè, alij tracti in Angliam in miseram seruitutem, in carcerem, in squalorem, in sordes maximas traditi. Idem prædo rerum humanarum atque diuinarum, simulachra vetustissima religiosissimaque partim sanctorum Christi militum, quæ magnæ fuerant Religioni ciuitatibus, partim etiam Virginis Mariæ, quæ omni studio, religioneque colebantur, spoliauit, nudauitque omnia. Neque hoc solum in imaginibus religiosissimis sanctissimisque fecit, sed etiam omnia delubra sanctissimis nostræ Fidei religionibus consecrata depeculatus est. Imaginem denique nullam, quæ ex argento, vel auro facta videretur, reliquit. In stupris verò & flagitijs suis, & suorum comitum, nefarias libidines commemorare pudore deterreor, simul illorum ignominiam, & infamiam commemorando percensere non potero, quibus virgines, viduas, coniuges, mulieresque omnes, quas nanciscebantur, integras ab illorum petulantiâ conseruare non liberum erat. Sunt illa indignissima, quæ passim patrabantur, quæ in insulâ sancti Dominici captâ atque direptâ, quæ in portu Corumnensi acta fuisse commemorantur. Proh summam Dei immortalis patientiam in sceleribus hominum nequissimorum, in stupris, in libidinibus, atque in sacrilegijs omnibus perferendis! Euersa templa multis in locis, & disturbatas aras, & imagines Christi IESV tractas atque raptatas, & sacrilegis pedibus conculcatas fuisse cognouimus: hæcque ita commissa sunt ab istis hominibus, vt fuerint ab omnibus, & in oculis & ore Christianorum patrata.

* * *

Enumeratio

Enumeratio ex causis.

QVid tibi, IESV mansuetissime, circumcisione opus fuit? Qui sic fuisti conceptus, & in hanc lucem existi, vt totius criminis & culpæ fueris expers: natus autem crimen non potuisti committere naturâ etiam diuinâ præditus. Deinde cur infans tam cito circumcideris, statim octo post diebus à natalitijs tuis? Reseruaretur melius istius stigmatis acerbitas, & dolor in illud tempus cruciatuum grauissimorum & mortis, in crucis ligno subeundæ: nunc non modò caro tua tenera est, sed infantilis, quæque indulgentia parentum alenda erat. Postremò tu Virgini hoc non luctuosum & acerbum spectaculum fore putasti, consueto in loco, eadem inspectante Virgine, carnem tuam resecari adeo delicatam? Quid illam loquuturam, quæ videbat, quæ spectaculo intererat acerbissimo, quid aucturam, quæ te plorantem aspiceret, intelligerent omnes, non sciebas? os lacrymis oppleturam suis, dolore cruciatuque conficiendam maximo ignorabas? Non occurebat animo tuo, Mariæ Matri tuæ stigmata doloris grauia inurenda fore? Equidem mortales exemplum à te petere diuinæ legis seruandæ, qui lege solutus tam illustre testimonium obedientiæ dabas, sine dubitatione voluisti.

Enumeratio cum similibus & exemplis in Aegeam Proconsulem.

IN maleficorum sceleratorumque, in furum homicidarumq; custodiam tu Aegea tantũ numerum Christianorum ipsumq; Andream includere ausus es? Nunquamne tibi multitudinis, nunquã illius tantæ frequentiæ, quæ tunc animo te iniquissimo infestissimoque intueretur, venit in mentem? Nunquam tibi populi concitati libertas, nunquam species ipsius multitudinis in oculis animoque versata est? Nunquam te in horum conspectum proditurum? Nunquam in forum ciuitatis exiturum? Nunquam sub illorum manus potestatemque venturum esse cogitasti? Hæc multitudo proculdubio conficeret, & carceris vinculis solueret Andream, nisi Beatus Apostolus vtrumque facere prohibuisset. At quę erat ista libido crudelitatis execrandæ? quæ tot scelerum suscipiendorum causa? Nulla profectò, præter cupiditatem placendi tuis Imperatoribus incredibilem infinitamq;. Nam vt homines, quos in famulatu fuisse scimus, omnes inuestigare modos, atque rationes nouas, & inusitata non rarò inuenta excogitare dicuntur, vt eorum, quibus seruiunt

uiunt animos explere possint; sic tu in omne genus hominum, & maximè Christianorum infestus, ex omnibus tuæ iurisdictionis partibus imminebas. Quicumq; homo Christianus ex alijs populis, qui cultor denique Christi Iesu deprehenderetur, statim tuis indicibus & custodibus tenebatur. Omnes Christiani in custodiam coniiciebantur, & in eos quæstiones & iudicia capitis exercebantur. Versabatur in Achaia temporibus illis nõ Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim ista quondam insula multos & crudeles tyrannos) sed nouum monstrum ex crudelitatis visceribus exortum. Non enim Tygridem tam infestam neq; leænam catulos arripientibus tam iratam, quàm te in tuâ ciuitate tibi demandatâ Christi cultoribus iniquum infestumque fuisse credo. Hoc etiam infestior, quòd bene facientibus & ad salutem animorum, ad beatorum gloriam conuocantibus vitam eripiebas Æthneâ face multo infestior, hæc enim finitimos tantum incẽdijs vastabat & depopulabatur: Tu in omnes gentes, ad tuam etiam iurisdictionẽ non pertinentes, faces tuæ crudelitatis auxiliares, subministrare non dubitabas. At quæ causa tunc afferebatur à te tam nefariæ crudelitatis? eadem, quæ proximè in oratione commemorabatur. Quicumque accesserant ad Achaiam Christiana Religione præditi, Christianos esse & ad turbandam perdendamque ciuitatem venire ijs probro crimineque continuo dabas: illi, ad eripiendum animum tuum ex inferorum ac Dæmonis faucibus, veritatem ipsam, Religionem veram, gloriam cœlestis aulæ, opes Beatorum, immortalitatem sæculorum omnium proponebant, & quod sibi ad omnes vestrorum in se beneficiorum numeros valere debebat, id ad vitam eisdem eripiendam satellites tuos, & te ducem & principem tantæ crudelitatis excitabat & inflammabat.

Enumeratio cum dissimili.

IN hac tam peruersa deprauataq; natura, & ingenio adolescẽtis, (quæ ita rarò simul existunt, vt si quando adolescentem istiusmodi acceperimus, portenti & prodigij similem dicamus) quid primum, & quibus tandem rationibus & modis vituperãdum censeamus? Nonne & audaciã istius, qui vituperatur, possumus singularẽ ostendere, & mores efferos immanemq; naturã, & vitam flagitijs omnibus deditã, & denique omnia ad pernicie profligata atq; perdita? Quorũ nos nihil nec purgandi hominis istius

istius causa sine reprehensione dissimulare poterimus. Parentes veritus est & maiores natu qui homo? adolescentulus bonus & prudens, morigerus & obsequens admodum? Nihil vnquam nisi quod pater, quod mater vellet, atq; cuperet faciens? annos natus quatuor & decem, vt facile in officio continere potuerit, colendę virtutis non insolens, in bonorum disciplina versatus? At omnia contraria esse vidistis, qui & audax fuerit & impudens, & nemini morem vnquam gesserit, neq; parentum, neq; maiorum natu vocem aut sermonem exaudire visus est. Sic illos contemnebat & aspernabatur, vt filius famulum, vt mancipium quodq; contemptissimum. Neq; adolescentulorum bonorum societas & exempla pulcherrima, neq; facta & exempla præstantissima indomitas eius cupiditates cohibere potuerunt. De socijs quid loquamur, quos audaces & impudentes, corruptos & omnino deprauatos, dies & noctes sibi adiungebat? Nullum bonum & studiosum coluit vnquam. Quæ porrò in illis verborum turpitudines, quæ rerum obscœnitates? Ad hunc hominem, (quamquam ille nequam non fuisset) penitus deprauandum, satis essent, qui in turpissimis rebus, & nefarijs amoribus vitam agebant suam, quæ prorsus est disiuncta ab honestate, & cum impurissimis meretricibus implicita.

Enumeratio cum eisdem dissimilibus, & descriptione.

SI Pictauorum Ecclesiæ Præsules, Hilari sanctissime, vbi tiara auro gemmisque fulgens? vbi baculus Pontificius, à summo leniter inflexus? vbi niue candidior alba vestis tunicâ super imposita? vbi sedes Pontificis amplissima? vbi tot, tantaque ornamenta Pontificibus à populo, & à Presbyteris honorificentissime data? Denique vbi conciones in templis habitæ? vbi comitatus honorificus? Vbi homines, qui domi tuæ sumptibus tuis & expensis alebantur? vbi celebritas Pictauij? vbi itiones in Templum Maximũ & reditiones tuæ? solus nunc & extra concursum oppidanorum versaris: Quantũ interest inter tuã, & veterem amplitudinem, inter Pontificis dignitatẽ pristinam cùm Pictauij Præfecturã Ecclesiæ summa præcellentiq; auctoritate tuebaris. Hostes nunc Religionis te de sede celsissimâ deturbarunt. Habitabas in loco celebriore ciuitatis, vbi te conuentium concursus fiebat nullam non diei partẽ maximus? nunc in solitudine solitariam agis vitam, & ab vrbis, oppidanorumque congressu remotissimam. Tu Pictauorum gregi præesse visus

es;

es & oues pastum doctrinæ à te capescebãt: nunc hostes in exilium miserunt, & te vagas & errantes sine pastore oues relinquere coegerunt. Summa Pictauii dignitas, tibi & honos erat, nunc nulla non modò dignitas, sed summæ iniuriæ factæ, impositæque contumeliæ: excedis è ciuitate, comitatur Eusebius Vercellensis, eadem exilii pœna mulctatus. Duo Pontifices, lumina Ecclesiæ clarissima, sed obscurata nunc atque deformata propter Arrianorum impietatem in Gallinariam insulam relegamini. Quò cum perueniistis, fame coacti, folia arborum, herbas agrestes & amaras admodum, & radices fortasse arbuscularum (quarum erat in illis locis, sicut in cæteris solitudinis partibus vsitata copia) collegeretis, vt his famelici, propeque absumpti aleremini.

Enumeratio cum antecedentibus & consequentibus in Leouigildum.

ROgat & orat Leouigildus Ermenegildum, vt de vrbe Hispalensi decedat, ad Galleciam vel ad Aragoniam proficiscatur. Demonstrat in Arrianorum secta Hispalenses esse non posse, si Ermenegildus Rex Christianus Hispali viuere, atque hanc vrbem Hispaniarum caput & principem tueri perseueret. Non tulit id Ermenegildus, noluit id facere quod patet nequissimus orabat, vt vrbem Hispalim, prouinciã Bethicam, Regnũ istud relinqueret, & in Aragoniam patri obtemperandi causa, aut in Galleciam proficisceretur. Posteaquam filium exorare non potuit Leouigildus, contendit ab eodem per Paschasium Pontificem Arrianum, vt feriis excitati Domini à mortuis de manu Pontificis Ariani sacram Eucharistiam acciperet: venerat in carcerem Paschasius, atq; eo consilio, vt id nomine Leouigildi à filio efflagitaret, adduxerat etiam administros, & assiduos coadiutores suos, quorum Paschasius in conspectum Ermenegildi nonnullos daret. Erat in vinculis Ermenegildus, corpus acerrimè constrictum videbatur, & idem Rex vix se erigere poterat tecto adeò demisso, vt si staret, capite tectum contingeret necessariò. Et tamen allegationes omnes, & oblatas patris conditiones, & preces Arriani Pontificis aspernatur. Discedit iratus Paschasius, vt qui clamaret, incredibile est, quanto mihi videatur Ermenegildi voluntas obstinatior, & in hac voluntate retinendæ Christianæ Religionis obfirmatior. Quod

vbi resciuit Pater, vbi tanta cum contentione, tantis verborum fulminibus agere Paschasium animaduertit, cumque ipsum Ermenegildum sectæ Arrianorum nocere idem Arriani dicerent, contemni maiestatem, Leouigildi filium plus posse quam parentem, mittitur carnifex, qui mortem afferat Ermenegildo. Aspectu carnificis quantam voluptatem Ermenegildum putatis accepisse? quos discisso capite cantus diuinorum spirituum auditos fuisse? quos sermones atque verba Christianorum? securi esse percussum Principem Ermenegildum, Regem Hispalensem, fortem Christianæ fidei defensorem propter patris Leouildi flagitiosissimi singularem nequitiam, & impietatem inauditam. Nemo iam Leouilde, neque tui, neque tuæ crudelitatis, quam in filium, acerrimum Christianæ dignitatis propugnatorem expromptisti, obliuisci potest. Arriusne tibi tanti fuerit, vt eius sectam, filii natu maximi sanguine lui velles? Idcirco exercitum & copias coegisti, vt tuâ crudelitate & impietate filium captum, & coniectum in carcerem capite mulctares? Quod eum Paschasii Arriani postulationem nequissimum repudiasse, tibi renuntiatum est, idcirco sanguinem filii crudeliter & impiè profundendum imperasti? Nesciebas à cultore Christianæ Religionis, cuius reuera filius propugnator erat, non modò non accipiendam de manibus Arriani sacram synaxim, sed neque verbo Arrianorum contra fidem aures esse præbendas? Expertus es optimi filii virtutem tunc, cum se ad Christianæ Religionis signa contulit? cum in te parentem suum pro Christo IESV exercitum comparauit: cum omnem imperii sui vim filio & vxore genti Romanorum datis obsidibus in tuam conuertit perniciem, quam attulisset profectò, nisi à Romanis, in quorum se fidem dederat, proditus & desertus fuisset. Tantane tua Leouigilde crudelitas erit, vt eam non Leander solus, non Fulgentius, non alii Christianæ Religionis cultores subire visi fuerint solum, seo etiam filius, & hæres tuorum Regnorum & Imperiorum omnium? Tune quòd illum Christi defensorem, quòd Religionis Christianæ propugnatorem, quòd ducem sectæ Arrianorum opprimendæ audieris, quòd videris, quòd ad tuum nutum non fuerit, quòd libidini cupiditatique dæmonis non paruerit, opprimendum putabis? ob id à te habebuntur delectus? cogentur milites? instruentur acies? ciuitates Regni, Princepsque Hispaniarum Hispalis, non modò de ciuitatibus Christianis vna, sed omnium caput

& arx

& arx ad direptionem & vastitatem vltimam vocabitur, vt à mœnibus, à tectis, à capite suo filius Ermenegildus sce us, atq; tuos impetus propulsare studeat? Nam quæro abs te circumsessane fuerit ciuitas, perstiterisne ciuitatem vllam, in qua sedem & domicilium filius habebat, oppugnare? solicitaueris ne, & subornaueris Duces Romanos, ad nefariam proditionem atque perfidiam? Denique summum scelus, & per eandem perfidiam Ermenegildum proditum atque desertum comprehenderis, conieceris in carcerem? & quoniam à Religione non defecerit, interficiendum curaueris? negare non potes Leouigilde. Habeo testimonium carnificis ad necem à te missi: habeo testimonium & auctoritatem annalium: habeo testimonium Martris Ecclesiæ, quæ in Martyrum numerum relatum & asscriptum Ermenegildum recolit. Ob Fidem ab Ermenegildo IESV CHRISTI defensam à te comprehensum, per scelus summum coniectum in custodiam, & iniecta manibus & pedibus acerrima vincula, corpus constrictum, & oppressum, denique discissum filii caput esse constat. Interfectus est à quo? à Leouigildo? homine alienigena, credo, aut ignoto, qui Ermenegildi nomen non audierit, neque vultum, neque oculos vnquam viderit: Imò verò à Patre suo, & naturâ, & sanguine cum filio coniuncto, Regiâ & excelsâ stirpe procurato, dignitate & maiestate Regali, nomine & honore celsitatis tecum affecto, & sine causa, nullo nomine, iniustitiâ, atque impietate summa, tantam quod Religionem CHRISTI colebat. Quæ causa tibi debuit esse, si partem vllam humanitatis haberes, à furore mentis & insaniâ resipiscendi. Atque illo die, quo CHRISTI IESV à mortuis excitati sanctæ feriæ recolebantur, omnibus negotiis forensibus & capitalibus intermissis, tu filio tuo mortem affers per summum scelus flagitium. Cùm soleat hoc sacro solennique die mater Ecclesia suos cultores & administros statâ hac celeberrimaque luce redeunte ad pietatem, ad virtutem, ad religionem excitare: cum supplicationes in oppidis, in ciuitatibus ditionis cuiuscunque Christianorum, longo agmine, summa pompa, sacras celebresque habendas solida religione decreuerit: cum apud Gentes Regnorum Imperiorumque Christiana fide præditorum celebritas huiusce diei tanto in honore gloriaque fuerit: cum CHRISTVS se ex ipso sepulchro exiens, immortali gloria

circumfusum, visendum, spectandumque Virgini Mariæ præbuerit: Tu lætitiam, tu iucunditatem huiusce diei filii sanguine sacrilogas manus respergens, contaminauisti. Crudelitas & impietas longius progredi non potuit.

Enumeratio cum comparatione & descriptione in Antonium.

EOrum omnium, qui latrones Cæsaris vocabantur, princeps erat M. Antonius, de cuius improbitate singulari grauissimarum orationum tonitrus ac fulmina legistis. Recordamini, quem orator describit, vultum hominis, & ex ea mollitie, quam in adolescentia ostendebat, illius mores perditos, meretricioque. Hic est Antonius, quem Principem in exercitu toto C. Cæsar, cum vndique nequissimos homines, proditores patriæ aggregasset, & cum ipse sui similes secum habuisset innumerabiles, audacia, nequitia, auaritia, regnandi libidine congruentem, suique simillimum iudicauit. Quem patriæ charitate violata, non ratio, non virtus aliqua, sed regnandi libido, auiditasque coniunxit. C. Cæsaris in patriam animum inimicum hostilemque nostis, fingite vobis, si potestis aliquem, qui in hac auiditate hianteque auaritia par ad perdendam delendamque patriam esse posset. Is erat Antonius iste, qui vt ipse non solum vita, sed etiam corpore atque ore significabat, immensa aliqua vorago erat, & gurges vitiorum, libidinumque impurissimarum. Hunc Cæsar in exercitu suo, hunc in acie Pharsalica, hunc in Italiæ, in prouinciarum Imperii Romani arcibus, populisque capiendis diripiendisque, hunc in militum, & Ducum suorum numero, hunc in ærarii expilationibus Principem adhibebat, tantamque retulit gratiam pro intercessione, victoria ciuili potius, vt Antonius, qui in bello socius, & comes fuerat, etiam gerens consulatum sibi commodus & vltimus Collega fuerit, vt quem omnes Romani odissent, neque videre vellent, sine eo Cæsar esse non posset. Vt cum alii ne oculis quidem ipsis eum aspicerent, quibus omnibus infestus erat, eodem Magistratu vterentur. Postremò vitia Antonii deterrima, propter quæ malè audiebat, vnum Cæsarem ad consuetudinem & congressum quotidianum non offenderint. Illi erat in curia proximus, domi suæ assiduus, libidinum suarum satelles & administer, ac tum maxime, cùm sedenti

sedenti Cæsari Iudis Lupercalibus in conspectu populi Romani, vnctus, nudus, ebrius concionatus est, & cum plangore multitudinis, Regni insigne capiti imponendum curauit.

Enumeratio cum comparatione.

FIdem sanctissimam qui colit, potest dici Dominici non studiosus esse, qui factis itineribus, concionibus habitis, instituta Concionatorum Religione fidem conseruare, & amplificare conatus est? Pudorem & pudicitiam qui amat, potest non odisse libidinosorum quotidiana adulteria, meretriciam vitam, domestica nonnullorum lenocinia, cum corporis & animi castitatem Beati Dominici, compressiones carnis plurimas, & adhibitam corpori castigationem audierit? Qui religionem Dei immortalis retinendam curat, eidem qui depulit errores Arrianorum, & disiecit tenebras multorum animis offusas ignorationis & inscientiæ maximæ, & profundendi Religione Christiana sanguinis studio & cupiditate flagrabat, non existimet laudē esse tribuendam? Is ei nō deditissimus fuerit, qui non præscriptiones Dei solum, & Ecclesiæ mandata integra semper & inuiolata custodiebat, sed itineribus consiliorum Christi IESV obediendæ paupertatis & demissionis in cœlos contendebat? Qui Beatorum sedes immortales adipisci voluerit, is in Beatum Dominicum non studio voluntateque propensa feretur, cum cogitet dignitates cœlestis Aulæ, honores Beatorum Dominico delatos, qui laurea Virginis, honore Patriarchæ, insignibus Doctoris, & infulis Confessoris in Heroas cœlorum claros & illustres ornatus floret? Qui nobilitatem generis, iactationem sæculi; pro virtutis splendore, pro Beatorum claritate commutatam curauerit, is non in gloriā Guzmaniorum stemmatibus sancti Dominici virtute additam, in accessionem gloriæ factam, pro vulgi plausibus, & inanitate contemptâ, mentis aciem intendet? An si quo in homine quidquam boni inesse rusticus & agrestis viderit, continuò mirabitur & similis illius esse concupiscet, nos qui cumulum bonorum omnium, multitudinem virtutum maximarum, abundantiam cœlestium diuitiarum & modum rationemque ad florentem hanc & cœlestem fortunam aspirandi in vno Principe recipiamus, eundem, Beatum scilicet Dominicum, non colimus, non suspicimus? Quid illa, quæ magnum pondus habent, non cuiusuis animū commouere posiunt, quod ad Christi Iesu

amicitiam, sanctissimæque Triados, facilem aditum Virginis Mariæ (cuius studiosus ille à puero fuit) ostendit intercessione patrocinioque suscepto?

Enumeratio cum repugnantibus & minoribus.

SEd ego multitudine magnitudineque tuarum laudum fretus, vide quò progrediar. Quis filius patri, quis seruus heroi ita morem gessit, atque tu fratri maximo natu, vt quodcunque illi collibitum esset, tibi placeret? quid ratum Franciscus habebat, scire desideratis? proferte quid tutori fratri suo fuerit libitum, id fratri minori natu collibitum erat: Quid fratri fuerit probatum, id huic probatum etiam erat. Paulò ante cunctorum, quibuscum versatus fuerat, condiscipulorum testimonia proferebamus: Quid ita? non domesticis probatus? non fratri atque de sua familia hominibus acceptus? imò quia propter virtutes suas tam charus fuerat, externorum ad maiorem laudem iudicia facta, efflagitabamus, vt quo minus secundum omnia vos de tanto viro existimaretis, non recusaremus. Ecquis demissionem eius, & mores ad fratris nutum fictos atque formatos ignorat? obedientiam sui ipsius voluntatis inimicam, ne contra fratris voluntem & placida veniret, omnes certè magnoperè commendarunt. Atque in studiis instituendis atq; persequendis in curriculum vsque literariæ contentionis factum, nihil vnquam, nisi ex illius animo, atque præscripto fecisse constat. Proh virtus hominis eximia! Esse ne putassemus quenquã adolescentem tantã virtute præditum, vt quod suum esset, id à tutore petere non auderet? cuius petendi leges potestatem faciebant, imò quæ sibi sæpe fuissent opus ad sumptus necessarios, ne parum modestus videretur Franciscus, ea magis a fratre volebat animaduertere, per eumque admoneri, quam ne tutorem non arrogantiæ arguere videretur. Sed nimis multa videbor de hac re dicere: nõ habere se hoc in suis magnis laudibus & ornamentis, dicet aliquis. Quid? Parum? ne est, vsque eò se demittere quenquam & abiicere, vt cum adolescens esset, sic se temperauerit, vt actiones suas ex illius, in cuius ditione fuerit, nutu & voluntate dirigeret, vultum & nutus hominis perspiceret, atq; adeo tacitos & reconditos animi sensus ad obediendum cognitos & exploratos haberet? Quo studio & alacritate iusta exequeretur, qui sic à necessariis rebus postulandis

landis abstinebat? quem modum & moderationem haberet in reliquo genere rerum, quas adolescentes appetunt, quas efflagitant, & pro consequendis tutores suos vrgent, atque premunt, & si non tutores succurrant statim, litem intendunt, vt in libidines suas, in multas insanias suo arbitratu pecunias extorqueant?

Quibus schematibus illustretur, & amplificationum generibus enumeratio.

Licèt ex superioribus facilè sit intelligere, quibus schematibus enumeratio illustretur, tamen separatim schematis illustratas aliquot enumerationis exercitationes subijciamus, quæ decori sint & ornamento maximo exercitationibus oratoriis.

Nullum schema repetitione frequentius, à qua duximus initium, ad amplificationem enumerationis: repetitionem alia sequentur schematum genera, quæ exercitationum inscriptio suis nominibus notabit.

Enumeratio cum repetitione.

ITaque biennio consumpto in Rhetorum classe, è Rhetoricis excessit, Dialecticæ facultatem audire voluit; vel patri, qui iusserat, vel auiditati suæ, vel conditionibus quas habiturus erat, satis promissum esse ducens. Ad Dialecticos ergo se contulit, teque Dialecticam interpretantem præceptorem habuit. Ille præceptori suo frequentione, studioque non defuit: Ille gymnasium suis argumentis & responsis publicarum disputationum cohonestauit: Ille sæpe, sæpius, ac sæpissimè arma dedit, quibus condiscipuli ad argumentandum vterentur: ille se primum semper aduersariis obiecit, cum illisque primus in acie duce præceptore fuit, tuosque aduersarios esse duxit suos. Quæ quidem à te, in eam partem accepta sunt, vt illum ad examinis periculum subeundum primum præ cæteris condiscipulis designaueris.

* *
*

Secunda exercitatio cum repetitione.

QVo tandem animo esse putatis, aut adolescentes, qui literas perceptum in Academiam veniunt, aut eos, qui prælegendi munus præstant, & cathedras omnes moderantur, cum pestilentiam in hanc vrbem inuasuram metuant? Cum non procul ab hac vrbe distantes populi numerentur infecti iam esse pestilentia? Cum vnius hominis infecti pestilentia, in hanc vrbem aduentus totam ciuitatem contaminare possit? Cum rumor pestilentiæ oppidanos oppresserit, cùm tantam multitudinem adolescentum, quos Dialecticæ, quos Medicinæ, quos Iurisperitiæ, quos denique sacræ Theologiæ vacantes videtis vno solum rumore Salmantica fugare possit, & in patrium solum vitandæ pestilentiæ causa vnumquemque propellere, putatis ne vos, hac quiete, & auditorum flore perfruituros, nisi eos, qui vobis omnium artium & disciplinarũ gymnasia complent, non solum, vt necessarium est, pestilentia, sed etiam pestilentiæ formidine liberetis?

Enumeratio cum repetitione in singulis periodis.

NOn possum appositè Iudam accusare; si cuipiam opus est ad vnum duntaxat crimen, non solum ingenio, verum etiam arte quadam singulari. Vnum hoc crimen videtur esse, verum in illo tot, & tanta scelera continentur, vt ea quo pacto distinguere ac separare possim, nesciam. Est venditionis crimen, cuius causa pecunias Iudas sceleratissimus accepit. Est proditionis, quòd Christum IESVM impiè ac nefariè prodidit. Est perfidiæ, quòd omnium perfidiosissimus in Dominum perfidiam & inimicitiam concitauit. Est crudelitatis, quòd Agnum mitissimum obtulerit belluis immanissimis, discerpendum, dilaniandumq; tradiderit. Est impietatis, quòd parentem filius, quòd discipulus præceptorem, quòd seruus Dominum crudelitati obiecerit inimicorũ. Est ingrati animi, quòd à præceptore beneficiorum memoriam abiecerit acceptorum. Est auaritiæ, quòd pecuniarum cupiditate captus pretio sanguinem addicere non erubuerit innocentis. Est maiestatis violatæ, quod Imperii Beatorum, Regnorumque cœlestium Principem, & Regem celsissimum ita nefariè violare ausus est. Est immanitatis plusquã ferinæ, quod insontem, tanta sanctitate præcellentem Christum, ipsam potius innocentiam, summamque sancti-

sanctimoniam in tantas coniecerit suppliciorum acerbitates. Est hæreseos, quòd à Domino Christo IESV à sua fide sanctissima Religione q; defecerit aduersariorũ factionibus studens. Est superbiæ Luciferi sectatricis, quòd in Deum ipsum, in auctorem vitæ arma ceperit, & vniuersam diuinorum spirituum aulam sibi fecerit infestam & inimicam. Illud verò, quid sit, iam non possum dicere, quoque nomine appellem, nescio, quod ipsum Christum Iesum, inspectante senatu discipulorum, simulatione pacis, oculi signo dato, vinciendum constringendumq; tradiderit. Cum Christum Iesum dico, quem me vis intelligere Iudas nequissime? Ipsum Deum, Filium Patris Æterni. Nihil est quod dicam amplius.

Enumeratio per præteritionem cum repetitione.

TV præ condiscipulis tuis optimo ingenio præditus es, & lætissimis tui præceptoris doctissimi hominis, & antiquissimi, & imprimis ab omnibus commendati opinionem tuis progressionibus adauxisti. Tu maximam & frequentissimam scholasticorum celebritatem curatam à præceptore, qui occupationibus necessariis impeditus prælegere non poterat, muneris istius obeundi prouinciam sustines, occupatis omnib. gymnasii subselliis inferioribus & superioribus: sed non istud in laude tua pono, quòd adolescentes ingenio magno, industria singulari, summa eloquentia commemorantur, qui id fecerint. Nolo communem cum aliis laudem amplificare oratione mea. Exquisita quæro, non vulgaria de nostro Doctore prædicabo, & in eloquentiæ studia, & in reliquarum artium & disciplinarum Oceanum ingresso.

Enumeratio per præteritionem, cum repetitione

NOstis hęc omnia multò melius, quàm ego mea possim oratione referre, quæ nunc ego omnia prætereo ac relinquo. Nihil de castitate hominis loquor, nihil de sua demissione, nihil de singulari patientia & fortitudine, tantum de vna charitate, quo facilius vos iudicium de sacellis, de Xenodochiis extructis, de Sacerdotiis (vulgò Præbendis) institutis, & de misericordia egentium multitudini semper è facultatibus suis tributâ facere possitis, quoniam id vos maximè video desiderare, dicam.

Enumeratio per præteritionem ad subiectionem facientem.

SEd quid ego ineptus de hoc homine apud vos dico? Ignotum hominem scilicet pluribus verbis commendo? Estne quisquam omnium suæ artis atque disciplinæ virorum, de quo melius existimetis vos? Estne quisquam qui vobis prudentior, humanior, officiosior, doctior esse videatur? Quid inuidi, qui hunc suis in circulis propter virtutis præstantiam, & eruditionis laudem corrodere solent, secum taciti, si se colligent, existimabunt aliter? Nonne quoties in literarum mentionem incidimus, toties hunc, qui bene de doctis viris Academiæ loquuntur atque sentiunt, & virum bonum & doctum esse dixerunt: & honoris causa appellare consueuerunt, quod nemo nisi aut de optimo, aut literatissimo facere consueuit?

Enumeratio cum articulis, traductione interrogatione.

OMnia iam, inuictissime Ioannes, prouisa, parata, constituta sunt, cum tua summa cura atque diligentia, tum etiam eorum Ducum, quos tecum habes ad pugnam contra Turcas committendam. Adest etiam hostis in oculis, sin conspectu nostro, qui pugnádi studio summo inflammatus venit. Omnes adsunt omnium ordinum milites, omnis denique generis, plenæ sunt triremes, plenę iam puppes, plenæ prora: causa quidem est post Religionem natam hęc inuenta vna, in qua omnes senserint vnum atque idem. Atque omnes quo studio, qua alacritate, qua virtute, qua spe ad dignitatem fidei & ad honorem Christi IESV defendendum consentiunt? Quid ergo hic equites Venetos commemorem, qui tibi ita summam pugnæ concedunt, vt tecum de Religionis amore certent, quos ex multa diuturnaque disiunctione ad huius pugnæ societatem concordiam que reuocatos fidei causa cum Rege Philippo coniunxit? Pari studio defendendæ Religionis conuenisse vides Italos fortissimos Duces, & inter illos classi Italorum Præpositum, eximia virtute præditum Antonium Columnam; milites item suos (cum stipendiis ad pugnandum hic dies frequentes aduocauerit) video ab omni alia expectatione ad tuendam Christianam fidem esse conuersos. Omne robur adest Cruciferorum

Ordinis

Ordinis Beati Ioannis, Equitum fortissimorum. Quis enim est illorum, cui non causa præsens, fœderis initi societas, Christianæque Religionis amor, honos, & decus immortale Christi IESV, cum sit carum, tum ad sanguinem vsque profundendum dulce nimis atque iucundum? Operæ pretium est, Imperator fortissime, aliorum, qui nobiscum conuenerunt, studia cognoscere, qui sua virtute multorum Imperatorum stipendia consequuti, hanc auidissimè pugnam expectant, quam quidem ex diuersis nationibus oriundi, & multi summo nati loco, auidius expectare nequeunt. Sed quid ego singularum nationum homines persequor, quos societas ista, quos communis causa, quos denique fides eadem, quæ carissima vnicuique debet esse Christiano, ad Religionem defendendam excitauit? Hispanus est nemo tuæ gentis, nationisque bellicosissimæ, qui Turcarum impetus deterrimorum frænare non cupiat, qui non obuiam velit occurrere, qui non tantum, quantum viribus possit, conferre gestiat ad prælium committendum. Qui tecum sunt in triremi Imperatoria, qui veniunt Equites clarissimi, qui Comites, qui Marchiones, hoc idem deposcunt. Omnes paratos & instructos habes, expeditos ad prælium omnes ex omni gente, ordine, atque natione; ad signum, buccinarum clangore multo, terrificoque Arcabusiorum displosione, tormentorum fragore percrepent omnia, vt cœlum ruere velle videatur.

Enumeratio vehemens cum interrogatione.

QVid mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod non in Anglia hæresis susceperit, & patrauerit? Quod toto orbe flagitium, quod latrocinium, quod parricidium, quæ superbia, quæ auaritia, quæ ventris ingluuies, quæ iracundia, quæ odii magnitudo, quod adulterium, quod stuprum, quæ libido, quod dedecus infamiæ ab hæresi remotum fuit? Quis improbus non hæresi fuit affinis, atque reus? Quis proditor diuinæ Maiestatis, quis desertor Religionis, quis prædo sacrorum, quis corruptor iuuentutis, quis corruptus, quis perditus inueniri potest, qui se in hæresi non familiarissimè vixisse fateatur? quæ cædes per annos multos sine hæreseos factione factæ? quod nefarium sacrilegium non per illam admissum? Iam verò quæ tanta in illo vnquam homine voluptatis illecebra fuit, quanta in hæretico? Hic alios amat turpissimè: aliorum amori flagitiosissimè seruit: aliis fruens diuitia-

diuitiarum pollicetur, cum aliis necem bonorum, non modò impellendo, verùm etiam adiuuando, facit. Iam verò quam subitò non solum ex vrbe, verùm etiam ex omnibus locis ingentem numerum perditorum hominum colligit? Nemo non modò perditus Londini, sed nec vllo in angulo totius Angliæ libidinis, & libertatis appetens erit, quem non ad deserendam fidem, ad euertenda templa, ad stupra sacris virginibus facienda, ad rapinas & prædas non asciuerit. Atque iidem isti Hæretici scelerum & flagitiorum consuetudine assuefacti, stimulos & morsus conscientiæ cum ferre non possint, Ecclesiam per se fingunt, atque mentiuntur, mentientes caput illius hæreseos ream, & adiutricem mulierem insanam & furentem Elizabetham.

Enumeratio inquirendo causas, per subiectionem.

IN hac tanta tam eximia, tam singulari virtute, quæ ita rarò extitit, vt si quando perspecta sit, fere absolutionem & perfectionem adferat, quibus illum adolescentem valdè bonum ornamentis præditum esse censes oportere? Nonne & indolem eius, qui commendatur, mirificam esse, præclaros mores, egregiam naturam, & vitam donis & muneribus eximiis instructam, omnia denique ad exemplar, & formam honestatis spectare? Horum tu nihil non in hoc adolescente, pro laudis instituto præconio non inuenies. Laudatur à te Petrus Martinus, qui homo? Adolescens probus & integer, & à bonis in precio magno habitus, annos natus nondum decem & octo, vetus profectò Rhetor, sciens Græci sermonis, & multum in historia versatus, vt hoc ab omnibus prædicare sæpe audiuistis. Diuitiæ tamen istum adolescentem, & à parentibus relicti patrimonii amplitudo, & numerum acerui ab itinere virtutis aliquando deflexerunt. De suspitione cuiuscunque vitii nunquam illum apud suos amicos, aut apud præceptores purgare necesse fuit. Diuitias sic maximas obtinuit, vt quæ sibi necessariæ fuerint, eas ad victum quotidianum acceperit, reliquas tutor administrauerit. Occasiones porrò quæ potuerunt esse in eo, qui vt omnes scimus, domi se semper tenuerit, ab scholis rediens & literis & studiis se totum addiderit? Hæc sanè vita maximè disiuncta à sceleribus, & cum officio planè coniuncta videtur. Quæ res & alia cogitari potuisset, quamobrem fuit semper similis non esset? Nobilitas, inquies, generis animum extulit. Nobilitas

bilitas generis efferebat? Quando obsecro? Necesse est enim tunc aditum inferiorum difficilem, congressus cum his nullos, nullos sermones habuisse: At is fuit maximè comis & humanus, qui quamuis plurimis nobilitate præiret, infimis comitate par esse videbatur.

Enumeratio per subiectionem cum repetitione initio periodi, & cum interrogatione concludens.

QVæro abs te, Isne qui sacerdotium postulat indignus erat, qui impetret? An illi non mouebunt qui pro eo postulabãt? An postulatio tibi non æqua videbitur? Postulabant homines nobilissimi, atque illustrissimi nostræ ciuitatis, quos nominare non est necesse: quia nosti mores & splendorem illorum, quia præsentes sunt, & vos eosdem videtis, qui tanto splendore sunt ac dignitate, vt tales à populo Hispalensi putentur, vt quidquid postularent, nemo esset, qui non æquum putaret. Postulabant pro homine egentissimo, & literis, ac virtute iam inde à pueritia dedito, qui vel ipse hoc sacerdotium appeteret, vt se magis virtuti dederet, & vestram Ecclesiam suo splendore cohonestaret. Res porrò à vobis eiusmodi postulabatur, vt æquè vobis atque hõmini conueniret, tantum ad se sacerdotium deferri. Quæ cum ita sint, quæro abs te, quam ob causam sacerdotium eidem non detuleris?

Enumeratio per subiectionem.

PRoficiscuntur Reges obseruata de cœlo stellula, relinquunt imperiorum gubernacula, nullo strepitu, nullo tumultu, nulla gaza, neque apparatu regio comitante. Quo? in finitima loca? minime Auditores: in remota igitur? ita quidem. Quonam? quò stella deduceret. Cuius Principis inuisendi causa? Regis Iudæorum, & Principis summi, & Imperatoris dominantium. Verno proficiscuntur tempore? hyberno potius, summa hyeme, hyemis infestissimo tempore, quod tempus esse solet aquarum, frigorum & niuium maximarum. Quò peruenerunt? Ierosolymas. Quam tu mihi narras vrbem? Caput Iudæ & non ad Præsidem continuò, cuius domus Regum excipiendorum apparatissimum hospitium debet esse. Quid igitur sibi rei cum Herode, qui Iudæa præsidebat? Nihil rei præter percontationem. Quinam Herodes accepit? Accepit Reges simulatione humanitatis, quem illi percontatione Regis Iudæorum nati plurimum ac vehementer perturbarunt. Et quæ

Regibus

Regibus in Iudæam veniendi causa? Regem vt inuiserent, quem prædicabat stella fuisse natum. Quid Reges ab Herode acceperunt? quod constanter periti veteris legis responderunt. Illud esse tempus à vatibus prædictum, Regis quem expectabant: in lucem proditurì oppidulum Bethleem esse, quo in loco nasciturum esse vatum oracula prædicabant, adirent illuc, & vbi adorassent, ad se reuerterentur, quòd quem illi præstitum honorem, à suis sedibus venissent, eundem illi iustum ac debitum vellet eadem submissione tribuere. Quid agunt Reges? discedunt ab Herode, & nullo duce monstrante viam. Quinam igitur in porticum peruenerunt? Quæ se suis ex oculis abduxerat, eadem stella visa est continuò præire denuò apparens, & deducens illos in Bethleem, in ædem vsque, in porticum vsque humilem, & malè materiatam, super quam illa constitit, & Reges in illam ingressi, quem inquirebant infantem inueniunt? inueniunt certè quidem. At quomodo? iacentem inter duo animalia, quem inuisunt: nec inuisunt solum, sed ad illius pedes prostrati suis donis ac muneribus afficiunt, & in illius pueri formâ atq; figurâ maiestatem immortalis Dei latentè adorant. O fidem omni laude prædicandam! non exhorrent Reges humilitatem ædiculæ, non indignitatem præsepis, non inopiam parentum extremam, non solitudinem & speciem foris apparentem infimam & contemptissimam.

Enumeratio per subiectionem cum correctione & dubitatione.

SEd quisnam est tam eloquens de Rhetoricis nostris? tametsi qui minus sunt eloquentes, quàm qui adolescentes limina Rhetoricæ vix ingressi fuerunt? An ex eo numero, qui ex Rhetoricis ad alias artes disciplinasque transierunt? Non est credibilis tantus in vllo furor, vt qui vix flosculos Rhetoricæ delibarunt, aut in aliis artibus versantur, tantam audeant sibi præripere laudem. Ac si nihil hæc duo genera adolescentum cogitant, videndum est, nequid præceptores Rhetoricæ. Qui? omnes enim qui sunt, aut tanta superbia non erunt, vt id sibi sumant, aut recordari diuitias oratoris ad Qu. Fratrem, omni conuentione repudiabunt: vt aut nolint, aut si tantum sibi sumerent, contra Ciceronis sententiam venire se procul dubio videant.

* *
*

Enumeratio

Enumeratio per ironiam.

NIsi fortè etiam dubium est, quomodo ipse ad tantum honorem ascenderit, homo scilicet nobili genere natus, summis opibus ac facultatibus, excellenti ingenio, rectissimis studiis, atque optimis artibus, bonitate singulari atque existimatione, prudentia & exercitatione, acerrima mente, atque consilio, homo denique omnibus ornamentis præditus, vt eum honorem alius nemo mereretur accipere. Non est necesse demonstrare verbis, cum neque literas nouerit, & ad illas percipiendas hebiti fuerit & obtuso nimis ingenio. Quibus porrò potest ille hominum existimationibus vti, qui propter Præturam hanc nefariam absens nunquam in obliuione iacuerit, sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum reus fuerit?

Quam partem orationis sortiatur enumeratio.

ENumeratio in omni parte orationis dominari potest, & cum excellentia singulari. Et quanquam ex superioribus quidem exercitationibus pars illa confirmationis constare potest, tamen singulas modò ex instituto partes persequamur, quo clarius id, quod diximus, & imprimis in Exordio, præpositis aliquot Exordiis confirmemus, deinde ex ordine ad partes alias accedemus.

Exordium in laudem B. Ermenegildi ex enumeratione petitum.

QVæ res in habendis orationibus plurimum possunt, ea pro nobis ambæ faciunt in hoc tempore, maxima Diui Ermenegildi, virtus, & Auditorum, qui meam spectant orationem, in tantum Regem & Martyrem Christi IESV venerandum singularis pietas, & religio notissima. Quorum vnus affert orationis vbertatem & copiam, alterum incredibilem ad dicendum alacritatem. Laus enim D. Ermenegildi, fidem egregiam, patientiam animi, constantiam in extremum vsque spiritum seruatam ostendit. Neque hæc duntaxat, quæ tantopere mirari videntur omnes, summa in hoc Rege inesse videbimus, sed vnius filii, Regnorum maximorum hæredis, vxoris iungendæ, & suorum Regnorum pro tuenda Religione deuotionem.

Accedit

Accedit illud quoque decus, ac lumen Ermenegildi, quòd superiora ornamenta, magis illustriora reddit, & omnibus diuinæ laudis numeris absoluit: quod post carceris squalorem, post custodiæ tenebras, & angustias maximas, post tollerantiam & perpessionem acerbitatum maximarum, caput ille discindendum vltrò carnificis obiecit crudelitati. Quantam verò mihi Auditores beneuolentiam, quantum studium & attentionem polliceantur, declarat tantæ multitudinis, quantam capit huiusce theatri amplitudo, qui factus est ad audiendas sui Patroni laudes concursus maximus, nunquam ex hoc loco perspectus, nobilitatis magnificentissimus iste motus, & honorificentissima Senatorum Hispalensium frequentia, cum splendore consessus Ecclesiæ sanctissimæ, Portionariorum, & Canonicorum omni dignitate florentium. Atque tu ipse Cardinalis excellentissime, qui pro feriis tanti Regis administrandis nostram orationem audire voluisti, quantos dabis plausus, vt de Diuo Ermenegildo dicere sine magna voluptate & alacritate non possim. Vos igitur omnes, quos adesse video, qui mihi fauetis & facitis animum, quem cuperem & habere vellem ad dicendum, & teipsum Rex & Martyr fortissime, auctor & Princeps istius orationis instituendæ, testor & imploro ad Orationem hanc tanquam nauim in portum vsque velis passis, & aura secundissima prouehendum.

Secundum Exordium ab enumeratione per præoccupationem.

POterit aliquis vestrum quærere P. G. quid sit, quòd cum summi oratores præceptoresq; eloquentissimi suadeant, ego potissimum surrexerim, qui neq; ætate, neq; ingenio, neq; auctoritate sim cum his, qui sedeant, comparandus. Multi enim eorum, quos videtis adesse eloquentiam sibi cum natura, tum arte atque exercitatione compararunt. Neque quisquam est eorum, quos enumerare potuissem, qui in hoc laudationis genere non fuerint summa cum laude versati. Quid enim mihi nunc primum in hanc lucem prodeunti, cum exercitatissimis collegii trilinguis oratoribus, cum multis veteranis oratoriæ facultatis Principibus, cũ præceptoribus Academiæ Complutensis exquisitissimis, quorum in voce suauitas, in agendo dignitas, in verbis splendor, in sententiis grauitas, in omnibus dicendi

cendi luminibus laus præcellens & admiranda non meam, sed aliorum, qui quondam Oratores summi singularesque fuerunt, gloriam adæquarunt? Omnes profectò, quos habet Academia nostra, huiusce laudis & orationis appetentes fuerunt, habere tamen propter occupationes suas orationem fortasse non potuerunt. Ita fit vt adsint, propterea quòd lauream Magistri sapientissimi cohonestare voluerunt: taceant autem idcircò, quia tempora occupatissima afferre voluerunt. Quid ergo audacissimus ego ex omnibus? Qui occupationibus distinear etiam non minimis? Quæ me res præter cæteros impulit, vt istius viri præstantissimi laudem susciperem? Quia si quis istorum dixisset, qui dicere potuerunt, in quibus est summa orationis vbertas atque copia, si quis verba de laude Magistri nostri facienda decreuisset, id quod hodierno die, propter profectionem quæ instabat, fieri necesse erat, fortasse nisi incommodo suo facere non potuisset. Ego, etsi omnia quæ mihi fuissent agenda, intermitterem, nequaquam res meæ quidquam detrimenti capere potuissent: deinde quòd cæterorum oratio, propter excusationem, quam afferrent, nec postulanda tam facilè videbatur, & propter nobilitatem & amplitudinem suam, id postulare, non magnæ fuisset, quod omnes fatebuntur, prudentiæ. Ego si quid non ita perpolitum arte, perfectum numeris oratorijs attulissem, vel non admodum animaduertendum esse, propterea quòd nunc primùm ad dicendum ascenderem, vel ignoſci adolescentiæ meæ potuisset. Accedit illa quoque causa, quòd à cæteris forsitan ita petitum esset, qui neque officijs, neque sanguinis communione cum Magistro sapientissimo coniuncti essent: à me autem ille contendit, qui apud me & sanguinis communione, & beneficijs, & dignitate plurimum potest; cuius ego neque coniunctionem cum parentibus meis ignorare, neque auctoritatem negligere, neque summa in me beneficia negare potuissem. His de causis huic ego laudi orator accessi non electus vnus, qui maximâ eloquentiâ, sed interceptus ex omnibus, qui meas occupationes intermittere potuissem. Neque vti maximâ fuissem auiditate dicendi, verùm vti non omnino diem necessarium obire desinerem. Forsitan quæratis, quæ ista tanta temporis breuitas, quæ profectionis celeritas & repentina festinatio, quæ tot ac tales oratores impedierint, quominus de studijs, de laude præstantissimi viri, quemadmodum consueuerunt, possent orationem habere. Id vos adhuc ignorare non mirum est,

propterea quod repentinè nuntij, literæque istius rei, quæ nostræ orationis necessitatem attulit, abhinc quatuor dies venerunt. Res ea est, patrem nostri Magistri, qui diem laureæ anteuertit, ex periculoso morbo laborare nuntiatum est. Ad illum senem iam, & grauissimè ægrotantem, moriturum certò, vt prædixerunt Medici, nisi dies aliquot ante obitum proficiscatur, res paternas bene constitutas relinqui non posse. Hic repentinus & luctuosus paterni morbi nuntius præponendæ tot ante dies laureæ, simul & orationis vsitato Academiæ more necessitatem habendæ, nobisque in discrimen honoris adducendi causam æquissimam attulit. Quare dum breuiter de doctissimi Magistri laudibus dixero, quam veniam temporis angustiæ nostræ parum elaboratæ dictioni postulant, vestra benignitas, & singularis in omnes oratores iampridem perspecta beneuolentia, minimè profectò, quemadmodum spero, denegabitis.

Tertium Exordium ab enumeratione.

SI Doctor aliquis P. G. aut eorum qui præsentes sunt, fortè quæsierit, cur ego qui tot annos in sacris Literis studijsque ita sim versatus, vt hoc omiserim dicēdi genus, nullasq; habuerim orationes, subitò nunc, intermissa facultate sacræ Theologiæ, ad orandum ascendam: is si nostræ orationis habendæ causas rationesque cognouerit, vnà & id, quod facio, laudabit, & in hac laude omissa, nullam mihi iustam futuram fuisse excusationem putabit. Cùm auditor in Academia vestra Rhetoricæ fuissem, Patres, ita quidem ex his studijs excessi, vt Rhetoricæ gymnasijs gratiam aliquam, iucundamque mearum in arte benedicendi progressionum memoriam reliquerim: factum est autem, vt cùm magnam in suis oratoribus multis, tum nonnullam in me spem huiusce facultatis cohonestandæ positam esse plures arbitrarentur, qui nunc bonitate causæ adducti, ferè omnes ad me de communi consensione conuenerunt, vt suarum præsentium feriarum laudem celebritatemq; defenderem. Me sæpe esse pollicitum, sæpe ostendisse dicebant, si quod tempus, dum sacræ Theologiæ vacarem, accidisset, quo tempore meum officium Rhetorum ordo desideraret, eorum honori me non defuturum. Venisse tempus, aiebant, vt ordinem Rhetoricæ, ad honorem famamque totius Academiæ commendatum haberem: se nullum genus Oratorum in hisce sacris solemnibusque ferijs, ad quos adire potuissent, prætermissuros esse;

esse ; quòd caput sanctissimum D. Ermenegildi Senatus Hispalensis in nostrum Collegium ex suo templo maximo augustissimoque transferendum decreuisset. Quas res in Carminibus Poëtis, Rhetorica in orationibus, Hispana musa in suo genere, cunctorum ingenia in suis facultatibus, & in suis opibus efficere potuissent, eas omnes Academiæ tantæ cunctos ordines hac vna celebritate præstituros esse : rogare & orare non destiterunt, vt illos laborantes de tantarum feriarum honore consolarer, quos me Rhetoricæ non inscientem maximè adiuuare oporteret. Tuli grauiter & acerbè, Patres, in eum me locum adductum, vt aut eos homines spes falleret, qui opem à me & auxilium expectassent, aut ego qui me ad sacræ Theologiæ disciplinam colendam abhinc duobus annis dedissem, tempore atque officio coactus ad artem Rhetoricæ facultatemque traducerer. Dicebam habere Rhetoricæ ordinem exquisitos facultatis oratoriæ magistros, & præterea nobiles alumnos & singulares Oratores, qui, quemadmodum sciebant, sæpius ad dicendum in istiusmodi Sanctorum laudibus ante me in hunc locum surrexissent : Quibus ego Oratoribus nominatis, quòd excellentes in suo munere fuissent, sperabam hanc à me prouinciam posse reiici, id erat mihi aduersarium maximè. Nam nisi hoc isti etiam præceptores & summa laude cumulati Oratores se facturos esse non pollicerentur, neque meipsum adijssent, neque hanc prouinciam vt susciperem, à me efflagitauissent. Adductus igitur sum officio, fide, precibus, bonorum Oratorum exemplo, aliorum meæ doctrinæ permissu concessuque veteranorum, vt munus hoc dicendi, non ex meorum studiorum, sed ex præsentium feriarum ratione mihi suscipiendum putauerim. Quo in munere illa me res excitare & inflammare debet ad dicendum, quòd hæc, quæ videtur esse, exercitatio oratoria, non potius Rhetoricæ, quam Theologiæ res est existimanda. Afferro enim diuitias aliquot Theologorum, monimenta sacrorum annalium, rationes ex sacrorum Doctorum annalibus petitas. Quamobrem, etsi verba mihi petenda sunt ab Oratoribus, & ex illorum præscriptionibus oratorium artificium, & ars exquisita proferenda, propemodum manere in officio Theologorum videor, & non omnino a tractandis Theologis versandisque discedere. Quòd si hanc causam, tam iustam, tam illustrem, tam necessariam non haberem, si aut hoc à me

Rhetorum ordo non petijſſet, aut mihi præceptorum, qui laborem hunc ſuſceperunt, auctoritas & exiſtimatio non intercederet, & hoc, quod facio; ab ſtudijs meis non diſcedens, profiterer; vt Diuus Ermenegildus regia dignitate; contemptione rerum humanarum, in Chriſtum Ieſum fide & amore, patientia, magnitudine que animi, ſanguinis pro Religione profuſi conſtantia, cuius merita in vrbem Hiſpalim, in totam Prouinciam Bethicam, atque in regna Hiſpaniarum florentiſſima ante oculos omnium poſita, me dicente commendaretur, quis tandem eſſet, qui omnem ſtudiorum rationem intermittendam, &, ſi opus eſſet, omittendam non curaret? Quid eſt, proh Deum immortalem! in quo Oratores Reipub. plus hoc tempore prodeſſe queant? quid quod aut populo Hiſpalenſi gratius eſſe debeat, aut alumnis huiuſce Reipub. literariæ optatius eſſe poſſit, aut ſaluti, bonoque noſtrorum animorum magis accommodatum, quàm Regem ſanctum, & Martyrem, & Patronum Collegij, de totâ non ſolùm vrbe, ſed etiam Hiſpaniâ tam bene meritum, vt illius Hiſpaniarum Principis pro Religione ſanguine profuſo, fides, quæ in Hiſpania labare, atque concidere velle videretur, conſtantiſſimè retineatur, debitis, vt par erat, orationibus commendare? Dicam ergò de Martyris inuictiſſimi laureâ, de genere mortis obitæ, (quoniam reliqua ſcio, qui ſibi commendanda ornamenta ſuſceperint,) ſi me beneuolis & attentis auribus audieritis.

Exercitatio Enumerationis in Diſtributione.

Primùm mihi videtur de demiſſione, deinde de paupertate, tum de charitate Beati Franciſci eſſe dicendum.

Exercitatio enumerationis in Narratione.

ATque vt inde oratio mea proficiſcatur, vndè hæc omnis cauſa manat, bellum graue & contumelioſum Regnis Hiſpaniarum, atque Sacræ Religioni Chriſtianæ à teterrimis hoſtibus infertur Flandro & Anglo, quorum alter tot annos bellis oppreſſus, alter fidei inimicus, maximè occaſionem nullam, ad noſtros populos & prouincias attentandas prætermittendam ſemper ratus eſt. Nuntij afferuntur quotidiè Hiſpanis mercatoribus

ribus, quorum magnæ res aguntur in negotiatione Indica occupatæ? Ad Regem Philippum pro suis classibus, quas capiendas & diripiendas isti prædones classibus maximis ornatis & instructis curant, literas nuntiosque mittunt Insularum B. Dominici incolæ habitatoresque, qui sunt in Hispaniarum ditione: significant portum ab his esse captum, vrbemque Gaditanam, quæ in aditu est, & faucibus Bethicæ, totam esse perturbatam Anglorum aduentu repentino, hos eosdem mare infestum reddere, & in Hispaniarum portus huc illucque nauigantibus iter præcludere, spoliare multos, diripere naues, partim prædas facere, partim captas naues cùm contra tantam multitudinem paucæ nequeant se defendere, rebus omnibus onustas in Angliam deferre: Hostes eosdem magnis damnis illatis, metum esse, plura velle nobis inferre. His necessarium esse classes Hispaniarum, rebus omnibus ornatas opponere, quæ aduersarijs metum iniiciant: atque hoc potissimum tempore vnam necessariam esse classem potentissimam, munitissimamque; & huic clamitant Marchionem de sancta Cruz præficiendum, fortem, & insignem vnum de Ducibus Hispaniæ fortissimis, rebus bellicis, & victorijs florentem, famâ & nominis celebritate præclarum, præterea neminem.

Alterius Enumerationis exercitatio in Narratione facti vehementiore, contra parentem B. Barbaræ, cum amplificatione.

ACcipite nunc crudelitatis inauditæ supplicium acerbissimum. Pater iugulum filiæ poposcit, quam ipse idolorum causa manu suâ necaret. Iudices statim carnificem de totâ ciuitate crudelem & immanem constituerunt: hoc officio delato in patibulum filiam prosequutus est. Nàm quemadmodum filiæ sectam idolorum persuaserit, item de publicâ delatione in iudicium, de contumelijs, & iniurijs in filiam sanctissimam, tametsi tum verè, tum grauiter & vehementer possem, tamen dicere prætermittam, eaque omnia vestris animis integra reseruabo. Istud, quod neq; taceri vllo modo potest, neque dici pro indignitate, cognoscite. Pater ad filiã manu suâ conficiendam sese offert, & operam suam pollicetur, ipse gladium fulgentem, ex carnificum, qui possent esse, & quidem erant in vrbe, numero satis multo, Præfecto, Iudicibus & oppidanis inspectãtibus, elatũ in sublime intendit, & à filiæ ceruicibus caput abscindit. O crudelitatem inauditam! O ferinam immanitatem! filiam

tu de improuiso susceptam, quam tibi Deus Optimus ac Maximus, vt illi gratias ageres, dederat, ausus es occidere? Si te magnitudo maleficij, si te hominum existimatio non mouebat, ne illud quidem cogitabas, huius inusitatæ crudelitatis, huius impietatis inauditæ, gentes omnes & posteritatem sæculorum omnium nunquam obliturum esse? An quis tum præfectus, qui Prouinciæ præerat, & in his locis in Christianos crudelitatem insatiabilem expromebat, in filiam animaduertere tuo rogatu noluerat, idcirco te in filiam tam crudelem, tam impium esse legemus? Pluris apud te Deus immortalis, quàm idolorum cultus teterrimus debuisset esse! Multũ te cęcauit idolorum amor, & quidem præter reliquos homines, qui eò vsque progressus fuisti, vt cum in alijs, & maximè in filia te detestabilem, cœlitibus & immortali Deo infestissimum reddideris: cui si renuntiatum fuisset, pro Religione filiam in iudicium delatam esse, tamen te patrem meminisse deberes, vt patris animum haberes, non feræ & immanis belluæ. Hoc quàm tibi fuerit infestum, tametsi ex conscientiæ cruciatibus & angoribus assiduis intelligeres, tamen etiam ex hominum oculis & ore, de facinoris inauditi feritate cognoscere. Tacuerunt aliqui Præfecti crudelitatem exhorrentes, quamdiu aderat ille, qui tantam carnificinam exerceret, simul atque liberè proloqui possent, in hominis figura belluarum immanitatem iactarent. Manserunt testimonia tuæ impietatis, manserũt annales vetustissimi, & dum erit genus hominum, manebunt, patrem vnum post hominum memoriam, offerentem sese, non iussum, nec inuitatum fecisse carnificis officium in nece filiæ virginis sanctissimæ, non propter sceleris alicuius perfidiam, sed propter fidem Christo Iesu egregiè constanterque seruatam, non propter impuritatem aliquam aut libidinem, sed propter nuptias cum cœlesti Rege castitatis Religione celebratas, interfectæ. Atque te non iussu Prefectorum, sed sponte, voluntateq; tua, non coactu iudicum, qui impetrare nollent, sed vltrò oblatâ manu, sponte, præstitâ operâ carnificis crudelissimi, non denique in carcere, non clàm & occultè, sed in oculis hominum palam & apertè, non minis atque terroribus, sed impulsu hortatuque tuo ab Imperatoris Præfecto ad tantam crudelitatem adhibitum fuisse. Fuerunt in eo loco Christiani homines nobilissimi, principes defendendæ Religionis: testes fuerunt etiam de tuorum grege sceleratorum multi homines, qui quanquam fautores idolorum & administri Præfectorum, cum tamen brachium ad cubitum

vsque

vsque nudatum more carnificum vidissent, & intentum manu sacrilegâ gladium, atque adeò in filiæ caput brachiorum contentione deiectũ viderunt, hanc tantam impietatem non modò negare interrogati, sed palàm & apertè exhorrentes, iactare non desinerent. Dicet etiam posteritas sæculorum omnium, atque illud tonitru terrifico fulmen de cœlo iactum, quo mortem misertimam & impietate tuâ dignissimam confestim obiisti, vt vno penè puncto temporis & filia in cœlestis aulæ sedes ascenderit, & tu pater crudelissimus in inferorum obscurissima loca sempiternis cruciatibus torquendus descenderis.

Vsus & exercitatio Enumerationis in Confirmatione, & in primis ad ingressum eorum, quæ confirmanda sunt.

REs est eiusmodi, quæ maximè vestros animos excitare atque inflammare debet. In hac agitur generis Hispalensis gloria, quæ cùm magna vobis à maioribus vestris rebus omnibus, tum summa in Religione defendendâ tradita est. Agitur salus multorum Imperio nostro parentium, pro qua multa & grauia bella maiores nostri gesserũt. Aguntur classes nostræ, quibus amissis & mercatorum fortunæ, & aurum, quod ex India plurimum affertur, amittentur. Aguntur multorum Catholicorum, qui à Reginâ Angliæ teterrimâ modis omnibus vexantur, libertas & incolumitas, quibus est & à nobis Catholicis, & à potentissimo Hispaniarum Rege consulendum.

Vsus & exercitatio Enumerationis in confirmatione, & primùm de laude.

Exemplum in Ciceronis laude.

QVid ego contra Ciceronem loquar, cùm id quod loquor consulatu suo, virtute, eloquentia ipsa comprobetur? Hic à principio suorum studiorum, atque eloquentiæ ab omni studio sensuque commodorum mentem suam ad Romanum imperium nomenque contulit. Hic cùm coniuratorum manus Rempublicam delere voluisset, è ciuitate partim eos eiecit, partim in carcerem coniecit, atque extremo supplicio mactauit. Hic coactas Manlij copias omni diriores crudelitate dissipauit, & suæ eloquentiæ magnitudine

Ducem & Principem Catilinam scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem abire non solùm coëgit à Senatu, sed cunctis exultantibus atque gaudio triumphantibus, è ciuitate: Testantur mœnia, delubra, domus, Respublica vniuersa, à ferro, à flamma, à vastitate, vt & ipsi Romani extinctam coniurationem, & illius consilio, atque eloquentiâ capitis periculo liberatam: testantur ingenij monimenta, orationes omnibus ornamentis oratorijs redundantes, quarum immortalis memoria vetus populi Romani nomen illustrarunt, & illustrabunt in perpetuum.

Exercitatio ad laudem Academiarum per enumerationem.

ATque vt Salmanticensis Academiæ laudes facilius intelligantur, hæc sum rogaturus: Extruxeruntne illam Reges? fatebuntur omnes. Constituerunt stipendia maxima, & ampliſſima? non negabunt. Ædificaueruntne gymnasia singulis disciplinis, & artibus percipiendis dicata? ædificarunt. An bonorum Præceptorum in omni scientiarum genere præcellentissimorum numero celebritateque exornauerunt? notum id quidem est. An concursu omnis generis & ordinis auditorum Academia celebratur? omnium maximè hac de causa celeberrima est Salmanticensis Academia. Quid de Collegiorum numero dicemus? quanta diuersitas colorum & panni varietas, tanta est Collegiorum; sed famâ nominis & celebritate quatuor maxima commendantur. Ex hac Academia Doctores multi, multi literati in singulis artibus atque disciplinis prodierunt: plures hæc vnica tulit quàm olim Athenæ, quàm reliquæ in quacunque terrarum parte ædificatæ florentes Academiæ. Ad quas verò Præfecturas, ad quæ munera Doctores Salmanticenses ascenderunt? Ecclesiæ tribunalia, consilia Regum, sedes Pontificum plenæ sunt Salmanticensium Doctorum, & illorum literis ac sapientiâ non Hispaniarum solum & vltima Hispaniæ subiecta sola terrarum, sed alienigenarum, & Romani Pontificis tribunalia celsissima. At quibus immunitatibus, & prærogatiuis Academia donata Salmanticensis? omnibus, quæ dari possunt cuicumque Academiæ. Quamobrem illa præ cunctis Academijs appetitur ad gradus, ad honores sæculi consequendos, & ad eius cathedras omni ratione contenditur. Atq; hac famâ, hoc nomine semper fuit, vt literis operam nauasse minimè videatur, nec vllam percepisse rerum

scientiam

scientiam & cogitationem, qui Salmanticæ in litteris non studium suum & diligentiam contulerit.

Vsus enumerationis in vituperatione.

NVnc mihi temporis, quod mihi ad dicendum datur, quoniam in animo est causam omnem exponere, habenda ratio est diligenter. Itaque primos actus istius vitæ turpissimos & flagitiosissimos prætermittam. Nihil à me de pueritiæ suæ flagitijs peccatisq; audiet, nihil ex illa impurâ adolescentiâ, quæ qualis fuerit, audiuistis, aut ex illis quos sui simillimos habuit, intelligere potuistis. Omnia præteribo, quæ mihi turpia videbuntur: neque solum quid vos audire, verum etiam quid me deceat dicere considerabo. Vos quæso, date hoc & concedite pudori meo, vt aliquam partem de istius impudentiâ reticere possim. Omne illud tempus, quod fuit, antequam ad Magistratus Reipub. accessit, habeat per me solutum ac liberum. Sileatur de famâ non virtutis specie, sed seditionum turbulentissimarum motu collectâ: sileatur de prauis affectionibus, & ingenio nequissimo, seditionum: rixarum communium nulla mentio fiat: bacchationes, & pergræcationes nocturnæ, quas domestici, parentesque sui pertulerunt, prætereantur. Lucretur probra veteris infamiæ, patiatur eius vita reliqua me hanc tantam iacturam facere.

Vsus enumerationis ad amplificationem, cum expolitione, comparatione, dissimilitudine, & suis schematis.

QVid, quod salus Catholicorum summum in periculum ac discrimen vocatur? Regno expulsi sunt multi Christi Iesu cultores, egregiè fideles sacrosanctæ Matri Ecclesiæ. Veniunt ad vos adolescentes multi, & ædibus & possessionibus paternis relictis, propter Christi Religionem conseruandam. Imminet quotidie Regina Elizabetha, suis non solum Catholicis inimicissima, sed Hispanis etiam & Catholico Regi Philippo: Catholici autem omnes spoliati, & nostræ insulæ direptæ, atque attentata Portugalia vindictam propter conatus & impetus nefarios, & classem iam, & Ducem à vobis fortissimũ deposcunt, (cum præsertim Rex Catholicus bellum faciendum omni contentione constituerit,) & perstant, neq; se aliud summâ sine reprehensione facere posse vident. Videat & fateatur

hoc idem, quod & omnes Gentes, vnum Regem Hiſpaniarum eſſe, in quo Chriſtiana Religio nitatur, & eum potentiſſimum eſſe (quo etiam inſtant vehementius,) cuius aduentu ipſo atque nomine, cùm primùm in Angliam miſerit, hoſtium animos fractos eſſe intelligunt, atque debilitatos. Hi Catholicos Hiſpanos, quoniam hoſtes hæreticorum acerrimos eſſe vident, etiam atque etiam precantur: inſuper, qui detrimenta ceperunt, & in aliquo fuerunt aliquando periculo ſupplicant, vt ſe, ſicut Chriſtianos homines, & pro Chriſti Ieſu Religione, vitam cum ſanguine profundere paratiſſimos, dignos exiſtimẽt, quorum ſalutem ſuâ fortitudine tueantur. Atque hoc etiam magis, quod eos Carolus Imperator defendit, quodque maioribus periculis opprimantur, neque modò ſint Reges Catholici, præter Hiſpanos potentiſſimos, qui à tam importuna bellua poſſint defendere. Philippum audierunt Angli Catholici ſemper propugnatorem fidei Chriſtianæ maximum, nunc videre ſuos Duces in Anglicano mari cupiunt tanta fortitudine, tantâ potentiâ, tanto diuini numinis auxilio fretos, vt à ſuorum Regum, & Imperatoris Caroli, cuius viuit & viuet immortalis memoria, viribus & felicitate minime differant.

Affectus per enumerationem.

REſpicite, Auditores, hominum fortunas, reſpicite dubios varioſque caſus, reſpicite viciſſitudinem fortunæ, reſpicite inclinationem temporum, reſpicite debilitatem humanæ naturæ, quæ tam cito in hoc homine præter opinionem facta, mortis interuentu propè repentino ad nihilum redacta eſt. Nihil illum iuuentutis flos, nihil bona valetudo, nihil corporis vires, nihil nobilitas generis, nihil opes, neque diuitiæ, vt vitam prorogaret adſenectutem, quid ſenectutem appello? ad pauciores annos, annos etiam nominem? neque ad biduum, neque ad vnum diem adiuuare hæc omnia potuerunt. Octaua diei hora fuerat, cum ſtaret & deambularet, cum ſuis loqueretur, cum expectaret pro foribus, veſtitus togâ ſerica, & ridens multum & cachinnans, vocatur ad prandendum & hora ſolita, quatuor poſt horas, duodecima ſcilicet & ante Solis occaſum, cum quatuor horæ ſolum interceſſiſſent, nuntiatur mortuus.

Affectus

Affectus per enumerationem ad indignitatem hæretici.

PRimùm homines isti gratia cœlesti suos animos exuunt, pro qua recuperanda Filius Patris Æterni naturam humanam indudus, in hæc terrarum sola descendit: deinde scelera multa suscipiunt, quæ Deus execratur, & auctores eorum addicit supplicijs inferorum, nisi ad se redierint. Deinde libidines suscipiunt effrænatas, ad quas resecandas & extinguendas se passus est Christus Iesus alligari columnæ, & carnes sanctissimas discerpi ac dilaniari virgarum diritate. Post superbiam & arrogantiam suam sumunt spiritus insolentes & intolerandos Luciferi, ad quos reprimendos caput Christi redimitum sentibus acerrimis, & ex omni parte sanguinem elicientibus, præbet spectaculum plenissimum mœroris & luctus. Tum crudelitates in omne genus hominum exprimunt, & exercent carnificinam post homines natos inauditam, quam mansuetudine sua & lenitate mitissimus Iesus ablegandam, & exterminandam ex finibus humanæ naturæ statuit. His fascibus atque insignibus Magistratus ornati potestate sibi tradita per summum scelus, libidinem, superbiam, & crudelitatem in vijs, in plateis, in iudicijs abutuntur. Et quisquam erit, qui perferre possit dominationem hæreseos, vt contemptæ, conculcatæque Religionis flagitia prætream?

Ad vrgendum enumeratio, cum præteritione, gradatione, similitudine.

ITa quæro abte, Petre Antoni, quomodo is literas didicit? Ipse Pater eum imbuit, an alijs ambuendum tradidit? si Patrem dicis, rudis ille fuit & expers literarum; si per alios scientiam hausisse dicis, quæro, præceptoresne de patria fuerint? Qui sunt hi, cur non à te nominantur? quo in oppidulo? suone? Hoc quia miserrimũ est, & contemptissimum, nulli modò sunt, neque vlli fuerunt vnquam. Si de aliqua ex celebrioribus Academijs, quando illas viderat, aut accesserat filius, qui Salmanticam, aut Complutum nullis annis ante venit, neque si venit, vnquam plus biduo fuit, aut, quod tu planum facere contendis, amplius vno mense? Quas literas didicit? quibus in gymnasijs? in quorum disciplina versatus est? Quomodo factus repente, litteratus? Pretium alicui dedit? alio in loco dedit?

cui

cui dedit? per quem dedit? vnde aut quantum dedit? qui inops erat, & egens rerum omnium, vt vix ad alendos filius sibi suppeteret, neque filij vescerentur, cum quisquam hunc in villam, aut in opus aliquod non conduceret? nonne illis modis ad literarum cognitionem & scientiam peruenire solet? Et simul tibi in mentem veniat, facito, quemadmodum ingenium istius depinxeris: hominem vastum & agrestem fuisse, nullo ingenio, neque memoria præditum, prorsus ad rem literariam ineptum. Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad huius inscientiam poterat esse, in glebis, in orationibus, in vita horrida & inculta, in agresti & rustica asperitate literarum partem nullam reperiri: vt non cultus & elegantia in barbariæ mediæ fluctibus alitur, sic non in ingenium hebes & obtusum agrestium & rusticanorum hominum cadit præstantia literarū. In Academijs literæ percipiuntur, ex litteris gignitur scientia, ex scientia literati atque docti, ex doctis Prætores, Præfecti, Consiliarij, Censores sacræ fidei, quorum nihil in hoc homine, quem magnificè commendas, inesse videtur.

Enumeratio in peccatorem amplificata ad reprehensionem cum repetitione, exclamatione, & exemplis.

QVousque tandem abutêre, peccator, patientia Dei? quandiu Deum immortalem tuus furor aspernabitur? quem ad finem sese effrænata iactabit audacia? nihilne te maiestas tanti Domini, nihil in te collata beneficia, nihil accepta vita, nihil conseruatio tui ipsius, nihil illius in sceleratos, teque minus sceleratiores supplicia constituta, nihil pœnæ commouere potuerunt? latere putas peccata tua Deum immortalē? exploratos omnes tuos sensus, atque tuæ conscientiæ latebras, & recessus omnes habere cognitos, penitusque perspectos non vides? Quid agas, quid loquaris, quid cogites à sua præpotenti maiestate, diuinitateque cœlesti teneri non animaduertis? O dementiam execrandam! O furorem præcipitem! Hæc intelligit, hæc videt Deus; homo tamen peccat, peccat; imo inueterascit, & callum obducit flagitijs & sceleribus suis. Fit scelerum omnium machinator & architectus, nullum genus peccatorum relinquens, nullum, quod non suscipiat, prætermittens: Et hæc inter nunquam cogitat, quemadmodum vim immortalis Dei, & iram in se quotidie conuertat & inflammet magis. O malum! Ad inferorū sedes te peccator præcipitari seueritate

diuini

diuini numinis damnatum iampridem oportebat, in te conferri peſtem illam mortis æternæ, quam tu iampridem multis aſciuiſti. An vero Deus optimus maximus Dauidem Regem clariſſimum, Vriæ necati, & libidinis captatæ cauſa, tot calamitatibus afflixit, & gentem Hebræorum perdidit innumerabilem, peccatorũ te autem quotidianis ſceleribus labefactantem magis ſtatum animi, & alios in exitium & interitum deducentem paſſim, ſua lenitate feret? Nam illa nimis antiqua prętereo, quod Adamum de Paradiſi ſedibus deiecit in terram hanc vaſtam, atque deſertam, & poſteritatem ſuam, tot morborum generibus, malis infinitis, atq; adeo cœlorum excluſione mulctauerit, quodq; per tot annos inexpiatam Adami perfidiam aduẽtu expectato, & acerbiſſima morte Filij ſui expiauit. Fuit, fuit ſemper tantũ odium & iracundia Diuinæ Maieſtatis in ſceleratorum tyrannidem, vt flammarum ardoribus quinque nobiliſſimas & ampliſſimas ciuitates abſumpſerit. Habemus eundem ſummum præpotentemque Deum, peccator, qui conceptum habet idem in peccatorem odium vehemens & graue. Non abeſt Diuinæ iuſtitiæ gladius, neque ſeueritas ad ſcelus vlciſcendum. Tu, tu, inquam, dico aperte, peccator, erras vehementer, ſi perpetuam illam futuram lenitatem putas, qui tarditatem temporis grauitate ſupplicij cõpenſabit. Decreuit Deus optimus, ac maximus ſuperiores ciuitates flammis & incendijs vaſtare, parum amplitudo ſua, parum magnificentia adiuuit hominum multitudinem. Lucifer pulchritudine ſua ſuperbè extulit & inſolenter ſeſe: Minimum punctum interceſſit, quin inſtar fulguris in regiones inferorum datus fuerit præceps. Simili ſeueritate vſus fuit, aquarum inundatione totum genus humanum delens, præter pauços in arca Noe ſaluos & incolumes: non multum temporis alios Reges potentiſſimos & Imperatores terrarum, pœna remorata fuit. Ad vero circa te, peccator, tot annos in peccatorum ſordibus iacentem patietur Diuina iuſtitia aciem hebeſcere gladij, iampridem diſtricti, & in tui ipſius viſcera infigendi?

Amplificatio per enumerationem ex ſermocinatione.

SIhæc ad Regem delata fuerint, non ſolum effugiemus, inquit, homines in ſuis quærendis vtilitatib. nimium diligentes: ſed accedit nobis etiam illud: Senator eſt C. Antonius frater M. Antonij, homo in fratris ſententia tuenda plane pertinax & contumax, quem minimè expediat eſſe in hoc conſilio, quod

quod conamur omni ratione constituere: propterea quod iam antea, cum frater in procuratione Regia delectus non esset, illam fratris repulsam non solum grauiter tulit, sed etiam aduersarios vltus est. Hos Senatores exillo die, quo res ad Regem deferebatur, non habemus. Q. Antonium, & C. Sulpicium, seueriſſimos, atque integerrimos viros, quòd diuites & copiosi sunt, Senatores habebimus, qui quoniam summa sunt iustitia & integritate, senatoriam dignitatem si accipiant, vsui maximo nostræ ciuitati futurum est. Hoc præsertim tempore, cum ex nobiliſſima & antiquiſſima familia L. Philippus, cum ad cæteras res, tum ad gerendam Præturam homo summa vigilantia atque virtute Præturam inibit: qui quoniam huic consilio præfuturus est, ita ex legibus & æquitate ciuitatem administrabit, vt pacato constitutoque consilio nostro magnam Prætoris personam, magnamque Præturæ expectationem ad Oppidanorum summam voluntatem sustinebit. Calendæ sunt hodie Ianuarij, omnium breuiter animos & voluntates explebit.

Secunda ratio amplificandi per enumerationem, ex sermocinatione.

QVantum B. Dominici fuerit in Christianam Religionem studium, ac pietas singularis, arbitror ex ego cognoscetis, si rogetis eundem, cur Salmanticam ad litterarum studia profectus fuerit? vt Religioni litteratus inseruiret. Cur libros pro filio mulieris redimendo vendiderit? etiam vt Religionis in proximos caritatem ostenderet. Quomodo id faciebat? tradens libros parenti, quos offerenti pretium venderet. Si minus emptores darent, quam popoſciſſet parens, aut quàm ad filium redimendum opus esset, se vendendum emendumque proponebat Dominicus Etiam quid amplius: huc conciones suas, huc studia, huc in animorum salutem susceptas exercitationes conferebat. Ecquod fuit singulare tanti Confessoris in Religionem caritatis inflammatæ testimonium? quod Religionem instituit ad augendam propagandamque Christi Iesu fidem, quorum commilitonum nomine? concionatorum fidei. Quid extremum? vitam suam pro eadem Religione dedere cupiebat in districtos gladios & mucrones iugulo inimicorum infigendos.

Frequen-

Frequentatio, per enumerationem post laudem in oratione, de laude B. Macharij.

CVm audieritis aliquem de solitarijs Patribus loquentem atque ita dicentem: Tu Machari in vasta solitudine Præfectus multorum fratrum fuisti: tu, cum tibi tot fratres, disciplinæque tuæ fuissent commissi, nihil per multos annos de cura, solicitudineque remisisti: tibi apud eosdem omnis generis virtutum maximæ, clarissimæque susceptæ fuerunt exercitationes. Tu à fratribus virtutibus tuis gratiam inieras: tu exemplo tuo cœtus omnes excitasti: tu, cum aliquid faciendum esset, quod haberet quicquam laboris atque difficultatis, primus in omnium oculis laborem suscepisti: tu, qui in via virtutis alacriores essent, qui à multis commendarentur, res singulares agendas demandasti: tu dæmonem occurrentem tibi non semel, & in animum inuadere molientem, aggredi, cumque illo decertare fortiter ausus es: tu carnis appetitiones non inedia solum & precibus, vexationeq; cilicij, sed susceptis maximis laboribus, onerum pondere grauissimo compressisti. Te per omne tempus nemo in solitudine tua non conuenire, nemo non videre cupiens, multorum dierum iter faciebat. Tu multas horas ad rerum diuinarum adhibuisti commentationem. Tu corpus ita exercuisti semper, vt animus Deo semper vacaret. Tu præter modum, præterque communem carnis imbecillitatem, vigiliis, inedia corpus conflictasti tuum, vexasti, & adeo redegisti in seruitutem, vt animo obedientem effeceris. Tu totum illud tempus, quod in solitudine posuisti, cilicio carnem intus lacerans, corpus foris sic abiecisti, depressistique vestitu attrito, dissutoque, vt inter tuos cum tunica talari crassissima contemptissimaque versareris. Tu propter amorem, caritatemque tuam pertentatos aliquorum animos, & oppressos prauitate dæmonis sedasti, & coegisti ad sæculum redeundi susceptam abijcere cogitationem. Tu denique cum perenni humani generis hoste congrediens & confligens acerrimè, ex illius ore audisti, tua, sæpe demissione se perterritum, dolentem, frementemq; fugisse. Atque hæc tot ac tanta tuarum virtutum ornamenta, in hominum obliuione iacere voluisses & sempiterna taciturnitate tegi: quæ si quisquam de tuis fratribus diceret, num à tuis laudibus abstinere posset?

Frequen-

Frequentatio secundi generis ex enumeratione, de Christi Iesu Natalitiis.

QVare gaude tuo isto tam excellenti bono Christe IESV, fruere fructu & gloria, tum Pastorum aduentu, tum Regum muneribus. Degenere hominum, quod in pristinam dignitatem restitutum venisti, quoties cogitabimus, toties de tuis maximis beneficijs, toties de natura Diuina cum humana in vtero Virginis copulata, toties de tuis natalitijs, toties de tuæ misericordiæ monimentis cœlestibus ac diuinis cogitabimus, quæ non humana & peritura, sed æterna sunt & immortalia, & plane debeo dicere, in cœlorum sedibus collocanda. Tantus est splendor in tuo aduentu, tanta in natalitijs & virtutibus tuis meritorum præstantia, vt, cum omnia humana fortunæ telis sint exposita, hæc cum sæculorum omnium sint æternitate permansura.

Frequentatio ad superioris similitudinem de viro clarissimo Rhetorum inuisente classem.

QVare gaude Rhetorum classis hoc tanto bono, fruere fortuna ac fœlicitate tanta, fruere beneficio & splendore tuas illustrante sedes, ex quo maxima est vtilitas, gloriaque Rhetorum classi. De luce hodierna, quam faustam ac fœlicem videtis, quoties cogitabitis, toties de beneficio tanto, toties de aduentu præsenti fœliciſſimo, toties de liberalitate maxima, toties de fœlicitate, qua vsi fuistis, cogitabitis, quæ non modo ad literas spectat, sed ad virtutem maximè, quæ cum ad animum redundent, bona dicere potestis vera & solida. Tanta accessit vtilitas vestris studijs, tantum in accepti beneficij magnitudine incrementum,, vt non à fortuna oblatum, sed à Deo optimo ac maximo planè impertitum esse videatur.

Digressio per enumerationem.

ATque vt omnes intelligant, me aduersario meo tantum laudis tribuere, quantum doctissimo & sapientissimo Doctori tribuatur, dico eius ingenio, & scientia maximas & nobilissimas Academiæ partes susceptas, iuuentutemque plurimam liberalium artium atque Philosophiæ præsidijs munitas, & instructas fuisse. Eidem cathedram sacræ Theologiæ, quæ ab alijs efflagitabatur doctissimis sapientissimisque candidatis,

magna

magnâ difficilique contentione, sui ingenij, maximæ scientiæ & exquisitæ doctrinæ documento dato, plurimâ sacræ Theologiæ scholasticorum suffragatione fuisse delatam. Ab eodem Doctore cathedram hanc per quadriennium summo studio, labore & eximiâ nominis celebritate ornatam esse atque illustratam. Magnam Academiæ præterea spem suis prælectionibus eiusdem cathedræ retinendæ allatam, patefactumq; tanto Doctori fuisse aditum ad Primariam decursu temporis obtinendam: Doctorum consessum clarissimum, omnibus sapientiæ ornamentis florentem, atque ipsam denique totam Academiam tantæ sapientiæ lumine illustratam profiteri sese, atque testari. Atque hæc omnia suis maximis & immortalibus in Academiam meritis extantibus fuisse consequutum addo. Satis opinor hoc esse laudis, atque ita reputo, vt hoc vos intelligatis à nullo candidatorum, qui hunc cathedram conscendunt, Doctorem Ioannem Ildephonsum similiter ex hoc loco laudatum. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum cum hæc ita sint, præsens mihi cum tanto Doctore possit esse magna contentio? Cognoscite suffragatores: non enim sine causâ contentionem hanc cum tanto Doctore suscepti.

Amplificatio per enumerationem in ingressu laudis alicuius.

VEnio nun ad istius, quemadmodum ipse proposui, studia, vt homines vulgo, artes atque disciplinas, vt qui dotes hominis agnouerunt, sapientiam, ego quo nomine appellem nescio: pelagus immensum & infinitum nauigare incipiamus, vos postea hominem tantum, tamque sapientem, quo volueritis nomine & honore prosequimini. Multitudinem prius & diuersitatem rerum accipite; deinde fortasse non magnopere laborabitis, quo nomine appellandum putetis. Nego in Latinâ linguâ tam copiosâ, tam ornata facultate, tot floscul is, tot ornamentis Oratorijs abundante, vllam vim oratoris, vllum exquisitum dicendi genus, & Ciceronianum fuisse; nego vllam margaritam aut gemmam poëseos extitisse, aut quicquam ex politioribus literis, & Historiæ Annalibus depromptum poeticum ornamentum, Historicum, Oratorium; nego vllam esse Hebraicæ aut Græcæ linguæ, aut Philosophiæ tam egregiam cognitionem, neque in Poëtis, neque in Oratoribus, neque in Philosophis fuisse, quin perceperit & habuerit, cuius ab illo sæpius factum fuit periculum in disputationibus, in scriptis,

atque in prælectionibus. Magnum videor dicere. Attendite etiam quæ sequuntur verissima: non enim ornandi, neque amplificandi causa dico. Nihil in liberalibus artibus, neque in Aristotele, neque in auctoribus antiquissimis, atque recentioribus, nihil in Matheſi, neque Arithmeticâ, non in Musicis, non in sacrâ Theologiâ tam abstrusum reperietur atque reconditum, quod scientiam istius hominis & cognitionem fugere videatur. Sed antequam aggrediar ad illius maxima grauissimaque studia, ab Humanioribus, à Græcis & Latinis literis incipiam: sic enim facilius perspicietur, qualis in maioribus sublimioribusque studijs fuerit, quæ coluit, quæ adolescens, atque istius ætatis, in qua nunc est, prosequutus fuit: cum in pueritia, quæ patiens non admodum esse solet laborum, & maxime inimica contentionis, tam illustrem ad Dialecticen, & ad sacram Theologiam aditum sibi comparauerit.

De enumeratione in Epilogo dominante.

SIue Epilogus fiat per enumerationem solum, siue per commiseratione, siue per vtriusque societatem & coniunctionem, Enumeratio magnam habet dominationem in Peroratione, id quod exempla testabuntur.

Epilogus per enumerationem, siue frequentationem cum petitione.

QVare colite Hispalenses Patronum insignem sanctum Ermenegildum fide eâ, quam bello contra patrem suscepto videtis comprobari, tum dignitate, tum auctoritate Patroni: patientiâ autem tantâ, quantum eam conuenit existimari, quam vinculis, ferro, & mente confirmatam esse videatis: causa vero eiusmodi, quæ luce claritatis eximiæ, cantu Diuinarum vocum, & iudicio Matris Ecclesiæ comprobetur. Quæ cum ita sint, petimus à vobis, Hispalenses, si qua non modo humana, verum etiam diuina in tanti Martyris gloriâ commendatio debet esse, vt eum, qui vos, vestram vrbem, qui vestros maiores, qui posteros amplitudine suâ liberauit; qui etiam diuinis Christianæ Religionis mysterijs æternum morte suâ testimonium dare constituit; quique est in eo numero, qui semper apud omnes, Martyres habiti sunt atque dicti, sic in vestram defensionem pa-

nem patronum adoptatum veneremini, inter vosque recolatis anniuersariâ celebritate, vt religione vestrâ honoratus, & in summâ gloria habitus ab Hispalensibus, & debito honore cultus esse videatur.

Epilogus per enumerationem ad misericordiam captandam in cathedræ petitione.

OMnia circunspicite, non Magistratũ modò, à quo scientiã iuris ciuilis habeatis, sortiri poteritis, neque adeo vnde cõmodo quidem vestro fontes sacræ Theologiæ haurire, sed aliarum bonarum artium adiumenta & instrumenta necessaria petere ad absolutam Iurisprudentiæ cognitionem percipiendam valeatis. In his comparandis multos & magnos labores suscepi per omne tempus, libros omnes & veterum Romanorum & Græcorum Annales euolui, vt autius ciuile accuratius intelligerem, aut ad Iurisconsultorum mentem & sententiam interpretarer. Obsecro vos igitur, & oro per pietatem matri debitã, per fidẽ iureiurando datã, per iustitiam in suffragatione seruandam, per Academiæ incrementa, per cunctorum scholasticorũ, per vestrũm omnium, quibus antiquius nihil esse debet, progressiones, vt hoc tempore nostri rationem habeatis. Etsi non paupertatis, at antiquitatis; si non temporis, at iustitiæ nulla capiat obliuio, vt vobiscum, in qua Academia tempus anteactæ vitæ contriui laborans atque desudans, in eadem hac in honoris sede collocatus manere possim. A quibus subleuabor, sià vobis repudier? in quas sedes recipiar, si ab hac Academia ejciar? Quos præter Auditores, præter suffragatores appellem, habeo neminem. Vobis me totum, vobis studia nostra progressusq; committo. Vobis committo existimationem ac spem reliquæ vitæ, tot laboribus & vigilijs probatus, spectatus cunctis in literarijs concertationibus, varijs in disputationib. argumẽtorum acumine nonnullo, & passim in arida sæpe iciunaq; materia, in ardua ac difficili, in abstrusa & recondita, argumentorum obiectu frequenti processuq; fœlici commendatus, celebratus ore vestro, linguisq; Doctorum, atque denique in renuntiationib. liberalium artium, & sacræ Theologiæ, primus tanto plausu, tanta semper acclamatione declaratus omnis generis & ordinis spectatorũ. Non nudus, & inanis ab ornamentis necessarijs, sed instructus, & munitus præsidijs omnib. ad vos venio, vosq; obsecro, suffragatores æquissimi, vt quã existimationem, quam expectationẽ in hoc theatrũ in studijs tot annorum

acta iam ætate, decursáque attuli, eam faciatis consequuta cathedra per vrbem, & per gymnasia, per Academiam, alacrem lætamque volitare: necis, de cuius iustitia nemo quidem dubitat, à competitore superatus, indignissimo dedecore, turpissimáque ignominia notetur.

Alter Epilogus per commiseration em.

QVapropter commendata Iurisperitia Pontificiáque facultate, Patres, iam facile perspicere poteritis, amissas esse in orbe terrarum ciuitates, amplissimas ornatissimasque prouincias regnorum omnium & Imperiorum, ditionem omnem longissimam latissimamque interire prorsus, nisi hæc omnia nos Pontificij Cæsareiq; iuris auctoritate conseruemus. Quid enim Hispaniæ, quid Italiæ, quid reliquis terrarum locis fiet, si harum facultatum præsidia Reges non habuerint, & iuris vtriusque peritorum numerum & nomen non auxerint? Quid potest esse, in quouis genere mali, quod non ad miseros homines, vtroque iure sublato, per summum detrimentum atque perniciem non perueniat? si de conseruandis bonis sibi consulere voluerint, ipsa per summã iniuriam auferentur. Cum domos, atque possessiones retinere cupierint, per vim agris & suis penatibus homines euertentur: cum pecuniæ debeantur, nunquam exigi poterunt: cum optimam existimationem retinere cupient homines, omnibus iniurijs afficientur. Dixi iam antea, vt has duas artes retineatis, ipsam rationẽ bene viuendi, legum magis atque Pontificum decretis, quam vllis artificijs, & machinationibus humanis teneri. Etenim ad incertos casus & euentus canonum sacrorum & legum bonarum præscriptiones spectant. Homines porro sunt, quorum audacia supplicio rum metu cohiberi non possit; si autem veritas iudicum fuerit in flagitijs vindicandis, consequitur tranquillitas in rebus publicis, vt aut rectè faciendum intelligant homines, si viuere voluerint; aut malefacta, si rectè non fecerint, grauiter vindicanda. Quod si hæc non essent omnia, si populis, vrbibus, & Imperijs, si generi mortalium suis institutis & decretis leges non deseruirent, etiamne hæc legum ignorabimus edicta, & decreta Iuris Pontificij sanctissima ad vitam, & spiritum inter mortales tuendum valere? etiamne ad animorum salutem, cum maleficia prohibeant, non aspicimus, afferre plurimum vtilitatis? etiamne ad virtutum omnium, & fidei conseruationem vim habere incredibilem? etiamne ad colendam hominis vitam, & à

bestiarum

bestiarum feritate rituque disiungendam præsidijs maximis vtramque scientiam esse munitam? Itaque hæc, Auditores, quæ desiderari omni ratione potuerunt, his duabus scientijs inesse docuimus. Omnes Iurisperitis Præfecturas, atque à regibus delata rerum publicarum gubernacula videtis. Neque quidquam aliud agitur hac oratione, nisi vt hæc duo præsidia firmissimaque propugnacula, leges, atque sacri Canones propter suas vtilitates & opportunitates maximas, & simul propter præstantiam & dignitatem suam, vestro studio, atque diligentia, me hortatore tuasoreque, quo æquum est in honore & gloria hisce temporibus habeantur.

Tertium Perorationis genus.

VIdetis igitur Christum Iesum, discipulis inspectantibus, & Virgine Maria, in cœlorum regiones ascendentem, plenum gloriæ, plenum splendoris, plenum maiestatis infinitæ. Videtis positum in vestra manu ac potestate, auxilio tanti Domini & suis meritis immortalibus, ad eam, in quam sua se virtute intulit, cœlestem aulam aditum vobis patefacere gloriosum & immortalem. Videte igitur, vtrum sit æquius vos Christianos homines, ad tantam gloriam vocatos, in tantam dignitatem efferendos, si per vos non steterit, inter diuinarum mentium cœtus collocari, aut dedi inimicissimis atque immanissimis inferorum legionibus, præsertim cum tot vobis auditæ fuerint res, quæ vestros animos pro vestra dignitate amplificanda excitare debeant. Primum gloria tanti Domini, quam partis de ferocissimis hostibus trophæis, & tot monimentis rerum gestarum magnificentissimis clarissimam effecit. Tum actus Apostolorum spectantium, & ipsius maximè Virginis Mariæ, quæ huic tanto adfuit spectaculo, præsentia, qui & omnibus ornamentis, & animorum dignitate floruerunt. Deinde recens memoria fratris maximi, cuius ingressu in Beatorum sedes hodierno die non hominis solum natura immortalitate cœlesti coronatur, sed supra cœtus omnis generis & ordinis Beatorum ad Patris æterni sedem collocatur. Postremus scopus huius actus glorioſissimi, & ascendentis Christi Iesu spectaculum ad omnes vitæ nostræ partes, si Beatorum gloria perfrui voluerimus, recte constituendas cohortans atque persuadens. Quare si excitandi etiam estis à me, qui pro concionis exitu estis Auditores, video hoc præcipuè pro spectaculi præsentis ratione vobis persuadere oportere, vt ex omni genere rerum,

gloriam Beatorum, cuius cognita bonitas, conditio, & fœlicitas in Dei optimi & maximi aspectu consistit, diligenter vobis acquirendam existimetis. Fuit magna semper bonorum virorum in Ecclesia Christianæ Religionis copia, quæ cum semper fuerit, semper in hanc illi gloriam, in ipsam æternitatem animorum intendebant. Quid faciendum vobis est, quorum vestigijs insistitis, & eorum studijs ad gloriam hanc aspirantibus, & diei præsentis fœlicitate ante vestros oculos versante, cum dæmone præsertim insidiante semper, & ipso mundo, partim vitiorum agminibus, partim suis inanissimis rebus in animorum arcem inuadente, tot bella aut à vobis necessario suscipiantur, aut subito atque improuiso nascantur, nonne & animum ad ineundum certamen erigendum, & eundem magnitudine splendoris, & gloriæ cœlestis inflammandum putatis? Recordamini quos socios & comites habuerit Christus Iesus, quos Ecclesia Martyres inuictissimos, quos singulæ Christianorum Prouinciæ omnibus maximis virtutibus reduntantes ad populorum & vrbium suarum tutelam & defensionem adoptarunt, tum vestræ ciuitatis Iustas, & Rufinas, ac Isidoros, atq; celsissimum Regem Ermenegildum Martyris laurea condecoratum hoc tempore recordari vellem: præterea dies ipsos Domini nomine appellatos, auspicia cunctarum hebdomadarum fœlicissima, atque diem patefacientis Christi Iesu gloriæ immortalitatem, & foras proferentis in monte Thabor tribus discipulis visendam spectandamque iucundissimè. Agite nunc, inferte oculos in Beatorum aulam cœlestem, introspicite penitus in omnes cœli partes, vtrum videtis quidquam desiderari posse, quod hac gloria Beatorum maius, quod magis appetendum sit? Quæ si diligenter attendere volueritis, & mentis oculis cœlestem hanc gloriam collustrare, profecto vos ad labores impigros, ad iniurias patientes, ad disciplinæ vsum & exercitationem alacres, ad omnem casum, fortunamque aduersam fortissimos, ad humanarum rerum contemptionem veros Iesu Christi sectatores præstabitis. Nihil nisi de Deo, nihil nisi de Christo Iesu, nisi de Matre sua, nisi de Beatorum gloria cogitabitis. Infestis signis inferuntur dæmones, in vestros animos inuadunt præcipiti ac cæco furore, vos & multis & firmis præsidijs, Christo Iesu adiutore, potestis huic immani, intolerandæque feritati resistere. Primum obijcitur contra istorum impetus Christus ipse Iesus, cuius robore & infinita virtute pugnam inituri sumus, & vt à Christo aliorum egregiè fidelium administrorum

nistrorum contra dæmonem, animi liberati fuerunt, sic à nostro capite legionum infernalium impetus terroresque depellet. Constituitur ex altera parte gratia Sacramentorum, quæ profecto non modò virtute sua resistere hostium furori possunt, sed etiam acies hostiles fundere, atque delere. Atque ex ipsorum Sanctorum precibus, ex meditatione gloriæ Sanctorum, ex cognitione Christi Iesu in cœlorum sedes ascendentis maxima firmissimaque auxilia sumuntur. Veniet nobis subsidio maximo virginum cœtibus comitata Virgo Maria, Parens Iesu Assertoris integerrima, quæ Regina cœlestis aulæ, præsidens maiestate summa sedibus illis altissimis, splendore, gloriaque redundantibus, preces Filio pro nobis adhibere nunquam intermittet. Quamobrem nemo Christianæ fidei cultor sibi vlla excusatione vtendum putet. Omnes ciues cœlestis aulæ, Spiritus Diuini, Virgo sanctissima, Christus Iesus vno consensu vnàque voluntate nos tuebuntur. Quod si tantas auxiliorum nostrorum copias perditus aliquis atque dissolutus despexerit, obsecro per Christum Iesum, per glorioſum eiusdem in cœlorum sedes ascensum, antequam gratiam cœlestem abijciens, à suo se Creatore diuellat, atque distrahat, obeat cœlestem aulam, colluſtret sedes & tabernacula Beatorum, & valere Sanctos iubeat omnes, iubeat valere Spiritus omnes diuinasque mentes, & inter tantam vim ac multitudinem Angelum custodem iubeat valere, iubeat valere Virginem sanctissimam, valere Christum Iesum in perpetuum: valere denique celsissimam Triadem, tum cum maximè nuntium cœlo remiserit, quæ Dei clementia fuit, & erit infinita semper, eius fortasse menti speciem aliquam Beatorum & visionem suauissimam admirandamque diuinitus objiciet; qua homo commotus, ab humanis rebus abstrahatur, & ad cœlestes, mutata prorsus voluntate, rapiatur.

***

ADIVNCTA.

ADIVNCTA *sunt, quæ cum re sunt coniuncta, vt locus, tempus, vt ea, quæ rem circunstant, vt vestitus & comitatus hominẽ circunstant, & apparatus, colloquia, pedum crepitus, strepitus hominum, rubor, pallor, cæteraque, quæ suspicionem possint mouere. Latissimè patent Adiuncta, namq; in hominis animo vel corpore sunt, vt virtus, vt oris splendor vel deformitas, aliaque innumera comprehendunt: sic ad Adiuncta spectant literarum studia, honores publici, & priuati, patria, genus, natio, responsa, quæ vitam comitantur, & consequuntur post mortem habiti honores: sic Cicero laudat Pompeium in Manilianâ à virtutibus imperatoriis; Cæsarem in Marcellinâ oratione à misericordiâ, fortitudine, bellicis laudibus.*

De antecedentibus, & consequentibus.

ANtecedentia *sunt, quæ rem antecedunt, vt iustitia virtutem, homo animal, adilitas magistratum, ortus Sol diem.*

Consequentia sunt, quæ rem necessario consequuntur, vt hominem animal, iustitiam virtus, adilitatem magistratus, Solem dies.

Sol ortus est, igitur dies est, ab antecedentibus. Dies est, igitur sol ortus est à consequentibus. Hinc illud Ciceronis Ph. 7. Luculentam plagam accepit, vt declarat cicatrix. Probat Cicero, quoniam cicatrix magna esset, vulnus fuisse magnum.

LAVS

LAVS EX ADIVNCTIS SOLIS
B. Ioannis Euangelistæ.

IN Beato Ioanne Euangelistâ multa sunt, eaque præclara ornamenta, quibus mirum non est, carum adeò fuisse suo Præceptori. Nam virtutes, quæ in reliquis nostræ Religionis Antesignanis sparsæ sunt, atque diffusæ, in tanto Principe coactæ coaceruatæque reperientur. Atque inter alias (omnes enim enumerare velle, fuisset infinitum) quantâ fuit ille demissione? qui cùm se carum esse videret Assertori Iesu præ reliqu s, & dilecti nomine & honore affectum, nunquam tamen prærogatiuâ tantâ sese iactauit inaniter: sed cùm suauissimum illud nomen vsurparet, semper ad Diuinæ largitatis gloriam & magnificentiam conferebat: cùm rogare Dominum & percunctari posset de multis rebus, humiliter atque demisè gerebat sese. Quæ fuit illius comitas & affabilitas; quæ discipulos sibi plurimos adiun ebat, & hominum colligebat beneuolentiam, & gratiam omnium retinebat? quæ castitas & integritas corporis & animi, cuius nomine singulari eximium se illi præbuit Christus IESVS, & eidem Virginem de cruce Patri iam Æterno spiritum extremum exhalaturus commendauit? Ex Discipulorum delecto numero vnus ille somnum cepit, in sinu complexuque Assertoris sui. Quæ fortitudo? quæ magnitudo animi, cùm in medijs fluctibus cruciatuum Præceptoris Christi, palatium Iudicum solus ingrediebatur, & animum patefaciebat alumnis veteris legis. In multis percontationibus in multo strepitu sacerdotum, in multo furore, atque hostili amentia fortem & inuictum retinuit animum? Quæ fides? quàm clara & illustris? cùm reliquis socijs & comitibus fugatis atque dispersis, in passionis vehementissima turbulentissimaque tempestate, solus ille permansit cum Præceptore suo, plenus fidei, plenus animi. Ibat & redibat ad Virginem, vt faceret participem tantorum cruciatuum Matrem Domini sanctissimã. Ad extremam crucem cum Maria fuisse scimus eundem, & morientis extremum spiritũ excepisse testem locupletissimum admirabiliũ & stupendorum operum, quæ mortis Domini tempore grauissimo diuina virtute patrata fuerunt. Quæ fuit patientiæ magnitudo cùm tyrannorum comprehensionem, cum contumelias, & probra maxima, cùm vim olei feruentis, cum flammas ignis ardentis, cùm denique solitudinem desertam, & per tot annos

exilij grauitatem, in tanta rerum penuria & inopia maxima, radicibus & herbis vescens syluestribus, lætus & hilaris patiebatur? quæ deniq; caritas ardens & inflammata, qui nihi agebat, nihil loquebatur, nihil cogitabat, nisi facta caritatis? Hanc suis in concionibus, in publicis & priuatis sermonibus commendabat discipulis suis: huiusce virtutis commendandæ cùm finem nullum faceret, & ad se ipsos amore mutuo complectendos discipulos hortaretur, erant illi cupidissimi mentis præceptoris tenendæ, & quò iterata, & toties geminata caritatis colendæ verba spectarent: per contantibus igitur discipulis de proposito frequentiore loquendi de caritate, responsum largitus est huiusmodi, quo maxima præclarissimaque caritatis dignitas cernitur: quoniam, inquit, omnes virtutes vna caritas complexa est, quam si quis coluerit, aditum sibi clarum & illustrem ad cœlestis aulæ gloriam patefaciet. Has omnes virtutes cùm cogito tanta cum præstantia fuisse in B. Ioanne Euangelista, iam nunc minimè miror, illum tantis à præceptore prærogatiuis & immunitatibus donatum esse.

Laus B. Ermenegildi.

VIdeamus virtutes tanto & Principe & Hispalensi Patrono dignissimas, atque illius maximas & clarissimas dotes à primis suæ traductionis temporibus ad nostram Religionem monitis & hortatu Leandri sanctissimi in tanto Martyre perspectas & cognitas. Videamus autem imprimis fidem, quam pater nullis precibus, nullis allegationibus Principum, nullo Arrianorum hortatu, nullis minis neque terroribus, non cum exercitu contendens Hispalim celeritate maxima, nō comprehensione, non mortis periculo, non intenta suis ceruicibus bipenni dirissima labefactare potuit. Intueamur contemptionem atq; despicientiam rerum humanarum, quas tam parui habuit, vt non patrimonium lautum & copiosum, non reditus annuos, & quidem amplissimos, non ædes magnificas & laxas, non pulcherrimam suppellectilem, non denique diuitias hominum vsitatas & communes, quæ magnam viris sanctissimis laudem & gloriam, & nobis ad dicendum de tantis tamque eximijs rebus materiam amplissimam compararunt, sed ditionem Regnorum potentissimam, diademata gemmis illuminata fulgentibus, sceptra ex auro purissimo facta, solium Regiæ Maiestatis altissimum, omnem potentiam & magnificentiam Regum maximorum superbissimam, quibus nihil est in orbe ter-

terrarum opulentius, nihil clarius, neque illustrius, spreta contemptaque commemorabunt oratores. Quam verò magnanimitatem prædicabimus? Quæ celsitas & exaggerata Regiæ dignitatis maiestas? Nihil in rebus humanis, quamuis esset insigni pulchritudinis specie excultum, putauit expetendum, omnia verò contemnenda, repudiandaque pro cœlestium ornamentorum eximio splendore? Quam patientiæ laudem extollemus? quas comprehensionis iniurias factas? Arrianorum satellirum ad carcerem missorum furorem pertulit sæpe ac sæpius, vincula manibus & corpori suo iniecta, prægrandes ferri catenas, & illum squalorem, & sordes, tantam laborum & molestiarum acerbitatem, carnificis os & vultum ferocem ac truculentum, animum ferreum ac ferinum, intentam in caput & infixam tanta diritate bipennim, qua diuisum in duas partes caput illud Regiũ & excelsum, totum sanguine manare cœpit, & à vertice in pedes vsque flumine largo profluere. Non mortẽ Regis gloriosam lux clarissima splendore de cœlo diuinitus allato illustrauit? non tenebras noctis, & carceris angusti caliginem depulit radijs longè lateque diffusis, & locum illum, (quod Hispalenses viderunt) immensa claritate complentibus? non cantus exauditi fuerunt cœlestes atque diuini, quibus laus immortali Deo tribuebatur, & Rex inuictissimus ad Martyris lauream accipiendam vocabatur? Vnam (vt cæteras virtutes prætereamus) caritatem tollamus in cœlum: non enim Regem clarissimum Regnorum amplitudo ad imperium, non Regis dignitas ad Regiæ maiestatis splendorem, non subditorum multitudo ad inanem speciem, non diuitiæ & opes Regiæ ad plausum & iactationem, non denique decora & ornamenta Regum potentissimorum, quibus capiuntur, delectanturque mortales, ad sæculi voluptates perfruendas auocarunt. Non filiorum amor de caritate Dei, non vxoris delitiæ suauitatesque de Christi Iesu amore flagranti quidquam detraxerũt. Diuitias & opes Regias, diadematis splendorem, sceptri existimationem, solij magnificentiam, omne regale decus contempsit & aspernatus est, cœlorum & Christi Iesu flagrans amore cœlesti. Quid quòd filium, Principem regnorum, vnicum suorum Regnorum successorem, paruulum & nondum sex annos natum, delicias & amores, vxorem splendidissimam, sanctissimamque fœminam, sociam & comitem vitæ, filiam Gallorum Regum, magnum incitamentum, & stimulum acrem admodum tradu-

ctionis

ctionis ad fidem à sua societate disiunxit, distraxit, & amandauit in Italiam? dicam clara voce, vt omnes audiatis, & in Deum immortalem amorem Regis inflammatum agnoscatis. Misit obsides pro pecunijs mutuis ad bellum impio sacrilegoque parenti pro Christiana Religione faciundum. Hæc si in Ermenegildo non inesset caritatis admirandæ magnitudo, putatis illum tanta Fide, tanta magnitudine animi, tanta contemptione rerum humanarum, tanta patientiæ præstantia, denique Martyris infulis & insignibus clarissimis decoratum ornatumque florere potuisse?

Laus Cæsaris.

SI quem in re militari ducem, fortem & inuictum Imperatorem laudauit antiquitas, hunc Cæsarem maxime cæteris, qui fuerunt, præponendum indicaret, cuius à pueritia in re militari vita consumpta, nullum à bellicis laboribus tempus vacuum habuit, qui miles fuit maximorum Imperatorum. Prima autem stipendia fecit in Asiam M. Thermi Prætoris militiam sequutus, à quo, velut à Sylla Pompeius contra duces Marianæ factionis in Italia, ad accersendam classem adolescens, ac penè puer missus est in Bithyniam, in quo obeundo munere talem se præstitit, vt Regem & totam Prouinciam comitate sibi deuinxerit & facilitate sua. In eadem adolescentia positus Seruilio Isaurico Imperatore meruit in Cilicia, à qua mors illum Sillæ non multo pòst tempore reuocauit in vrbem Romam. Magna iam nominis celebritate commendatus erat omnibus, & in spē adductus alicuius Prouinciæ Senatus auctoritate & populi Romani benignitate consequendæ. Neque spes equidem illum fefellerat. Omnium enim Romanorum in illum oculi coniecti, omnium animi Cæsarianæ dignitatis amplificandæ cupidissimi videbantur. Primùm vrbanis Magistratibus relictis (nam de fortitudine dumtaxat est in animo mihi dicere, ne longior videar esse, quàm exercitationis ratio postulat) Quæstori obuenit Hispania, quam cùm lustraret, cùm ille cum imperio potestateque sua Gades venit, quæ id temporis vrbs erat clarissima, & vna de quatuor, quæ conuentus iuridicundo florentissimos habebat, ad Alexandri Magni statuā constitisse dictus est, & ad illam ingemuisse, quasi pertæsus ignauiam suam, qui nihil adhuc memoria dignum gessisset in ea ætate, in qua toto iam terrarum orbe potitus fuisset Alexander Magnus. Aspirat igitur iam inde ab illo tempore ad magnas expeditiones, ad capiendas

capiendas Prouincias, ad ferociſſimas gentes ſubigendas Fauet fortuna deſiderijs, & conatibus Cæſaris, mittitur Prætor in vlteriorem Prouinciã, pacata reuertitur ad Conſulatum, triumphumque debitum. Sed ne triumpharet, cauſa fuit, Conſulatus, quem cùm conſequi nõ potuiſſet, niſi priuatus, repudiato triũpho ad Conſulatus petitionem totus incubuit. Abiens Conſulatu, nactus Galliam Tranſalpinam, & Ciſalpinam, & Illyricũ, & progreſſu temporis Comatam ad quinquennium. Poſt adiectas decreto ſenatus Prouincias ad ſuos conatus, & ad animum explendum idoneas, quot & quanta prælia fecit? quot exercitus fudit, quot ſuperauit? quot ad internecionem deleuit? Arioviſtum Regem, excitantem inuehentemque ſecum innumerabiles Germanorum copias, duobus filijs, duabuſque captis vxoribus, fugere coegit. Maximum fuit prælium in Belgarum gentem, quæ tertia pars Galliarum eſt, quam in Cæſarem ardentem, ſecumque innumerabiles copias, ex diuerſis maximeque bellicoſis hominibus armatas ducentem, & ex ſylueſtribus locis erumpentem, virtute ſua ſimili rerum magnitudine geſtarum in Gallia profligauit. Pacatas iam atque ſedatas habebat Gallias Iulius Cæſar, cùm nouum exortum eſſet, grauiſſimũ periculoſiſſimumq; bellũ omnis generis Gallorum, & eorum qui victi fuerant, & illorum qui nunquam ante arma ceperant contra populum Romanum, atque tanto periculoſius, quod Cæſar aberat in Italiam profectus: vnde celeriter rediẽs nauali pugna ſuperatos, qui bello ſuperfuerant, vt in officio Galliam contineret, & gentem ad omnia conſilia mobilem deterreret, hos partim interfecit, partim ſub corona vẽdidit. Nihilo ſeciꝰ Germani viribus ſuis & multitudine confiſi, & natura maximè loci muniti, quòd Rhenus interiectus eſſet, quem propter altitudinem rapiditatemque ſuam Romani non facile tranſire poſſent, multas gentes excitarunt. Sed ponte incredibili celeritate confecto, proh Deum immortalem! quot gentes, quàm innumerabiles, quàm bellicoſę, quàm feræ & immanes à Cæſare ſuperatæ fuerunt? non armis, non ferro confligens, ſed ſolùm aduentu ſuo Sueuos feros & immanes, quorum eſſe centum pagos & populos conſtabat, totamque Germaniam partim deterruit, partim prælijs maximis cladibus affecit. Sed quid ſingulos commemoro, fuit ea laus Cæſaris, vt annis nouem, totam Galliam, quæ à ſaltu Pyrenæo, Alpibuſque, & monte Gebennæ, fluminibus Rheno, & Rhodano continetur, patetq; in circuitu ad bis, & trieies centum millia paſſuum populo Romano parere fecit,

re fecit. Taceo socias ciuitates; prætereo de populo Romano benè meritas gentes, quas exercitu suo tutatus, & ab immanissimis gentibus, & in illud vsque tempus incredibili ferocitate exultantibus defendit. Sileo Hispaniam vlteriorem, duas scilicet Hispaniarum florentissimas partes, Bethicam atque Lusitaniam à C. Cæsare Prætore pacatas; consulares verò Prouincias Gallias, quæ subiectæ populo Romano fuerunt, conseruatas, aliquot alienatas, maximeque inimicas imperio tanto, non deterritas duntaxat, & superatas, sed onere tributorum populo Romano persoluendorum grauatas. Quid aliud restare videbatur ad fortitudinem clariorem & illustriorem reddendam? Quis vnquam ad Britanniam accessit, mari semper periculosissimo tutam. & propter gentis feritatem neque à populo Romano, neq; ab alijs gentibus bello attentatam vnquam? Huc se Cæsar incognito mari recepit; sed primò res malè processit: aduersa enim tempestate iactatus, magnam partem classis amisit; sed refectis nauibus, alijs denuo factis Britanniam inuadendam capiendamque curauit, & contra vim tempestatemque maris turbulentissimam contendens, victis iam atq; fugatis hostibus, in flumen Tamesim penetrauit, & totam Britanniam armis captam, tributis impositis, populi Romani imperio subiecit. Cùm Cæsar victor iam tot populorum, tot vrbium, tot gentium & nationum bellicosissimarum esset, Britannia excedendi iam tempus erat, & necessarium: sed quid agat Cæsar, qui se inimicorum iniurijs Romæ malè tractari, & honores à populo Romano tributos eripi sibi videt per summam inuidiã? Cui Consules aduersantur, aduersantur septem Tribuni plebis, reclamat senatorius ordo, & omnium maximè Princeps Imperij Romani Cn. Pompeius: qui ferre æquo animo non potest parem esse sibi Cæsarem. Duo res agunt Cæsarianas, atq; his obsistunt reliqui vehementissimè. Omnia raptim, & turbulenter aguntur in Senatu. Intercedunt duo Antonius & Curio, vis affertur Tribunitiæ potestati, cedunt curia, cedunt senatu, cedunt ciuitate, mutatis ad celeritatem iumentis recipiunt se ad Cæsarem, docent de statu rerum suarũ, de facti iniuria, de sacrosancto Magistratu violato. Docent Cæsarem, nolle senatores pacem cum Cæsare, petere rem iniquam, vt à Pompeio retento exercitu, Cæsar dimittat legiones, deponat arma, tradat Prouinciam; si consulatum velit, veniat priuatus sine armis, sine ferro, supplex à populo Romano contẽdat. Quid ait Cæsar? videt hæc omnia non aliò spectare, quàm ad perniciem suam. Traiicit igitur

Rubiconem

Rubiconem cum exercitu, accelerat in vrbem Romam, videretis exire Senatores, discedere Consules, Pompeium aduolare Capuam ad agendum de rebus bellicis, diuidi populum terrarum Dominum in duas partes. En arma capta, en bella ciuilia. Videretis etiam parari exercitus ab vtraq; parte, conscribi milites, euocari sociorum auxilia, implorari suppetias Regum, denique rem eò progredi, vt duo maximi inuictissimique terrarum Imperatores castra collocent in campis Pharsalicis. Committitur pugna ab vtraque parte, facile Pompeiani fugantur, & alij in Africam, alij in Hispaniam, Pompeius Alexandriam fugit. Cæsar ad Ducem, vt ille dicebat, sine exercitu, deinde ad exercitus sine Duce properat, nihil temporis volens relinquere Pompeio ad se reficiendum, instaurandumque exercitum. Quò cum peruenisset, & Pompeium occisum vidisset, non bellum Alexandriæ excitatum confecit? non totum Ægypti imperium pacatum reliquit, maximeque sedatum? Quo conficiendo quantum temporis insumpsit? triduum dumtaxat. Inde in Africam, & tandem in Hispaniam celeriter aduolat: non cernere videmini Pharnacem, Magni Mithridatis filium, Regem Ponti potentissimum, damna patris resarcire volentē, & occasione bellorum ciuilium exultantem, atque bellum in Romanos maximum comparantem? Non ostendam superbiā Pharnacis, non commemorabo copias coactas, non proferam Regi spem allatam & animum Regni recuperandi temporum procellis iniectum, sed præter omnium opinionem animum creuisse Pharnaci putatote. Quò plus igitur habuerat animi, quò plus virium ac potestatis, eò magis inuictam Cæsaris fortitudinem debetis admirari, qui triduo postquam in illius aspectum venit Regem Pharnacem profligauit. Inde celeriter in Africam transiens Scipionem, & Iubam reliquias exercitus reficientes superauit. Restat Hispaniense bellum, quod alebant filij Pompeij, quod non minore fortitudine confecit: quibus bellis fœliciter confectis, toto iam terrarum Orbe deuicto, quinquiens triumphum agens, Romam victor cunctarum gentium, atque nationum ingressus, quod cupiebat, quod contendebat, obtinuit & tanquam alter Alexander potitus est orbis terrarum Imperio.

* *

LAUS

Laus Prætoris ex adiunctis.

NEqueo non commendare dignitatem Prætoris in administranda Prætura, in gubernanda ciuitate, in tota constituenda Repub. quam tanto consilio, tanta vigilantia, tanto labore & studio, tanta iustitiæ æquitatisque laude gessit, vt ad Præturam & honores gerendos natus fuisse videatur. Quid enim de consilio dicam, quod sibi summum est ad clauum Præturæ tenendum; quo deliberationes de Republica maximas habet, & has suis in locis, suo tempore opportunas maximeque vtiles, ad quas adhibet optimum quemque prudentissimumq; de Repub. Senatorem; atque hos vt maximè idoneos videt, ita maximè rebus gerendis præficit: res ad Senatum defert, & verbis grauibus, maximeque appositis in suo statu, vt sese habent, ostendit, quid boni, vel mali apportetur, quid metui, sperarine possit ostendens, rogat sententias quemq; Senatorum, pro antiquitate dignitateque suâ, dicunt, audit attentè, laudat, vt maximè Reipub. interesse videt. Denique quod maxima pars probant, cum id sequi reliquos necessariũ sit, maturat exequi. Prouidet futura, præcidit fibras malorum, & omnium stirpem radicitus euellit, vt antequam nascatur malum, illum occurrisse consilio prudentiaque singulari animaduertant omnes. Atque cùm hæc dignitas ornata fascibus, administris plurimis, apparitoribus solitis, duplici Proprætoris honore, summam habeat auctoritatem & splendorẽ; tantâ tamen comitate gerit eam & administrat, vt Senatores omnes, florem nobilitatis, omne genus hominũ sibi deuinxerit, maximè elegantia & humanitate solita qua tractat potentiores, qua cunctis honorem suum tribuit, pro statu, pro fortuna tractans, & plus honoris tribuens, quàm quisquam sperare posset, nemini vnquam, aut de industriâ, vel per minimam incuriam, vel minimum detrahens. Ita carus est, & acceptus omnibus. Aspectu Prætoris lætari videntur & gestire omnia, atque cùm comem se Prætor, & tantopere benignum præbeat, nihil in illo in sceleratos nefariosq; homines vehementius: quem seuerum, acrem ac vehementem experiuntur, otiosi metuunt, timent aleatores, perturbatores rerum exhorrent publicatum, reliquum facinorosorum genus vehementissimè reformidat: quorũ sentinâ vacuam habens ciuitatem, ac maximè purgatam, visens, reuisens, obiens, & lustrans vias omnes, & præcipuè suspecta loca, præter opinionẽ, præter cogitationẽ, facinorosos in ludis, in maleficijs opprimit, cõprehendit,

hendit,& iubet in custodiam detrudi. Qui latuerant antea, & nusquam inueniri potuerant, ex suis extracti latebris, & proditi custodiæ, vinculisque mandantur. Maturat sontes punire, & pro grauitate sceleris aut leuitate pœnam statuere. Cauet ille plurimum in puniendo, ne pœna maior sit quàm culpa : atque pœnam ab egentibus, si soluendo non essent, aut remittebat, aut mulctam, quod sine partis offensione fieret, imminuebat. Non ille crimina aut opinionibus vulgi, quibus facilè Prætores raperentur in errorem, nec æquum sæpè decernerent; sed grauitate maleficij atrocitatem mortis, peruersitate rei, modum pœnæ statuendo, prudens æquusque ducebatur. Ad pœnam irrogandam nunquam accedit iratus, vt illam teneat mediocritatem, quæ est inter nimium & parum. Quibus personis pœnas pecuniarias leges præfinit, eas sic temperat, vt nihil ille sibi lucri capiat : quæ arbitrio relinquuntur Prætoris, eas ad inopum miserias subleuandas, aut ad sacrorum confert ædificationem instaurationemque sacellorum, ad Xenodochiorum sumptus, ad alia misericordiæ & pietatis opera singularia; nunquam ex his quicquam sibi ascripsit, aut in suam vtilitatem, vsumque conuertit. Semperque pœnis modum mediocrem statuit, vt eas cum statu fortunaque mulctandorum metiretur, non ad exinaniendos exhauriendosque homines spectare videretur. Ita diligens erat, & assiduus officio præstando, vt cùm aures præberet litigatoribus horas vsitatas manè & vesperi, vel ante præfinita tempora, vel post, quod longum tempus esset in noctem vsque lustrandis obeundisque viis, macello, carnario, officinis omnibus & taberuis vinariis, fructuariis, & foro olitorio, piscario, escario, reliquisque diuersi generis poneret. Petit repetitque loca, quibus conuentus & frequentia solet esse, propter anniuersariam feriarum instaurationem, ne quid turbæ, ne quid tumultus suboriretur, sed omnia pacata tranquillaque spectarentur. Ad diurnos labores adiungere solitus est lustrationes nocturnas, ferri, armorumque tollendorum causâ totam vrbem circuiens & peragrans à signo receptui dato, & post multam noctem domum repetens. Ita ludi, aleæ, furta, maleficia ablata, mulieres profligatæ de ciuitate electæ, pactiones, & venditiones repressæ, incendia restincta seditionum, leges & iura seruata, retenta pietas, boni mores culti, pax habita, Respublica florens ac fortunata fuit tanto, tam prudenti, benigno, affabili, vigilanti, laborioso, iustitiæ & æquitatis amante Prætore : quod nobilitas sui gene-

ris, insigne Crucis pectori assutum, dignitas comitatis honorifica, multarum maximarumque rerum vsus, & experientia diuturna, tanta de suis clarissimis virtutibus opinio, & apud Consiliarios Regios existimatio, & apud Regem ipsum collecta gratia testatum omnibus me tacente relinqueret.

Laus viri nobilis.

PAtria huius illustrissimi viri Madritum est, oppidum situm in Castellâ nouâ, temperie cœli, salubritate aeris, copiâ & vbertate rerum omnium abundans, cinctum mœnibus fortissimis & altissimis, ædificiis ornatum magnificentissimis. In eo Reges Hispaniarum propter situm & positionem loci sedem habent, & domicilium suum. Celebratur ab Hispanis & alienigenis propter Senatum Regium, & consilia omnis generis & ordinis omnium consiliorum. Denique illustratum splendore & dignitate Comitum, Marchionum, Ducum, reliquorum Regni magnatum, & Principum maximorum, qui aut Regiam consectantur, aut à Rege accersiti quotidie veniunt, vel ipsi aulâ Regiâ perfruendi causa, menses aliquot Madriti morantur. Nobili genere natus est ille: refert autem nobilitatem suam ad Guzmaniorum antiquissimam illustrissimamque familiam, quæ viros nobiles, & claros admodum habet, & cum famosis maiorum imaginibus insignes, tum diuitiis, & opibus abundantes, & multis honoribus Rerumpublicarum & ornamentis gloriæ singularibus affectos. Vt enim omittam alios titulos, & honorum insignia, an quisquam negare potest, ex eius stirpe fuisse Comites, Marchiones, Duces, & inter alios Ducem Sydonium, decus & lumen Hispaniarum clarissimum? Quorum de familiâ cum agimus, ad illius nobilitatem & splendorem ostentandum, non raro scientes antiquitatis & claritatis familiarum, vetustatem & gloriam Guzmaniorum cum Regiâ & excelsâ Visigothorum progenie coniungere soliti fuerunt. Cum verò quis iactat familiam suam, & famosis Guzmaniorum imaginibus se clarum & illustrem dictitat, hunc Wisigothorum & Guzmaniorum genere natum & editum in lucem continuò dicimus, & quasi ad illum comparandum neminem, qui clarissimarum familiarum splendorem suorum claritate parentum obscurare videatur. Huius vetustissimæ, clarissimæque familiæ viri, amplissimas semper opes habuerunt, quibus

se & alios alere possent, & ad omnem speciem & splendorem illustrem magnificè gloriosèque iactare. Neque verò de familiis aliis opulentissimis extiterunt vnquam, qui maiores gesserint dignitates, qui ampliores vllis in locis honores habuerint. His floruerunt semper in Repub. Guzmanorum stirpe procreati Principes, qui vel patrimoniis maximis, aut honoribus amplissimis, aut Præfecturis sæculi, vel Ecclesiarum, vel ditione Comitum, Marchionum, & Ducum potentiores extiterunt. Hunc splendorem generis vel ore suo proferebat vir iste clarissimus ad dignitatem summam composito, conformatione lineamentorum, atque ipsa recta & excelsa corporis statura, summa in incessu, & statu, atque sessione, in omni motu corporis grauitate, vt quo genere, quibus diuitiis, quibus honoribus præditus fuerit, intuentibus facile quidem esset coniicere. Ad hæc corporis & fortunæ bona virtutes adiunxit plurimas, tantaque nobilitatis laude dignissimas: quibus se magis clarum & illustrem reddidit generi mortalium, quibuscum agit, versaturque familiariter. Nam se comem atque benignum præbet, amicitias multorum colligit, retinet facilitate suauitateque suâ. Illam oris dignitatem, illam corporis formam & habitum pulcherrimum ad Dei cultum & obsequium, & ad Reipub. vsus & vtilitates confert. Neque verò quicquam huic viro nobilissimo fuit vnquam gratius, quam patrimonium suum, non ad alendam solum familiam suam honestissimè, sed etiam ad pietatis actiones, ad officia misericordiæ præstanda, liberaliter conferre. Quamobrem domus illius semper inopum & egentum multitudine celebrabatur: nunquam ianua, nunquam vestibula vacabant horum venientium, & aliorum discedentium multitudine, qui nullo tempore vacui inanesue dimittebantur. Ad quas virtutes accedebat consuetudo rei diuinæ singulis diebus audiendæ, consulendi prius animo, neque vllius criminis capitalis labe eiusdem animi vnquam aspergendi. Quamobrem curæ fuit illi semper expiare conscientiam per confessionem celebrioribus solennibusque Sanctorum feriis decursu anni redeuntibus. Quod in Aula Regia, in tanto strepitu, atque tumultu rerum aulicarum, vbi maximè iactatio sæculi dominatur atque regnat, nemini quidem non mirabile videbitur. Obiit mortem consentaneam vitæ, quam egerat integerrimè, & ex Christianæ disciplinæ præscriptionibus, cum expiata conscientia, tum accepta sacra Synaxi, summo studio & religione, millies osculans effigiem

Christi Iesu de cruce pendentis implorans opem Virginis Mariæ, Sanctorum omnium, & Angeli custodis, crebrò Iesum in illis angustiis extremis appellans, adhuc interruptis morientibusque vocibus, donec animam exhalauit. Vbi ad funus conclamatum est, nemo fuit, qui non ex illius morte dolorem grauissimum acceperit, summi, medij & infimi lugebant, pauperes maximè, præsidium maximum, & alleuamentum inopiæ suæ se amisisse lamentabantur. Magnus concursus factus fuit virorum & Aulæ Regiæ Principum ad illius exequias cohonestandas, qui tanquam ad commune restinguendum incendium confluxisse videbantur: tantum valet optimorum, & virtute florentium virorum in hominum animis excitatus amor, vt mortuos magis, quàm viuos omnibus officiis & honoribus prosequamur.

Laus Iurisperiti.

CVrsus tuorum studiorum mirabiliter confectus me cogit, Doctor maxime, vt sine laude fœlicem illorum progressum & exitum non præterirem. Nam cùm iniisses Grammaticæ studia, in ea non amplius triennium posuisti, & cùm in auctoribus intelligendis, in locis eorum difficillimis explicandis multum condiscipulis tuis præstitisses, magnam apud omnes laudem merebaris, & omnium æqualium tuorum optimus & præstantissimus prædicabaris. In Grammaticis auditâ Poesi, quis te præstantior euasit Poeta, scientia in metiendis carminibus, in faciendis Epigrammatis concinnior & acutior? In quibus tam copiosa ac diuite vena affluebas, vt non cogitato solùm componeres, sed etiam ex tempore magnum numerum optimorum versuum funderes. Ab his studijs excedens, quæ sunt prima cuiuscunque generis literarum fundamenta, quoniam patrem Iurisperitum habuisti, & parentes plerumque volunt, vt filij artem eam, & studia sequantur, quibus parentes dediti fuerunt, tu memor obseruantiæ, quam filij parentibus debent, & illius pietatis, quâ paternum, maternumque nomen colitur, parentis studia coluisti. Quæ cùm iniuisses studia Salmanticæ, talem te in eis, tam sedulum, & diligentem, adeò laborum omnium patientem tribuisti, vt nunquam ab illo die, quo pedem Salmanticæ posuisti, ab Academiâ discesseris, nisi confecto studiorum curriculo, (quod quinquennium est,) & post lauream baccalaurei acceptam. Non dicam hic quanto studio, quantâ

quantâ diligentiâ, quantâ contentione corporis & animi in ius Pontificium, atque ciuile incubueris. Et quoniam vnum alterius studij particeps est, nec quisquam in altero perfectus vir euadet, nisi vtrumque summâ auiditate studium fuerit complexus, quanta te voluntate in vtramque facultatem conieceris, dictu est incredibile. Nunquam absens à prælectionibus, præsens semper & assiduus auditor, vt nunquam dies vllus fuerit, neque hyeme tanta vi & magnitudine frigoris, neque æstus tempore tantis Solis ardoribus, quo absentem à prælectionibus te viderint condiscipuli. Veniebas assiduè, aderas oportunè, audiebas attentè, excipiebas celeriter, percipiebas insigniter, nihil tuas aures, nihil mentem præteribat. Repetebas egregiè ac fideliter, & præceptorem sæpe de difficultatibus arduis percunctabaris, obiiciens & opponens rationes alias, & plurimas legibus innitentes, atque confirmatas responsis Iurisconsultorum, & adeò subtiliter & acutè, vt acuminis magnitudinem & præstantiam, facilitatem & vim obiiciendi sæpe præceptores admirarentur, & priuatim, & publicè commendarent. Hoc quinquennio quis vnquam te nisi domi tuæ versantem libros, aut in scholis res literarias agentem, aut audientem prælectiones vidit? scilicet otiosus in peristilio cum æqualibus tuis eras, aut in tyronem aliquem ridicula iaciebas colludens, iocansque, vel circulos consectabaris (quibus desides solent interesse adolescentes) & tempus literis datum perdere videbaris, detinebas aliquos, remorabaris, ne puncto temporis ingrederentur in gymnasium. Nec minimam à te quisquam offensionem accepit, seriò semper agens, & aliquid literarum: & præceptorem anteuertens, præoccupabas sedem, vt propius cathedram consideres, à foribus gymnasij, & ab ipsis angulis remotus, quibus in locis ingredientium interuentu, quis interturbari solet, & liberiores & solutiores scholastici otium interturbantes gymnasij suis sermunculis, sedes occupare solent. Quinquennio autem toto, quæ disputationes habitæ sunt in gymnasio, in collegijs, quibus tu non interfueris, & argumentum non posueris tuum? An verò præteriit quinquennium, quin eius quo de agimus viro disputationes cohonestauerint Doctores? Quàm acerrimus propugnator, & telorum, ab aduersariis iactorum depulsor insignis extitisti? Nihil opus erat, præceptorem subministrare de suggesto, non in viam reuocare, quem aberrantem nunquam viderat, sed cogebatur tuorum celeritate veritateque responsorum comprobare, laudare, mirari responsionem

quancunq; tuam acumine plenam & intelligentiâ Iurisperitiæ, plausus crebros excitare tantâ sui obstupefactus admirabilitate respondentis, denique concludere vsque eò perduci posse argumentum, quò peruenerant oppugnator & propugnator, neque quidquam responsi amplius dari posse, præcidisse te argumenti persequendi longius filum vno verbo facto, vel reddito responso. Adeò ad propositum, & ad rem, quâ de controuersia erat, respondebas, vt nihil supra. Sic de compositione duarum legum, quæ sibiipsis videbantur aduersariæ, responderi debere, neque quidquam aliud, sæpe præceptor confirmabat: atque ex tuis responsis componi plura responsa Iurisconsultorum, & ad concordiam adduci, quæ sibi ipsa aduersari videbantur. Confecto iam Iurisperitiæ curriculo in prælectionibus, quæ ad baccalaurei lauream accipiendam, præire solent, cùm illæ magis ad speciem antecedant gradum, quàm ad ingenij periculum faciendum, in his tanta documenta progressionum tuarum dedisti, vt pedem nemo in illis prælectionibus supposuerit, nemo mutuas vtriusque palmæ percussiones audiuerit, non sibilos vsitatos, non cachinnationes immoderatas, non strepitu gymnasium, non subsellia concrepuerint, sed te ab initio in exitum vsque tanquam præceptorem audiuerint de cathedrâ totam legitimamque horam prælegentem: qui discipulum prælegere, atque horâ baccalaureorum vsitata tantâ quiete tranquillitateque audiebant pro foribus consistere, audire, mirari, plures ingredi, compleri penè gymnasium auditorum numero. Qui verò dies ille? quæ lætitia præceptoris, cùm honore baccalaurei decorandum ornandumque discipulum, decus & lumen gymnasiorum vtriusque iuris videret? cum id sibi datum muneris, quod quisque præstandum libens susciperet, animaduertit, eam de te habuit orationem, de scientia, de studio, de progressionibus in Iurisperitiæ facultate, de spe summa, & suo, & reliquorum præceptorum animis concepta, vt de Licentiato doctissimo nihil maius, nihil laudabilius dicere potuisset, tanta approbatione, tanto plausu auditorum, vt parietes ipsi tibi plaudere quoque viderentur laureæ delatæ lætitia incredibili gestientes. Accessit tempus relegendæ repetendæque priuatos intra parietes Iurisperitiæ, & ad honores appetendos præuisionis veluti cuiusdam & comparationis biennium: quemadmodum vero repetieris ab hominum celebritate remotus, ipsa in solitudine, in cœnobio Religiosorum, vbi neque amicorum interuentu, neque propin-

quorum

quorum & domesticorum officiis, neque vrbano receptu tumultuque à literis auocareris, tempus diurnum nocturnumque in libris positum declarauit. Tres matutino, totidemque horas vespertino, amplius tres nocturno in Iurisperitia versanda quotidie ponebas, successiuis horis antiquorum annalibus euoluendis tradebas, aut libris aliquot tuæ facultatis recentioribus, & exquisitis, quibus crescere facultas & cognitio Iurisperitiæ, quod ad Iurisconsultorum intelligentiam, ad leges, & mentem auctorum callendam valeret plurimum veterum annalium cognitio, & isti, qui nunc exeunt in publicum accuratione summa elaborati libri recentiores. Sed concludam iam laurea Licentiæ, ad quam cum peruenisses, omnium suffragatione Doctorum tua scientia, progressionesque comprobatæ fuerunt, & apprimè doctus & sciens Iurisperitiæ optimorum similis iudicatus es, te superior inuentus est nemo, neque peritior vnquam post conditam Academiam in B. Barbaræ sacellum fuit ingressus quisquam. Quid amplius expectas? quæ maiora de te, certiora ve iudicia fieri, quæ clariora aut illustriora de Licentia maximi doctissimique viri testimonia dari possunt?

Laus Medici.

EXponenda quidem nobis est, si tui sumus honoris cupidi, vir eximie, ratio tuorum studiorum, & à primis literarum cunabulis altius repetenda: vt quem viri doctissimi tenuerunt cursum, cupidi literarum ineuntes persequendum conficiendumque putemus. Atque in Grammaticæ studiis, talem te scimus fuisse, qualem adolescentem summo ingenio, memoria maxima, & insatiabili auiditate discendi in eam artem ingressum fuisse cognouimus. Cui facillima præcepta omnia, & ediscendi ratio ad verbum accurata, percipiendæ, reddendæque cuiuscumque rei, quam audieris, quamque præceptores exegerint, summa facilitas, vt in promptu omnia videreris habere. Quæ in puero bona indole & egregia ad virtutem propensione, honesta ac liberali facie, quali tu semper fuisti præditus, reddebantur gratiora, & à præceptore præclara voluntate magis commendata. Iam inde ab his studiis, documenta dare incipiebas tuarum in Dialecticam, in Philosophiam, in artem medendi progressionum. In quibus talis tamque præstans euasisti, qualem prima nobis ætas in Grammaticis posita semper pollicebatur.

De quibus antequam dicam, de consilio prudenter capto Rhetoricæ vacandi pauca mihi verba faciunda sunt. Quod enim à te capi melius vellent, qui tibi bene vellent, & ex animo, præstantiusque dare consilium potuissent, quàm quod cœpisti, Rhetoricæ præceptionibus imbutum, & post vnum & alterum annum huic facultati deditum, ad Dialecticē transire, ne ieiunus & aridus esses in dicendo, vt ornatè politéque loquereris, vt te in tuorum conuentu condiscipulorum, in publicis disputationibus concertationibusque literariis, in aliquâ postea cōtentione vel Philosophiæ vel Medicinæ te iactares, & ex tenebris tuam scientiam erueres in lucem, & in doctissimorum hominum conspectum claritatemque proferres? Quos vidimus, quos, inquam, tu vir sapientissime, & præsentes nouimus, qui pressi verborum inopiâ, destituti facultate loquendi intra domesticos parietes latuerunt, aut in publico conati verbum facere, visi sunt, hærere passim & reuocare sese conati fuerunt: quæ loquuti sunt, ea tam barbarè, & inquinatè extulerunt, vt auditores risus & cachinnationes sustulerint, & cum sibilis & supplosionibus pedum eiecti de theatris fuerint. Atque in hac arte benedicendi non contentus fuisti, nisi biennium totum posuisses: porro in ipso liberalium artium curriculo, quod tempus ab audiendis prælectionibus vacuum dabatur, repetitioni studioque priuatim Rhetoricæ sic dedisti, vt vnam eximeres horam, quam audiendæ oratoriæ facultati, libenter studioseque ponerēs. Et quidem solitus es dicere, nullum tempus fructuosius poni, quam Eloquentiæ studiis datum: quod non ad oratoriæ solum artis studium, sed ad omnium artium & disciplinarum opes augendas amplificandasque contulisses. Hinc sermonis tui candor, mundicia, & elegantia scriptorum, habitæ in theatro perelegantes, & persubtiles orationes, conspersæ verborum floribus, sententiarum pulcherrimis luminibus, quibus lumen rebus adhibebas, & cuncta insignia & ornamenta dicendi vi ebaris assequutus. Sed tempus iam est de Dialecticæ studiis dicendi, in quibus quantam laudem consequutus fueris, dicerem profectò, nisi notiora fuissent omnibus auditoribus, quàm mihi, qui de his studiis ad dicendum surrexi. Sed percurram capita præcipua, præteribo leuiora, quæque mihi moram afferrent ad maiora properanti. Nam cùm in disciplinam magistri Ferdinandi Franciſci te tradidisses, te diligentior nemo, in gymnasio frequentior nemo, nemo in percipiendis difficultatibus, in indagandâ, inuestigandâque veritate, in propugnandâ

tui

tui præceptoris opinione, de tuis optimis præstantissimisque condiscipulis repertus est. Primus repetebas prælectionem, primus ponebas argumentum, atque illud acutum, subtile, summaque cum breuitate, sed candore Latini sermonis mirando. Quod probabas, quod verius esset inquirendo, nunquam desistebas in concertationibus publicis, aut priuatis exercere, & quæstionem, quæ in contentionem venerat, discutere, vel oppugnantis vel refellentis personam sustinendo, donec eò iam in Philosophiæ studijs progressus fueras, vt non solum magistri doctrinâ, sed tuâ diligentiâ, lectioneque multâ, & progressionibus maximis ad præceptoris honorem, ad laborum alleuamentum, ad gymnasij gloriam, ad stimulos & calcaria discipulis addenda magnum attuleris momentum. Te condiscipuli, te præceptor amabat, te cuncti Academiæ alumni, omnes singulorum ordinum & classium commilitones laudabant. Et quanquam propter ingenij tui, magnitudinẽ, propter singularem admirandamque progressionum tuarum præstantiam, quâ inter omnes principatum, & dominationem habebas amplissimam, nonnullis parum prudentibus, qui se tibi exæquare vellent, tua ista tanta laus, inuidiam aliquam faciebat, tamen nemo erat, quamuis inuidus & obtrectator, qui de te iudicium non faceret honorificum sine contentione, cùm de præstantiâ fuisset scholasticorũ decertatio, de te semper honorificè loquendo. Quo tu nisi acerrimo tuo ingenio consequutus fuisses, & tanta liberalium artium cognitione, nunquã profectò, neque primus examinis periculum subijsses baccalaureorum, neque in renuntiationibus Philosophiæ primus appellatus esses. Quid ego de medicinæ facultate dicam, ad quam tua studia, & omnes, quas proposuimus, Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, & Philosophiæ progressiones contuleras? nihil tam amplum dici potest, quod non tuis sanè meritis inferius esse videatur. Nam quadriennio toto, quod datur ad medicinæ facultatem, honorem nominis ac celebritatem opinionis, quum medicinæ operam nauare cœperas, tuâ diligentia & ingenij acumine in tam altum gradum euexisti, vt cùm multi fuissent, excellentesque in medendi facultate condiscipuli, qui laudem maximam & decus gymnasio afferrent, tuo quidem ingressu obscurati fuerint paucos intra dies, teque disputante, disceptãteque in gymnasio omnes conticere viderentur: Quamobrem nemo breui tempore tecum de facultate, de scientia medicinæ contendebat. Omnes honorem tribuebant, omnes deferebant

palmam, & secum præclarè actum putabant, cùm te præsente alicuius verbi, quod multò antè præmeditati fuissent, interponendi de suâ arte facultatem haberent. Quòd si illud approbares, si viderere attentè audire, magni ducebant, & ad honorem aliquem comparandum putabant non parum pertinere. Non huiusce rei plura testimonia sumerem, quàm diem illum glorioſum, & ad nominis tui æternitatem consecratum, cùm primas medendi disputationes habuisti. Quibus de concertationibus cùm cogito, toties video obstupescere Complutenses, & vix apud se esse. Non enim discipulum, sed præceptorem, neque præceptorem, sed Principem & Apollinem, & auctorem artis medendi Æsculapium putabant se audire. Quid facies? quid præstabis, cùm post baccalaurei lauream occeperis exercere teipsum in ægrotorum curationibus, & expetiri cœperis, quæ per quadriennium à præceptoribus accepisti? cum tu abdens te magnam partem temporis in cubiculum abditum atque remotum, verses, & euoluas cunctos medicinæ auctores, conferas cum doctissimis hominibus, communices cum ijs, quos ad recolendam repetendamque medendi facultatem principes auctoresque delegisti? Quid ages cùm laurea medicinæ decoratus mederi cœperis humanis corporibus, & artis remedia, pharmacaque salutaria adhibere? Notissimum est, quod dicam, & à socijs & consortibus tui laboris prædicatum: prædixisse te ægroto morbi grauitates, & periculosiores euentus. Nondum Doctor arteriam consuluerat, cùm te consulere prius iubebat, & cùm sententiam rogaret, ad eam illum sæpissimè adiunxisse suam, nulla neque decisione, neque accessione medicamentorum. Quid si addam amplius se collegisse non ratò Doctorem, & mutasse præscriptiones suas de iudicio, sententiaque tua, teque inter duodecim omnium, quos vidit Academia præstantissimos Doctores, primum in renuntiationibus appellatum fuisse? Quid glorioſius tibi possit accidere non video, non assequi profectò possum, nisi id quod ante Doctoris lauream consequutus fuit nemo, vt in experiundi munere, ipsoque exercendæ medicinæ tempore ante biennium confectum cathedram medicinæ suffragijs alumnorum medicinæ cunctorum obtinueris.

* * *

Laus

Laus Theologi Doctoris.

SI Medicos & Iurisperitos iure suo quidem optimo nostris in exercitationibus laudandos accepimus, non debemus profectò Theologorum obliuisci, & ad illorum laudem gloriosam clarissimi viri Ioannis Ildephonsi: cuius patria silentio prætereunda non est, quæ caput est totius Castellæ veteris, terra situ multitudine & varietate fructuum copia & abundantia rerum, quæ necessariæ sunt ad victum, & ad delicias hominum, maximè bonitate vini, fertilitate oliuarum, vi & copia frumenti, mellis suauitate, magnitudine & multitudine pastionis, aquis dulcibus passim scatentibus in solitudine, agris amœnis & iucundis viridarijs pulcherrimis & amœnissimis, fontibus ex vertice montium defluentibus vel ad imas valles, vel ad camporum latè patentium æquora. celebratur vbique locorum. Salubritate tanta aeris, temporatione cœli ac clementia, vt neque hyeme frigorum vis, neque æstus tempore grauitas calorum, ardoresque Solis metuantur. Quamobrem bona semper valetudine ciues vtuntur, non in graues morbos incidunt, nunquam pestis, quod homines celebrant, grassans etiam ac peruadens finitimos populos, in hac ciuitate fuisse dicitur. Cincta quidem mœnibus est altissimis, & ædificijs publicis & priuatis, profanis ædibus, & sacris Templis cohonestata. Tanta celebritate, comitate gentis, elegantia morum, salutaribus institutis, virorum fortitudine, sapientum doctrina, nobilissimarum familiarum splendore clara admodum & illustris, vt neque meliorem, neque clariorem diuinus ille Plato potuisset optare. Satis autem sit ad illius laudem maximi imperij sedem, libertatis domicilium, castella, atque adeò terrarum omnium quandam arcem pulcherrimam fortunatissimamque fuisse. Quæ cum de rebus à me prædictis gloriari possit, tum quod tetalem ac tantum virum suo in solo ediderit in lucem, educauerit, & suorum ciuium ornamentis cohonestauerit. Sed quanquam non parui ad gloriam referat, qua quisque in ciuitate vllit natus, & ipse etiam clarissimus Imperator Themistocles, si Seriphius esset, nunquam se nobilem futurum fuisse confiteretur, multo tamen ego quidem ornamẽta ea magis laude digna iudico, quæ splendore maiorum solent hominibus euenire. Quapropter de nobilitate tui generis mihi pauca dicenda sunt. Natus hic vir clarissimus in ea familia fuit, quæ viros aluit omni genere laudis

laudis florentes, claros & illustres parentum nobilitate, & antiqua proauorum progenie celebratos, qui non illustri solum genere clari equites, insignibus B. Iacobi, & reliquorum Ordinum Equestrium viros iactare potuerunt, sed dynastas magnos, populorum ditione potentes, suis titulis & honoribus insignes, Comites, Marchiones, Duces, & alios Regnorũ Principes clarissimos. Quorum si longam seriem ab origine repetitam oratione celebrare voluissemus, lõgiorem orationem haberemus, quàm temporis ratio præfiniti postulat. Illi vobis multò notiores sunt, quàm mihi profectò, qui de clarissimo viro dicere aggressus fui. Horum si noster Doctor vestigijs insistere voluisset, qui illum honores, qui gradus maiorum suorum manerent, attendite. Ego non possum in illustrissimo viro nõ commendare fortunas & opes, quas à maioribus iure hæreditario accepit, quibus cùm se magnificè alere potuisset, si Aulicorum fortunã consectari vellet, tamen ad studiorum rationem contulit: quæ cùm sequeretur in hac Academia Complutensi, scitis quas ædes habuerit, quàm amplas, quo in loco celebriore, quam familiam aluerit fortunæ & generi clarissimo consentaneam. Neque ob sumptus huiusmodi inopum obliuiscebatur ad domum suam confluentiũ: cùm amplius sex mille nummos aureos haberet in redditus annus, magnam illorum partem in alendis pauperibus, suamque misericordiam implorantibus consumebat. Quod factum diuino beneficio crediderim, vt in maximis tẽporum angustijs, in magna caritate & inopia rei frumentariæ non vicatim & ostiatim corrogantium miseriam & egestatem subleuaret; sed vt priuatim & occultè latentium domi, nec foras exeuntium propter honestatem, mulierum inopiam erogatis pecunijs & frumento laueret. Quod in illo mirabile semper, ac valdè prædicandum cernebatur, qui facie ipsa, dignitate oris, conformatione corporis, omnium membrorum lineamentis, tanto lepore ac suauitate congruentium liberalitatem hanc præ se ferre videbatur. Atque tã munificus, tã liberalis à primis Dialecticæ cunabulis visus est. Iam verò cũ vndeuiginti annos natus Theologiæ operam daret, cum magis vir, quàm adolescens videretur, ha[illegible] liberalitate, quantopere cunctorũ animos sibi deuinciebat? sic à puero didicit vir esse, & actiones suscipere misericordiæ, vt quid egressus ex his studijs futurus esset, augurari potueritis. Sed in studiorum pelagus ingressurus, videor digressus fuisse ad facta virtutum pulcherrima. Quare redeo iam tandem eò, vnde mea digressa fuit oratio, atque omissis

Gram-

Grãmaticæ, Poeseos, & Eloquẽtiæ studijs, quid de Dialecticæ studijs, quid de Philosophiæ progressionibus, quid de laurea prima, de Magistri insignibus dicam maius, quam quod omnes scitis, & prædicatis, hunc magno ingenio prædituꝫ fuisse, tamq; vberi ac fœcundo, tam acri & acuto, vt res varias ac multiplices, subtiles & acutas indagauerit, collimauerit sagittas argumentorum suorum, repulerit tela aliorum ingenij vi & acrimonia quibuscunque in disputationibus publicis aut priuatis intorta: Sed quid non præstaret, qui laboris patientissimus, libros nunquam de manibus deponebat? nullum sibi ab scriptione, aut lectione, aut disputatione tempus abire permittebat? nemini vnquam cedendi causam habebat, multis autem æqualibus laudẽ Dialecticæ præripiebat, & Philosophię, quod locus honorificus in renuntiationibus testatum vniuersæ reliquit Academiæ nominatus inter primos? Quem cursum quemadmodum in sacræ Theologiæ longè patenti campo tenuerit, actiones publicæ prædicarunt, in huiusce diuinæ cœlestisque disciplinæ theatro palàm perspectæ, cunctorumque sermonibus commendatæ. Is enim erat sermo cunctorum: hæ laudes per alumnorum omnis ordinis & cœtus ora volitabant, non minore nominis celebritate futurum virum hunc insignem in Theologiæ studijs, quàm in Dialecticæ ac Philosophiæ. Hæcne spes fefellit alumnorum omnium, Doctorum & Patrum grauissimorum animos? Nonne omnia, vt iactabant omnes in vulgus, doctissimo & sapientissimo viro processerunt? Cùm duo viri, illustri genere nati, in his renuntiationibus Doctor hic, & Antonius ille Manriquius, omni laude celebratus, versarentur, non contenderunt de primo loco, non de primo gradu certarunt, & is, quod omnes expectabant, cunctorum suffragijs Doctorum euasit superior: cui cæteri duodecim viri præstantissimi lauream recepturi cesserunt illicò: his gradibus ad hunc locum peruenit. Quid ergo asseremus de tanto Doctore, nisi propter nobilitatem, nisi propter ingenium acerrimum, propter bonarũ artium cognitionem, propter sacræ Theologiæ magnitudinem consequutam, tot præsertim virtutibus ornatum, ad Pontificiam aliquam dignitatem peruenturum esse? Deus ipse faxit, vt quem à pueritiâ cursum tenere cœpit, fœlicem ac secundum bono Academiæ, Christianæ Religionis commodo, & maiorum honore suo, um, quòd omnes præceptori suo, vobis omnibus, & nostris scholis gratulentur, ad exitum vsque veniat illustri Pontificum tiarâ decoratus.

Vituperatio

Vituperatio adolescentis humili genere nati.

QVid est, cur te ipsum iactare queas in aliquo cætu nobilissimorum adolescentum, ac non potius quærere latebras obscuritatis, in quas te conijcias, ne quis tam dirum & immane monstrum magis execretur, atque ipse detestabilis es tibi ipsi, & vniuerso generi ciuitatum, quæ te, quæ parentes tuos nouerunt, & illorum fæcem, & sordes, à quibus originem trahis? Nam vt patriam omittam, oppidulum parvum atque humile, & nullis mœnibus cinctum, sine portis, sine conditore: ædiculæ paruæ sunt & humiles, neque vlla descriptione, ex luto & cœno factæ saxis, & lapidibus congestis, in campis casu repertis, non emptis coagmentatæ, tectæ arundinibus, aut tegulis vetustioribus, sine forma, sine specie domorum, quæ nullas contignationes habent, nulla superiora cubicula, sed infimam habitationem, fœdam ac deformem; vt in tugurij similitudinem, quò se recipiunt pastores, & vbi se ab aquis hyemalibus & æstiuis ardoribus defendunt. Atque huiusmodi ædiculæ nullo ordine continuatæ, sparsæ ac dissipatæ, & ab aliis aliæ disiunctæ videntur, ad quas per accliuia loca conscendens summa cum difficultate, spiritum, ægrè ducit: cuius habitatores vasti sunt & agrestes, horridi & inculti, inopes & egentes admodum, vnde nullus prodijt vnquam ad aliquod sacerdotium, quid dicam ad honores, vel ad literaria munera? Ex hoc oppidulo prodiisti tu omnium tuorum rusticanorum infimus & cuntemptissimus, obscuris parentibus natus: sicq; illi fax & sordes dicebantur oppiduli, vt probrum & labes inferretur cuiquam de tuo oppidulo, ad cuius indignitatem sordes tuas admiscereres. His parentibus ortus hac fœditate oris es, hac deformitate corporis, voce absona, & agresti, motu deformi, cruribus diuaricatis, immani gibbo, vt qui te videat, se vidisse immane portentum putet. Has scilicet labes, & maculas corporis indignissimas, bonis aliquot fortunæ, pecuniolis, & rebus ad victum necessarijs, mediocriter saltem suppetentibus occultabis. Quem te magis inopem, magis mendicum dicemus qui in summa rerum inopia, & extrema mendicitate viuis? qui nihil habes, vnde te alas, nisi ostiatim corrogaueris, & pauci sint, qui propter indignitatem tuam tibi velint erogare? Extorquendus igitur à te cibus est, si manes in oppidulo, & multos dies manebis ieiunus, aut si foras exieris, viçatim cogendus, vt famem expleas.

expleas. Sed mittamus hæc, veniamus ad tua scelera. Quis te in hoc oppidulo sceleratior? quis nequior vnquam repertus est, qui desidem & ignauam vitam, & vagorum otium & errantium consectaris? qui nihil vnquam facis, nisi parentum obscuritate dignum? te nemo suo congressu, nemo societate, nemo aditu, nemo sermone dignũ putat, qui quantum audere potes in oppidulo, tantum audax es ad facinus: imò sic es à virtute alienus, vt te neque recitantem aliquando quisquam in templo, neque preces adhibentem viderit: & quod grauius est, valdeque suspitiosum, an fidem colas, nemo viderit pedem inferentem in ædem sacram, nisi diebus festis, & non omnibus, atq; serò post bonam sacri partem factam, vt magis videare metu Quæsitorum hæreticæ prauitatis id facere, quam sponte, & bonorum more Christianorum. Quin furta te facere suspitio est inter homines, & inter eosdem conuenit nulli rei honestæ te operam dedisse, sibiq́ persuadent omnes, nullam vnquam ad punctum temporis cognitionem te boni hominis suscepisse, sed tanquam animal quoddam expers rationis, tanquam impurissimam, intemperatissimamq́ pecudem, ad sordes omnes, & fæcem te abiectum atque prostratum fuisse. Itaque cum in promptu habeamus, quantum natura hominis pecudibus, reliquisq́ bestijs antecedat, tu præter vultum nihil hominis habuisse videris, sic ad ea te abijcis, atque prosternis, quæ sæpe fugiunt atque declinant ipsæ bestiæ deterrimæ. Atque in ore hominem non gerere visus es omnino, sed caput in formam quasi suilem degenerare visum est, vt hominis indignitatem, & sordes in te tantummodo agnoscamus. Quam te igitur mortem obiturum esse dicam? quam improbi homines, quam scelerati, & à Deo prorsus auersi, vt aut morte repentina de medio tollaris, aut ex insidijs interficiaris, qui neque Deum videris agnouisse, neque numinis sanctissimi notitiam vllam habuisse.

Altera vituperatio Leouigildi.

NOn ponam in vituperatione patriam tuam, teterrime Leouigilde, qui, quamuis Rex fueris, ignotum tamen, posteris fuisse videtur patrium solum: vt neque patria videatur tantum & tam exitiale portentum sine dedecore suo suscepisse, quæ Leouigildum Regem impium ac sacrilegum tulerit. Crediderim te ore truculẽto, immani facie, diductis oculis, & crudelitatem spirantibus fuisse: tu illis lateribus, illa gladiatoria

totius

totius corporis firmitate, tantum a uisti crudelitatis, quantum vidêre posteri te euomuisse, profudisseque crudelissimè tuum in sanguinem. Fueris Regia & excelsa sanguinis & nobilitatis stirpe procreatus; Gothorum fumosas imagines, & Regiam progeniem iactaueris; sed profectò parentibus tuis, ipsique Regi potentissimo, qui te in Regni partem accepit, æternas dedecoris & ignominiæ maculas inussisti: vt quantum ille te exeuerit ad altissimum Regiæ dignitatis gradum, tantum profecto tuipse tuis vitijs & sceleribus depressisse videaris, & obscurasse Regiam dignitatem. An verò negare possim, te opes amplissimas & fortunas Regum florentissimorum habuisse, & ob eam causam suppetisse tibi pecunias ad sumptus domi militiæque faciendos, ad ostentandam Regiam maiestatem, & celsitatem augustissimã? Cùm summa vituperatio sit quemquam extulisse se in potestate, fuisse insolentẽ in fortuna amplissima, mala fecisse aliis propter potestatem dignitatis, vt status & Regia dignitas crudelitati videatur ac libidini, non clementiæ, aut bonitati facultatem ac materiam dedisse, quæ tua scelera? quam tetra? quàm immania? quàm inusitata, quã detestabilia? Atque primum iniurias à te factas subdidis, per vim ablata bona, extortas pecunias, imposita tributa prętereo. Immanitas ac detestanda feritas, in hominẽ & in Deum impietas, cogit me nonnulla proferre scelera. An quisquam est, qui neget, te tanta impietate fuisse, vt Religioni Christianæ bellum feceris, vt illam ad occasum interitumq; deducere conatus fueris, impijs decretis, ferro, atque castris? vt Deo ipsi honorem eripere, Christum Iesum gloria diuinitatis priuare fueris ausus? atque tantam impudentiam oris & animi habuisse, vt negaueris Christum Iesum vtraq; natura diuina & humana constare; humanitatem reliqueris, diuinitatem tollendam eripiendamque curaueris? O crudelem hominem! O ferum! & impium! quam sectam colore, quibus fauere hominbus, quibus opem ferre non dubitasti? Arrio scelestissimo, & illius sacrilegis sectatoribus, qui Matrem Ecclesiam lacerare, & dulcissimam Christi Iesu sponsam contrucidare aggressi fuerunt, sponsum Iesum diuinitatis honore per summam nequitiam impietatemque spoliantes. Atque non vident scelerati, ablata celsitate diuinitatis, merita eripi virtutis infinitæ, qua labem & maculam infinitam, ex Adami defectione contractam, venit Filius Æterni Patris expiatum in hæc terrarum sola: vel si vident, nouos errores & noua confingentes portenta, furore & amentia præcipites, in inferorum sedes deferri

ferri volunt. Huic sceleri alia scelera cumulasti, qui minimè finis cultores Religionis Christianæ quiescere, omnibus iniurijs afficis, maculis aspergis, atque adeo teter, & importunus insectaris, vt exilium & mortem miniteris. Quantâ tu impietate fuisti, cum filios eiusdem prauitatis erroribus imbuisti? cum Arrij falsa dogmata sequi, fraudes tuas & fallacias eos consectari coëgisti? Nonne omnes, qui tecum in aula tua versantur, qui tibi ministrant, qui aditus ad te faciles habent; qui tuam gratiam colligunt, qui retinendam curant, à Deo nefariè abducti, prius Christianæ veritati nuntium remiserunt, Arrium & illius sectatores sequuntur, Christum abiurant, suam execrantur Religionem, & Filium Patre faciunt inferiorem? Quam contrarius es, & infestus Læandro Pontifici Hispalensi, tecum sanguinis communione coniuncto? At qua de causa? quia filium suis monitis salutaribus, & hortatu cœlesti ab Arrianorum secta traduxit ad Religionem Christianam. Video Præsulem sanctissimum hac de causa eiectum ab vrbe Hispalensi, Pontificia dignitate deturbatum, proficiscentem in exilium, & abeuntem in terras ab vrbe Hispali disiunctas, iacentem in squalore multo, suis ouibus, suo grege priuatum, quod Christianam Religionem defendit, quòd Christi dignitatem tuetur quod cùm alios homines ab hac impietate abstraxerit, filium præcipuè tuum Leouigilde, filium (inquam) Ermenegildum Regem Hispalensem, quem Arriani personam deponentem, eò pastor optimus perduxit, vt egregium se Christianum, cultorem Christi Iesu præstantem, inimicum Arrij capitalem, & hostem factionis Arrianæ accerrimum præbuerit. Accepimus Leouigilde eò te furoris & amentiæ progressum fuisse, cùm primum traductionem filij tui ad Christianam Religionem accepisti, vt non destiteris, donec modos omnes, & rationes tentaueris, quibus filium tuum à proposito, semelque suscepto consilio abducere conareris. Vana processerunt, & irrita fuerunt tua consilia. Quid ages improbe? Quo procedes? vt arma capias contra filium, vt obsidias vrbem Hispalim, vt ad proditionem Romanos milites pecunijs compellas, vt denique comprehensum filium in vincula conijcias, graui premas pondere catenarũ, denique mortem afferas per satellitem, carnificemq; missum. Quid dicam amplius? O cœlum! O terra! quæ te mors, qui miserrimus manet exitus, & plenissimus miseriarum Leouigilde? Quanquam stimulante conscientiâ, & fodicantibus ijs rebus, quibus sine scelere obsistere non poteras, contra tuam

conscientiam venisti. Quain re dices? cum restitueris Leandrum Recaredo id negotij dans, vt in extremo vitæ spiritu ei reconciliaretur: aliquid est, non inficiabor: sed non hæresim eiurasti, neque fidem Iesu Christi suscepisti, quod necessarium erat, ad animi salutem, ita te in inferiorum sedes præcipitem actum esse, nostra lex Christianorum, Religioq; testatur. Quid homini potuit infelicius euenire?

Suasio ex adiunctis ad bellum Isabellæ Anglorum Reginæ faciendum.

NIhil mihi facilius est, Rex Catholice, id quod iam dudum animo deliberatum habes, quàm persuadere tuæ Regiæ Maiestati, vt classem instaures in Isabellam Anglorum Reginam. Nam quanquam semel ornatam & instructam rebus omnibus, naufragio periisse sciamus, Tu primum potentissimus es, omnibus bonorum copijs circumfluis, multò argento & auro ditissimus abundas, quod partim in Hispania penditur, partim ex Indorum sedibus, duabus quotannis classibus, in nostra Regna redeuntibus, pondere plurimo auri, argentique oneratis adfertur. Neque Rex quidem vllus, vlla vnquam sæculorum memoria, non ex Hispanis solùm, sed neque de potentissimis Persarum, aut Macedonum Principibus fuerunt, qui tecum de potentia, de pecunijs, de argento, de auro contendat. Cedit ille Tyrannus Turcarum immanissimus, & præ diuitijs & summis opibus Philippi, debiles quorumcunque Regum & infirmæ vires nuncupantur. Ad hanc verò potentiam naues plurimæ, & trimeres accedunt, quæ partim diuersis in partibus sparsæ sunt, partim nouæ ædificari quàm breuiter possunt, quæ si vnum in locum conferantur & armentur in Isabellæ perniciem, noua classis magis instructa magisque ornata, omnium rerum genere munitissima comparabitur, quæ magnam capiet militum multitudinem, & ex his onerariæ fient ad cibaria, commeatusque omnes comportandos. An verò frumenti vis desiderabitur? Id Hispania dabit, & Sicilia, horreum quondam Romanorum, cùm primùm imperaueris. Vim verò tormentorum, tormentarij pulueris, omnis generis militiarum instrumentorum paratam iam pridem copiam ingentem ad bella hostibus facienda non deesse vides. Quid quòd milites tibi sunt strenui, quòd fortes, quòd scientes rerum militarium, quòd cum multis & diuersis hostibus præliati, quòd victores multarum gentiũ, quòd horribiles habiti sunt hostibus,

quòd

quòd cum rem aggressi fuerunt, persequendi, & ad exitum perducendi cuiuscumque belli Principes sunt, qui solo nomine & aduentu multorum hostiũ ciuitates in deditionem acceperunt, neque quidquam magis scienter appetunt, quam Angliam, quam captam Isabellam, quam illius vitam, & sanguinem, quæ tot Christianorum millia concidit, & contrucidauit immanissimè. Si quod tempus opportunum, nunc istud maximè, cùm sumptibus plurimis exhaustam Angliam, regnum vix huic bello gerendo posse sufficere constat inter omnes: cum Catholici classis Hispaniæ reditu recuperabunt animos ad arma capienda contra tetram hanc & immanem belluam. Concitabuntur præterea multi Catholici, iam dudum iniurijs Isabellæ ferendis defessi, eiusdem tributis & vectigalibus immanissimis onerati, nouis in Christianos pœnis constitutis exhausti. Concitabuntur multi Principes, partim Anglici, partim Scotij, qui iampridem hanc temporis oblatam occasionem ab immortali Deo precantur. Iam dudum omnes propter potentiam tuam per literas atque legatos opem & auxilium efflagitant. Oppida ab Isabellâ capta, multa bello attentata ab eadem Religionem afflictam atque prostratam fuisse regnis in Anglicis, & finitimis in prouincijs querentur: his miserijs, quæ succurrat, satis esse nomen & famam dispersam classis Hispaniæ redeuntis in Angliam: præterea nihil aliud. Quod si tempus hoc abierit, aliud erit expectandum. Nunc istud maximè idoneum est ad nauigandum, ad mare transmittendum Anglicanum. Quod si locus quæritur opportunus, cum in fluuium Tamesim classis penetrauerit, Londinum classem peruenisse putato. At amisisti magnos clarosque duces, naufragio pereunte classe: fateor. Sed quot habes viros nunc, quot etiam Duces peritissimos rei militaris, in bello multum diuque exercitatos? De his, cum agunt hostes, metuunt ac reformidant magis in dies Hispanorum robur. Quòd si ab hostibus inustam maculam mare præoccupantibus, & infestam Hispaniâ classe, vel eunte in Indiam, aut reuertente, nauigationem reddentibus, & cùm oneribus, & mercibus suis venientibus, ad nostros considerare volueris, nihil credo de bello suscipiendo te dubitaturum esse. Quid quod tuæ virtutes, quod inflammatus defendendæ Religionis ardor, quòd præcellentissimum Regis Catholici cognomentum nemini præter te tributum incitare debet & inflammare Regiam Maiestatem, ad bellum hoc prosequendum?

Dissuasio ex adiunctis ad Cæsarem.

QVid agis Cæsar? quid arma contra Romanos capis? quid bellum facere paratus es? An tibi non venit in mentem contra quos exercitus pares? contra Romanos, Principes terrarum, Dominos gentium cunctarum, victores nationum bellicosissimarum, potentissimorum Regum, & Imperatorum fortissimorum. Romanis neque pecuniæ ad bellum, neque commeatus deesse possunt, neque locus, neque tempus opportunū. Cùm rerum potiantur, deligent, quem volent? volent autem, quem videbunt committendo prælio magis idoneum locum, neque tuis copijs cogentur alieno tempore prælium committere: cum ducere bellum possint pecunijs adsumptis, & cæteris rebus necessarijs semper suppetentibus. Qui vero populus? quæ gens? quæ Prouincia? qui denique Reges suppetias populo Romano ferre desinunt? Amici, socij fœderati concurrent omnium gentium, cunctarum denique nationum in tuam pestem arma conuertentur. Sed age non tanta potentia finge populum Romanum esse, non ijs viribus atque neruis ad ducendum sustinendumque bellum: non te milites veterani coacti, non prærogatiuis & immunitatibus donati, non tot Duces fortissimi, & qui bello præficietur Imperator Pompeius, omnium gentium, omnium sæculorum, omnis memoriæ facillime Princeps, ab incepto bello deterrebit? si te hæc omnia non commouebunt, si tuum in exitum & in perniciem non vis apertam ruere, quid patriæ respondebis, contra quam nulla iusta causa reperietur nefaria arma capiendi? Nihil illius tē nomen, nihil pietas communis, nihil suauitas & dulcedo patriæ commouebit? in patriæ tecta, in forum, in curiam, in Capitolium, in focos, profana sacraque omnia, copias duces, & armata manu Rubiconem traijciens, tectis omnibus ferrum & crudelitatem minitari teter & impius aspiceris?

Ad conÿciendum ex ad.unctis.

QVid conijciam, cum nulla extent expressa sceleris vestigia? Vbi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum: quæ nisi multa & manifesta sint, profecto res tanta, tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest: scilicet huius adolescentis vita perdita, tum singularis audacia ostenditur, & ab eodem multa antea commissa maleficia. Primum de sceleribus in hunc vsque diem purgauit aduersarius, quem

quem nunquam pedem suum extulisse domo dixit, nec in delectationes adduci potuisse rusticanas. Qui sic in vrbe versatus est, vt præter vias tritas, quæ deducunt in tribus suæ templum, & in templum maximum, & in gymnasia, nescierit alias omnino: quia domesticis Cartusianus, Capucinus etiam appellatur. Atque cum domi est, fere semper in cubiculo est, & cum libris, cum literis rem semper habet, alias neque res agit, neque nouit vnquam, quasi nihil ad illum spectent. Audacia deinde quæ potest esse adolescentis, qui totus ad modestiam compositus, nemini verbum fecit nisi modestum, nisi honestum, nisi ex adolescentis optimè sanctissimèque instituti disciplina? Qui cum sit productus à Patre in publicum, vel iussus venire ad se, & respondere coram eis, qui rei quidquam rogauerint, rubor oboritur statim naturalis, quo perfusus, nescit verbum vllum proloqui. An in illo maleficia audita fuerunt vnquam, vel quisquam de tam optimo adolescente suspicari visus est? Et tu repente exortus es, qui maleficij bonum adolescentem arguas? Neque locum, neque tempus, neque causam profers neque per quos ad præceptorem deferas, habes. Qui locus igitur fuit non morigerandi parenti suo? in platea, ais? In qua platea? in sancti, dices, Saluatoris, in loco tam remoto, tam ab ædibus suis disiuncto, vbi neque visus est vnquam. At accersiuit Pater, nescio cuius mandati, quod ille exiqui debebat, deferendi ad amicum causa. Neque enim seruos habebat, quos cum mandatis mitteret, & patris intererat filium mitti potius quam seruum, vt conficeretur negotium, quod nisi per filium confectum iri spes non erat. Non quæro, quam verisimile sit, patrem non habuisse quos mitteret, qui nunquam nisi comitatus exire solet foras grege famulorum præeuntium, & subsequentium, præsertim tam procul à domo suâ, qui neque in vicini domum, nisi bene comitatus solet accedere. Deinde quam credibile sic filium à Patre mittendum, quem sciet nullius hominum domum tenere? At quod tempus attribuis? pomeridianum, magis alienum. Cum domi se continent nobiles, & qui sunt huiusce generis, florentissimæque fortunæ, neque id temporis exigunt, nisi negotiatores, aut operarij. Quomodo autem respondit? se id non facturum. O nequam hominem, qui neque modestiam adolescentis, neque eius obseruantiam in patrem agnouisti, neque patris domesticam disciplinam, neque dignitatem & splendorem maximum, neque seueritatem in puniendo, si quid minus modeste, minus

rectè dictum, vel factum fuisset à filio. Age igitur, dic causam cur ad Præceptorem miserit. Quia cùm filio nimis responsum fuisset intemperanter, manus ab illo voluit abstinere pater, ne si iniecisset, ita deperum, ita pro suis factis mulctatum dedisset, vt in posterum hominis officium fractus & enervatus non faceret. Relinquitur ergo, cùm nihil habeas, quod possis criminosè, ac suspicosè dicere, vt adolescentem aperte ludificari & calumniari sciens videaris, vt qui consimilem luseris iam olim ipse ludum de Petro Ioanne in amicum suum incidente.

Ad reprehensionem ex adiunctis in filio prodigo.

QVid agis? quò te is perditum? nihilne te tua ætas, nihil adolescentia expers consilij, quæ præceps ac temeraria fertur, & eget consilio senum, & maximè parentum, flectet? Nihil parentis aspectus, nihil verba, nihil domestici, nihil fratres tui, nihil in patrem obsequium & obseruantia commouere potuerant? Nihil ipse discessus, nihil lacrymæ, nihil fletus paternus maternusque tuum animum lenient? nihil salus, quam tuo parenti dicere vis in perpetuum, nihil abundantia paternæ domus, nihil rerum omnium affluentia, nihil tranquillitas & quies, nihil status & fortuna florens, nihil illius splendor, & dignitas à sententia auocare valebunt? Putasne te prudentiorem alijs adolescentibus esse, magis cautum, magis prouidum futurum, & pecuniarum & patrimonij conseruatorem magis tenacem, magis parcum & strictum de tuo, quàm alios adolescentes, qui vix à patre suo patrimonium acceperunt, cùm illud per luxuriam effuderunt, atque consumpserunt? Nescis quid locus afferat alienus, quid amicitiæ, quid societas improborum, quantæ sint infidelitates in hominibus, quàm multi in secundis rebus adsint, quàm desint illicò absumpta re familiari & pecunijs, quibus inescantur homines? si quod tempus eiusmodi est, cùm nihil te magis inscium, neque magis stultum videatur esse, tanta equidem temeritas tua iam fit, vt non procul abhorreat ab insania. Sed perstas in proposito, patrimonium de poscis, quod tibi iure hæreditario obuenit: quo consilio? qua prudentia? quo modo? quo suasu? quâ ætate iterum? quo tempore? quâ de causâ? Si nihil in adolescentibus est consilij, si senes de suis rebus prudentissimos adire debent, & eosdem consulere, si adolescentes natura sua præcipites sunt,

sunt, & omnibus sæpe consilijs deuij, quid postulas, quid imprudentia, quid temeritate lapsus facis? Quis tibi suasit? nemo. Tu tibi consilium dabis? in sua causa ius sibi nemo dicit. Quomodo igitur tibi, tam audacter, tam liberè fieri, non criminis loco dabitur? Atque hoc tempore, cùm pater augebat patrimonium, & ad te perdendum tam multi paratissimi sint: si nulla præsertim de causa, sic agas, nisi vt per intolerandam, & impudentem licentiam omnia dissipes atque perdas, viuendo turpiter, & libidinosè cum mulieribus profligatis, non potes equidem à reprehensione temeritatis abesse, quamque tu stultus & temerarius quæris, non videberis in delectatione esse diuturna.

Ad spem, vt literis vacent diligenter adolescentes.

SIc summo ingenio præditus es, & maxima semper fuisti memoria, & inest in te literis vacandi egregia quædam atq; propensa voluntas, nihil vt sit quod desperes scientiam te cõsequuturum esse maximam, ad quam aspiras, maximè quia vt literarũ peritus sis, omne studium & diligentiam adhibes. Adde bonam valetudinem, vires corporis, ætatem aptam studijs ineundis, vt neque puer admodum, neque ætate sis prouectus, sed in exeunte pueritiæ ætate, vt iam inire velis adolescentiam, quæ plus habet roboris & virium ad labores capiendos. Quid quòd Hispalis, vnde nihil opus erit Complutum aut Salmanticam studiorum causa contendere: cùm ciuitas hæc propter amplitudinem multas habeat officinas literarias, & duas, vt scis, Academias: nec vllis in Academijs plures habeantur literariæ disputationes, neque plures literati viri conueniant, propter Religiosarum familiarum conuentus, in quibus cùm liberalium artium, Philosophiæ, & sacræ Theologiæ studia colantur, tum & accuratè nimis doctrina cœlestis explicatur, atque discitur diligentissimè. Præter Academias autem duas Societas IESV quotannis patefecit ludum Dialecticæ, & præbet quatuor prælectiones sacræ Theologiæ auditoribus, qui suorum opera Præceptorum vti voluerint, ad quas percipiendas, inter seque recolendas gradibus suis prouehit sapientiæ studiosos à primis Grãmaticæ rudimentis in Dialecticorum, atq; in sacræ Theologiæ gymnasia, & officinas. Quoniam verò quenquã Rhetoricæ scientiã esse, Græcarumque literarum, magnum affert adiumentũ

ad specimen egregrium in alijs artibus de sua scientia præbendum, & ad illustrium doctrinarum opes & diuitias proferendas in lucem claritatemq; mortalium, præposuit huic idoneos præclarosque muneri præceptores. Neque quidquam Hispalenses à suâ conquerantur abesse ciuitate, quod ad absolutam perfectamque cognitionem desiderare posse videatur. De Præceptorum nostrorum scientia nihil dicam, quòd & eos Hispalenses audierint, & testes esse possunt: tu quod tuum commodum fuerit, iudicabis de Præceptoribus, quos tua interfit audire. Neque plures in alijs Academijs, neque doctiores magistri esse possunt, quàm in vrbe, propter amplitudinẽ suam, Hispalensi, non celebriore solum, sed Hispaniarum facilè principe, in quam omnes exquisiti & præstantes in quacumque facultate ac scientia doctores afferuntur. Locus eâ est temperie cœli, salubritate aëris, vt omni rerum copia abundet: vt cum ad bonam valetudinem valdè salubris videatur ista ciuitas, tum ad corporis victum & delicias supperant affatim omnia. Quid quòd pater tuus eadem, qua tu voluntate, sit, vt cum alios habeat filios, quos mercaturam velit exercere, te vnum potissimum delegerit, quem ad literas, ad studia natum, & affectum naturali propensione cognouerit. Neque te vllis vnquam negotijs, nullis domesticis rebus distinebit: tradidit autem te in disciplinam nostram, vt fructus feras literarum præstantes, ac ne vlla occasione ab studijs abstraharis, pædagogum bonum & literatum dedit, quo secundum præceptum vtare duce ac principe studiorum. Erige te igitur atque confirma, exple animum parentis, spe magna ingressus es in literarum studia, in quibus turpissimũ erit cunctorum spes fallere adolescentem sui corporis, atque naturæ præsidijs munitum. Quò te tuum ingenium, quò natura præstans, & conatus optimus, quò parentes tui, quò cupiditas scientiæ, quò dignitates & honores vocant, te nostra excitat, & inflammat oratio.

Ad inuidiam ex adiunctis de Cæsare.

NEscis equidem, nescis C. Cæsar, captâ vrbe Româ, quantã inuidiam habeat Dictatura tua, quę semper in liberis populis, maximeque in opulentissimis ciuitatibus pacatæ Reipub. statu nunquam locum habuit: Cùm summum illius imperium, summa dignitas & principatus in ciues, in Senatores, in Magistratus omnes formidolosa plane species videatur, & eadem sit fascibus stipata terrificis, armata satellitum grege perstrepente, gladijsque

gladijsque aspectum oculorum perstringentibus. Sanè potestas silentij Consulibus indicendi, summa reliquorum Magistratuum taciturnitas inuidiæ nihil nō habitura est. Quid cum exerceat potestatem suam spectantibus oppidanis, in medio foro, in oculis & luce Romanorum: vt neq; fugere quemquam possit dominandi libido, & præ reliquis Magistratibus dominatio superbissima? Quid cùm te sedente in dictatoria dignitate tribuni sileant, neque possint intercedere, quorum potestatem cùm suis ornamentis spoliauit Sylla, reliquit intercessionem nudam & inermem? Quid cùm dignitas senatoria, neque domi, neque militiæ valeat adhibere suam auctoritatem: neq; censeat Senatus, neque iubeat populus, nisi quòd tibi collibitum fuerit? An verò in curiâ dominari Dictatorem, in concionibus præesse populo, imperia decernere, distribuere prouincias, demandare Magistratus, ferre leges, & cùm velit, abrogare, partiri orbem terrarum vniuersum, omnia per seipsum facere non inuidiosum Senatui populoque videbitur? Quietis Reipub. Romanæ temporibus, neq; ad sex menses (quem modum Imperio statuerunt maiores sui) sed per omne vitæ suæ tempus, nimis, mihi crede, magnam inuidiam habet Dictatura, neque vllo modo toleranda videtur hominibus in libertate natis & semper educatis.

Ad odium ex adiunctis in peccato Cain.

TAntumne scelus Cain commiserat? tantum flagitium in Dei immortalis maiestatem susceperat, vt neque seipsum, neque fratrem, neque præsentiam diuini numinis respexerit? siccine seipsum velle perdere Cain, qui fratricidio manus suas, & animum polluerit? At quem fratrem? optimum, integerrimum, nihil mali facientem, immortali Deo sacrificantem, summâ pietate, atque religione, & ex primitijs, id est, ex meliore, multoque præstantiore bonorum parte, atque illud sacrificium tanto cultu, tantâ sanctitate facientem, vt illam Deus euentu manifesto comprobauerit, preces Abelis exaudiens, & eiusdem respiciens sacrificium nimis sanctum, nimiaque ex animi Religione profectum, & ex ea iterum animi præstantia, qui se suasque res Deo deuouerat, nihil magis eximium, quam Deum habuerit, suasq; delicias & amores duxerit? At fratrem occidisti, sanguinem profudisti eius, qui tibi carus esse debuit, atq; periucundus: quem natura ipsa, leges omnes, atq; iura commendabant: quem cùm occidisti, vix te apud temetipsum fuisse credere-

rem; nec non putasse tibi natum ex parentibus alterum esse fratrem, pro quo si opus esset, vitam cum sanguine profundere debuisses. Tunc reputabas tecum præsentiam diuini numinis, Deum ipsum vbiq; locorum præsentem esse, quem nihil fugit, nihil latet eorum, quæq; agimus, quæq; cogitamus? quiq; tacitas animorum cogitationes perspectas & penitus exploratas habet? Credo equidem si id temporis, cum manus volebas iniicere, cogitationem boni hominis suscepisses, & ad cœlum tuos oculos sustulisses, recordatus fuisses præsentiam diuini numinis, potestatem tanti Domini, & illum toties in scelcratos homines gladium diuinæ iustitiæ districtum, abstinuisses a cæde, continuisses pugionẽ, tui ipsius & inuidiæ vires repressisses. O scelestum ac nefarium hominem! O fratricidã impium & sacrilegum! Vide fratrem ad tuos pedes prouolutũ, sanguine multo profluentem. Vide sanguine tanti fratris stillantem pugionem tuum, terram vnda defluenti madefactam & imbutã, atq; adeo ad occisi per summum scelus, cadauer stagnantem cruoris paludem, vt te quantum odij cœperit fratris tui, tantum in te ipsum omne genꝰ hominũ fuisse concita ũ allata morte non ignores.

Metus ex adiunctis in furem.

TE non metuere dicam fur, non contremiscere miserum hominem, qui in ipsa faciundi furti meditatione, cum tendis ad locum, spectas tempus nocturnum, & summum noctis silentium, tum cùm maximè iacent homines in lecto & somno grauissimo consopiti sunt. Ne te quis persentire possit, quem admodum animam comprimis? retines ad multum tempus, & magna cum difficultate & compressu corporis multo, minimos muris strepitus exhorrens, atque hominum inanes vmbras. Atque si quem sese commouere audis, & inclamare furis præsentiam, quam illico terga vertere soles? quam eodem itinere summa cum celeritate reuertere eo, vnde te intulisti in domum interiorem? Quia malè procedit, in quanto metu versaris, ne quis te ex domesticis, qui primis in cubiculis dormiunt, audierit clamore excitatus à somno? Et quia suspicio iam erat, & metus, cœpisse fures parietes transfodere, atque illos aucupari tempora huiusmodi ad sua furta; & vsitatum est nonnullis, se in cubicula prima recipere, vt cùm inclamarint, qui intus sunt, surgant celeriter & accurrant, & hærentem in domo furem opprimant, atque à tergo & à fronte interceptum fugere non permittant, miserande homo, contemptissime omnium,

ad vir-

ad virgas reseruate, ad ignominiam & infamiam damnande, & si furti grauitas tulerit, laqueo suspendende, nondum furto facto, quid ages? pallens totus, ac tremens, & præ angustijs præcluso spiritu, his ere non audes, & vt tui ipsius misereri velint, non flagitas? non obsecras contractis humeris, & toto corpore demisso, & vtramque tendens manum, & supplici & tremen'i voce, vt te dimittant protinus, ne te prodant, quoniam honoratus es, & nequissimus te spiritus deceperit? Non addis ex indicio nihil boni comparaturos se præter ignominiam & infamiam furi inurendam; quiduis potius te paratum esse perpeti, & supplicij quodcunque subire genus, si per illos statuatur, quàm vt ad Iudices delatus subeas virgas & ignominiam in genus tuorum redundaturam in perpetuum? Non adiungis; quoniam notus eis fueris, quoniam parentibus ortus honestissimis? Quid plura? quoniam ciuis, quoniam denique vicinus?

Ad mœrorem & lacrymas ex adiunctis: De Christo Iesu in crucem sublato.

INtuere peccator Christum Iesum, vindicem humanæ libertatis, recuperatorem salutis & dignitatis tuæ sublatum in crucem, sine forma, sine colore, pallidum, atque deformatum, oculis obrutis, genis depressis, sublato pectore, manus & pedes traiectum diritate clauorum, sed brachijs distentis, apertisque vlnis in suum sinum atque complexum, tanquam sibilo boni Pastoris accersentem, & te ipsum ad peccatorum veniam, ad salutem recuperandam, gloriam cœlestis aulæ repetendam inuitantem. Suspice crucem, molem immanissimi ligni, spectaculum illud luctuosum adducens omne genus spectatorum, in mœrorem, & in lacrymas acerbissimas. Suspice faciem, speculum Angelorum, splendorem Patris Æterni tuis peccatis & sceleribus deformatam. Suspice pectus diuinæ sapientiæ, pignus amoris diuini, tot vibicibus fœdatum, suggillatum adeo notatumq; turpissimè. Suspice manus, quæ cœlestis regni sedes, quæ fabricam hanc & elegantiam mundi totius admirabilem ad nostrum vsum & delicias effecerunt, traiectas diritate clauorum. Suspice pedes, clauis quoq; transfossos, quibus Galilæam, Samariam, Iudæam vniuersam pro salute generis nostri multis factis itineribus peragrauit. Suspice, suspice illud os diuinum, atque cœleste, mellis suauitate dulcius, sitì maximâ confectum, & ad explendam, depellendamque sitim

sitim à nefarijs hominibus felle acetoque permixto perfusum. Suscipe latus hastæ diritate transfixum, patens & apertum, cruore diuino, aquaque cœlesti profluens, fontem illum perennem & inexhaustum infinitæ pietatis, quo diluuntur nostrorum sordes peccatorum, & omnia delentur & expiantur crimina. Patet semper, vt aditum ad illum habeamus, & in illum, tanquam in arcam Noe, columba, & animalia cætera confugientes, fluctus & tempestates concitatas euadamus. In illum tollētes oculos, tot indignissimis tractatum modis, clauis perfossum, transfixumque crudelissimè, omni ex parte fœdatum, atque deformatum, omnibus supplicijs dilaceratum & excarnificatum intueamur, & supplices manus tendentes, manus ipsas, pedesque traiectos, fel & acetum Christo Iesu porrectum, faciem demissam, dejectos oculos, tot vibices, tot cruciatus, mortis acerbitatem, & vulnus lateris aperti, Patri Æterno suppliciter offeramus, vt qui nostris sceleribus pœnas inferorum iampridem meriti fuimus, cruciatibus & meritis tanti Domini in cœlestem aulam ascendamus.

Quibus cum argumentis adiuncta cohæreant & coniungantur.

NOn sat est affectus nosse, quos ex adiunctis eliciamus, nisi argumenta, quæ valent ad splendorem, & amplificationem adiunctorum nouerimus; quæ ex causis instituens tradam, vt in adiunctorum loco versetis insigniter.

Adiuncta cum causis efficientibus in filio prodigo.

VIdeo equidem filium prodigum ad patrem reuertentem, & pœnitentem iam eum suorum scelerum, & acerbissimè profundentem lacrymas, & de reuersione paternam in domum, vnde accepto patrimonio exierat, cogitantem, atq; hanc secum ineuntem consilij rationem, vt ad patrem redeat, ad illius pedes abiiciat sese, petat veniam effusi per luxuriam patrimonij, quæ solet esse parentum in filios indulgentia summa, quæ caritas & vsitata lenitas, recepturum in suam gratiam vagum & errantem, & ad se redeuntem. Quem vbi pater adspexit, quamuis sordidum & squaloris plenissimum, continuo in eius irruit amplexus, totus lætans & exultans, vt vix apud se

pud se esset præ gaudio. Exuere illum vestibus contemptis sordidatisque, & nouis induere iubet administros, albentique stolâ necare vitulum fartum & opimum, multos menses ante saginatum: facit deniq; pater conuiuium lautum & magnificum, pro reuersione filij, & ouis amissæ recuperatione. Magna hæc & plane admiranda filij perditi in meliorem vitam moresque præstantiores traductio. Vnde tanta mutatio, tam repentina conuersio? à misera ærumnosaque vita, quam agebat, à suarum rerum iacturâ, ab extremâ penuriâ & mendicitate, à fame, qua miserandum in modum conficiebatur, qui neque suilib. escis, neque siliquis (horrendum quidem) satiabatur: cùm ante in omni rerum abundantia viueret, & illo quidem neque locupletior, neque fortunatior videretur in sua ciuitate quisquam. Recordatus igitur pristinam fortunam, & affluentiam bonorum omnium, siue ad vestitum, siue ad victum, siue ad delicias, & suauitates vitæ, quorum omnium egebat infœlix adolescens, constituit tandem, ac deliberauit animo, domum patris redire, recordans fortunam pristinam & præsentem, inter quam sortem vtramque, tantum interualli interiectum fuerat.

Conglobatio causarum efficientium, & adiunctorum.

HÆc magnitudo cathedræ primariæ facit, vt nisi planè præstantia candidati proferatur, nisi omnibus ingenij præsidijs munita scientia, nisi labores suscepti dies noctesque, nisi libri sacræ Theologiæ versati, nisi maxima cognitio, nisi tam consummata sacrarum literarum intelligentia, vt nihil ab antiquis Patribus differat, cathedra deferenda non sit. Accedat huc oportet laureæ primus in Academia gradus consequutus, opinio omnis generis hominum de competitoris ingenio habita, scripta summâ Doctorum consensione comprobata, documenta ingenij publicis in disputationibus & reliquis literarijs actionibus data, fama nominis & celebritas consequuta; pene dicam, libros habeat typis excusos, aut breui mandandos, oportet, si tantam cathedram, tam honorificam, tam splẽdidam & cunctarum principem, primariam delaturus est. Quare hoc, quo minus sit intellectum, nisi plane appareat, eo magis est, antequam cathedra deportetur, prouidendum. Quamobrem cum multis ex rebus intelligi possit, Academiam nostram non modo alijs scientijs plusquam cæteras terrarum partes, verum etiam sacrâ Theologiâ floruisse, tum ex hac vel maximè, quod ad hanc primariam cathedram nunquam, nisi variâ mul-

ria multiplicique cognitione, præditi Doctores ascenderunt.

Tertia amplificatio ex adiunctis, cum efficientibus: in occisores Beati Thomæ Cantuariensis.

NOn dubito quin tametsi nullus in vobis sensus humanitatis, nulla ratio vnquam fuisset Religionis, tamen in aspectu sacratum imaginum, ac delubrorum omnium tremere vos necessarium esset. Potuistisne apud vos esse? potuistis corpore vel animo consistere, cùm in B. Thomam, tam impij, tam scelerati, tam nefarij fueritis? Beatumne vos Thomam inuadere ausi estis? Ipsone in templo, & omnium maximo, tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias & sacrilegas afferre conati estis? si in pueritiâ non ijs artibus & disciplinis instructi eratis, vt ea, quæ de templis literis mandata sunt, disceretis, & cognosceretis, at postea cùm in ipsum templum ingressi fuistis, potuistis aspicere, quod videre necessarium est, sacrarium Assertoris Iesu ante vestros oculos positum esse, tot imagines & simulacra Sanctorum cognoscere potuistis, quorum tanta est religio, vt neque hostes, nisi fidei fuerint inimici, cùm vrbem diripiant, quidquam audeant in templis maleficij suscipere.

Adiuncta cum fine: De Christi IESV transfiguratione.

VIdemus Assertorem Iesum in verticem & summa iuga montis Thabor ascendere. Cuius rei causa? quorsum, obsecro, quem in finem ascendit, Auditores, & secum deducit ex duodecim Discipulis tres clarissimos omnium Petrum, Iacobum, & Ioannem? Quid sibi vult aduentus Moysis & Heliæ Vatum olim diuinorum? Quid ille discessus ab vrbe Solymorum, & in solitudinem desertam recessus cum tribus discipulis? Quid hoc? Ascendere Iesum in montem, in summa fastigia peruenire? ibi velle cum suis discipulis esse? adesse Petrum cum Iacobo, cum Ioanne? interuenire duos Vates diuinos, & participes hos fieri visionis admirandæ, quæ illos manebat iucunditatis, diuinitatisque perfruendæ? Proh! Deum immortalem, in illo vertice, ac summo montis fastigio facies visa est IESV Christi,

Christi de repentè, præter expectationem sociorũ, Solis splendore clarior micare, vestes albere niue albenti candidiores. Ex oculis, ex ore, ex pectore diuinam cœlestemq; claritatem diffundebat, quâ obstupefacti, incredibili, ac diuinâ gloriæ suauitate perfusi Apostoli, Vatesque, qui cum illis erant, apud se esse non poterant, non poterant non mirari diuinitatis lucem clarissimam, non capere fructus iucunditatis præstantissimos. Petrus ibi volebat manere, atque tabernacula collocari illius cœlestis gloriæ perfruendæ causa: continuo vox Æterni Patris in illorum aures influẽs missa fuit de cœlorum sedibus, Christum Iesum filij nomine & honore afficiens, ac iubens eum præceptorem & auctorem sanctitatis audire. Quorsum hæc Patres? Quorsum? vt intelligere valeatis, ad cœlestem aulam non nisi magnis laboribus & difficultatibus homines ascensuros, sudando, & anhelando. & omnibus vitæ periculis obiiciendo seipsos, ad cœlestem Dei gloriam perfruendam peruenturos esse; paucos autem, atque hos omnium maxime delectos, qui aspectu diuini numinis perfrui possint: neque homines hanc lucem aspicere, non tantam suauitatem percipere posse, nisi eos, qui maximis susceptis laboribus, periculisque neglectis, expertes vitiorum & flagitiorum, maximis virtutibus cumulati, absterſi penitus & purgati maximè albenti niue candidiores in Beatorum sedes ascenderint.

Adiuncta cum formâ.

QVid abest ab illo Pontifice, cur Pontificis honore dignus non sit? An dignitas, quam ore suo præfert amplam & illustrem? an literarum cognitio? quis illo doctior & in omni genere scientiarum, maximè sacræ Theologiæ doctrina præstantior? an virtus, qui speculum & lumen sanctitatis habetur illustrissimum? An grauitas, quem qui intueatur, ad dignitates & ad honores gerendos natum fuisse fatebitur? Cum incedit oculis dimissis, & ore ad modestiam valde composito, tantâ auctoritate, vt infulis ipsis, & insignibus Pontificiæ dignitatis ornatus cœlestem splendorem diffundere videatur. Atque cum in delubro rei diuinæ, vel precibus sacris præest, auctoritate tantâ, tantâ Religione, tantâ dignitate cernitur, vt omnes vel aspectu suo reddat attentiores, & religionem afferat componendi corporis, oris, manuum ipsarum ad omnem honestatem, dignitatem, religionemque singularem, & vt animos, ad rem, qua de agunt, sanctissimam conferant atque conuertant.

Adiuncta

Adiuncta cum materia.

RHetorica, quæ ars est benè dicendi, Regina quondam habita terrarum, firmamentum cuiuscunque bene moratæ, beneque constitutæ Reipub. quæ dominabatur regnabatque in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque ciuitatibus: quam summi, medij, & infimi discebant, tanquam necessariam ad Magistratus gerendos, & sine quâ aditum ad Rempub. habebat nemo. Neque Reges ipsi expertes tantæ facultatis gubernacula capiebant regnorum. Quin, quod maius est, & huic arti, quod vsus tulit, peculiare, turbulentis magis Reipub. temporibus, & cum reliquæ artes, & studia silebant, inter armorum strepitus, & medias inimicorum acies iamiam inclinatas viribus orationis instaurando, & victorias de manibus sæpe hostilibus extorquendo, dominatum habuit. Quam, quid dicam in Campo Martio laudationes suscepisse Magistratuum? Quid commemorem in Curia aut impulisse cunctum Senatum in Reipub. vtilitatem, aut auocasse iamiam inclinatum in fœdera cum Pirrho Epyrotarum Rege facienda? Quid dicam etiam accusasse sontes, defendisse innocentes, suscepisse ægras, ac prope deplotatas Reipub. partes? Denique contra Catilinam, contra Clodium, contra furias alias Reipub. pestesque funestas valuit plurimum, cum huiusce facultatis materia tam longè lateque pateat, vt ad vniuersi generis, quo de voluerit Rhetor agere, quæstionem pertineat.

Adiuncta cum forma & materia.

COnsidera corpus istud, quamuis infimâ naturâ prædium, ex limo, & argillâ factum, tantis necessitatibus astrictum, tamen societatem inijsse cum animo, spiritu sane præcellenti, intelligentiâ, memoriâ, voluntate, tribus donis ac muneribus præcellentissimis constanti, & ad Dei similitudinem formato. Post istius vitæ decursum, si particeps fuerit laborum, & conflictationum, quas subire debet egregiè fidelis homo, cupidus diuinatum voluptatum, cœlestiumque præmiorum, pro domita hac putida ac fœtida carne, tandem aliquando in partem venturum esse gloriæ cœlestis & præmiorum, quibus beati ciues in illis domicilijs celsissimis perfruuntur, vt quoniam consors laboris fuerit, sit etiam præmiorum. O beatos illos dies! O beatas etiam noctes! O tempora fœliciſſima fortunatissimaque, cum corpus teipsum abiecisti, ad pietatis munera, ad

deli-

deliciarum contemptionem, ad despicientiam iucunditatum carnis cunctarum: cum te ipsum totum, cum manus administras operum omnium in virtutis actiones, in charitatis studia voluntate mirabili conieciſti: cum omni loco ac tempore, nulla periculorum habita ratione, itinera pedes fatiebas, & omnes excipiebas, pro Christi Iesu gloria libens & hilaris, molestias: cum non recusabas inediam, non exhorrebas cilicium, non scuticas ex funiculis ferreis constantes, cum discerpebas, dilaniabasque carnem, & quod frequens erat, auertebas aspectum oculorum ab obiectu rerum inanium, præcludebas aures ridiculis vanisque sermonibus, omnes sensus frangebas, domabasque, & obedientes rationi faciebas! Ita quidem post mortem particeps fies præmiorum cœlestium, & venies in partem hæreditatis æternæ, præter gloriam communem corporum, præter splendorem & claritatem propriam & peculiarem cœlitum cunctorum. Sensus omnes redundabunt suis delicijs immortalibus, percipient suas iucunditates & suauitates eximias, neque vlla pars corporis vacabit veris ac solidis voluptatibus. Sic equidem, cum se homines tanta fœlicitate cumulatos aspicient, præluce, præ claritate gloriæ immortali, præ dignitate, præ honore, præ gaudijs cœlestibus, vix apud se esse videbuntur.

Adiuncta cum effectis in Rectoris aduentu.

ADest ipse Rector illustrissimus, qui de more suo comitatus Collegis duobus, & ipsis varijs præeuntibus magna auctoritate & strepitu antecedentium, & consequentium, qui multo ante aduentum denuntiabant. Intrat gymnasium, astantibus administris officij ergo, qui illum comitabantur, considet, & quidem Rectoris dignitatem aspectu gerens, & amplitudinem maximam. Conticere alumni rei literariæ, componere sese & erigere ad audienda verba præceptoris, ipse vero Rector oculos in præceptores intentos habere, audire partem aliquam prælectionis attentione non minore, qua absoluta, cuius officij causa venerat, id præstare incipit: Ab auditoribus sumere statim testimonium, & quidem cum iusiurando, de modo, de ratione prælegendi: an ex præscriptionibus Academiæ, vel ad voluntatem suam, & arbitrium administrentur omnia. Hoc intertuallo exire auditores è gymnasio, manere solũ, qui testimonia dicturi sunt, summum intus esse silentium, foris sermones haberi plurimi, circuli non pauciores, multa iactari, atque ea omnia,

vel ad doctoris honorem, vel ad cathedræ spoliationem, & suum, vt par erat, officium non feciſſet.

Adiuncta cum antecedentibus.

ATque ſi fortunam hominis miſeram & calamitoſam, & inopiam, & anguſtias, quibus antea vrgebatur, & illam vitam inopem diuitum liberalitate ſubleuatam aliquantulum recordari voluerimus, animaduertemus quod, cùm in vrbem Hiſpalim pedem intulit, neque nummulum ſecum defe.ebat, ſed faciebat, quod al j ſuæ humilitatis, atq; contemptæ fortunæ faciunt, vt ſe in aliorum dent famulatũ, & quod datur vitæ tempus ſeruiendo collocent, atq; ponant, & exannuis ſtipend.js, & mercede perſolutâ cogant nummulos al qu.s, quib. mediocriter veſtiti, habeant ſpeciem aliquam mediocrem, quâ iam verſari valeant inter homines: Hi ſi quo ſunt ingenio, ſi quâ induſtriâ & calliditate, ad quæſtum aliquem aſpirant, cogitant Indiam vnam, aut alteram, affectant primam nauigationem, quâ ſe trânſmiſſuros eſſe putant in Peruſiam, aut in Mexicanam oram: quo cùm penetrarunt, rei ſuæ ſeruire, laborare plurimum, operas præſtare baiulorum, quoad aurum, & argentum cumulent per aliquot annos, vt hoc aucti reuertẽtes in Hiſpaniã, empris ædibus, prædijs opimis, pecunijs in reditus collatis, inter diuites habeantur & numerentur. En ſtatum primum, & fortunam miſeram & ærumnoſam. Quid huic homini facias, qui immemor iſtius fortunæ perferri quidem non poteſt? Incipit efferre ſeſe, more nobilium tractare filios & filias, dicere, & appellare titulis & cognomentis, quæ ſplendorem afferunt & claritatem nobilitatis, vxorem in lecticis collocare, in quadriiugis & albentibus perſtat imponere. Ornat domum periſtromatibus pretioſiſſimis, pulcherrimâ veſte, magnificentiſſimâ ſuppellectile, attribuit ſpondam vxori, & quidem ſtratam tapete pulcherrimo, longiſſimo, latiſſimoq;, & ornatam puluinorum ſplendore ſericorum. Addit miniſtros, qui venientes excipiant, deducant in palatium. & diſcedentes reducant in portas vſque, atque adeo elegantia ſolatia in aulam introducunt. Ipſis autem in palatijs, quem ſellarum ordinem, quos abacos, quos lectos pulcherrime ſtratos & ornatos ad vſum & ad ſpeciem magnificam aſpicies? Illum vero equitem prodeuntem in publicum, luſtrantem plateas aliquot, & equo peragrantem, pedibuſue vias, vicoſque ciuitatis, comitatu ſtipatum famulorum, honoratum

horatum sæpe nobilium occurentium officijs, & quacunque præterit iactantem sese, vt plane vanas efflare gloriolas, & inanes sæculi ventos aucupari videas. Eum omnes cernunt, & consistentes sæpe, quoad abduxerit se è conspectu, respicere non desinunt. Vide quid faciat nummus.

Adiuncta cum consequentibus.

LAbora, vir optime, desuda in Iurisperitiâ, perge quo cœpisti itinere. Graue est alumnum literarum surgere è lecto albente statim cœlo, aut horas duas ante primum diluculum (cùm post mediam noctem cubitum ieris,) dare operam literis; molestum est toros dies, eundem petere repetereq; scholas, interesse prælectionibus, abesse nunquam, audire attentissimè, quærere de auditis, conferre cum condiscipulis, versare libros magnam noctis partem, & cùm cœnobitarũ cymbalis (quod mediæ noctis tempus est) vrbs personuerit, captum ire somnum; infestum est valetudini, valdeq; contrariũ vim frigoris hyeme, molestias caloris æstate, & alias vtriusq; temporis iniurias tolerare patiẽter, & contra vim, grauitatemq; morborum, quos ex laboribus studiorum literati contrahunt, contendere; quid quod hoc toto tempore, cùm longissimum sit, & quinquennium debeat esse, à patria scholastici sunt exules & extorres, & cœlo sæpe contrario valetudini bonæ, & corporum affectionibus, procul à patriâ, à parentibus, à fratribus, à cognatis, ab amicis, à delicijs & iucunditatibus, quibus corpora reficerent, & salutem suam cõseruarent? sed post hasce molestias exantlatas, consolationem accipies præmijs, quæ labores in literis positos consequuntur. Hæc dum cogitant scholastici, dum animis complectũtur suis, non solum ad labores & ad vigilias suscipiendas animantur, sed mirum est, quam in libris inhærere, & ab illis nunquam auelli volunt. Labores consequitur, in eadem Academia confecto Iurisperitiæ curriculo, laurea Baccalaureorum, qui primus aditus est, & gradus illustris ad literarios honores accipiendos: biennio post Licentiæ; atq; tandem illud summum omnium & præstantissimum ornamentorum, insigne Doctoris. Cum vero tantâ Iurisperitiæ scientiâ fueris præditus, vt ad collegia possis cõtendere, vt de cathedrâ decertare cum competitoribus, quantum habet laudis quenquam esse collegam? in vnum de maximis cooptatum collegijs, illorum vestem, & insignia gerere, cathedram demũ consequi magna suffragiorum multitudine, Academiâ totâ plaudẽte Salmanticensi? Quid vehi per vias, per

plateas humeris scholasticorum laurea redimitum triumphali, & in cathedram imponi, collocari, prælegere publice, interpretari ius ciuile, audiri silentio summo, & magna sæpe auditorum admiratione, adhærere posti, pro posse rogatum soluere quæstiones, tollere dubitationes allatas, facere satis obiectis? Magna sunt hæc, mihi crede, vir egregie, & quæ ad maiores honores spectant. Hinc Præfecturæ ciuitatum, hinc Præfecturæ sæculi, vel Ecclesiæ, hinc consilia Regum, hinc postremo ampliſſima sacerdotia Pontificiæque dignitates, ad quas, nisi multis laboribus, magnis difficultatibus, nunquam datur ascensus, sæpenumero consequantur.

Adiuncta cum antecedentibus & consequentibus.

FOeliciſſimus & fortunatiſſimus B. Dominici status & dignitas in cœlesti regione consequuta, quam mihi prima tempora in sæculo posita tanta virtutis admiratione præsagire visa sunt. Cuius in laude, cum adhuc in sæculo versaretur, illa castitas & integritas corporis ponenda est; qua se integrum & incorruptum ab omni labe conseruauit. Cum vero inter Canonicos versaretur, non solum lumen prætulit sanctitatis & facem ardentem viris ordinis sui, sed ciuibus & viris quibusque eximijs. Sane tanquam lucerna in edito & excelso loco posita lucem videbatur afferre mortalium generi cunctorum. Excitatæ sunt suis temporibus graues & vehementes hæreseos tempestates, quibus homines sacrilegi statum Ecclesiæ perturbabant, multos abducebant à sacra religione, & quemadmodum nubes cœlũ caligine, sic nefarij dæmonis satellites animos hominum tenebris errorum circunfundebant, ac regiones. Huic malo per doctiſſimos sanctiſſimosque medicinam faciendam rati magistratus, id negotij B. Dominico demandarunt. Quod tanto studio, & corporis & animi contentione munus præstitit, vt errores ex illis populis & ciuitatibus depulerit, deiecerit tenebras hominum animis offusas partim priuatis sermonibus, partim concionibus & omni vigilantia, qua in specula positus nunquã oculos ab Ecclesiæ dignitate deiiciebat. Cum nihil igitur sibi prius nec antiquius Matre Ecclesia fuisset, Romam cum Pontifice Osmensi profectus, de concionatorum Ordine instituendo cogitauit, hancque sibi mentem Deus iniecit, vt officium faceret Catholicæ fidei conseruandæ, veræ Religionis enunciandæ mortalibus, & cunctorum, qui sparsi fuissent, & in hominum animos insedissent, errorum contra fidem surgentium depellen-

depellendorum. Hanc cum Romanus Pontifex Religionem ſua auctoritate confirmaſſet, cum prærogatiuis & muneribus diu nis ornaſſet & auxiſſet, quos iſte ſanctiſſimus Ordo fructus peperit? quam vberes vtilitates ac præſtantes ſacræ Religionis attulit hæc longè lateque ſparſa, & per orbem tertarum diffuſa Concionatorum Religio? Vnam de præſtantiſſimis ſanctiſſimiſque Religionibus Mater Eccleſia conſequuta fuit ſacram familiam concionatorum, lumen fidei, propugnaculum Religionis, arcem bonorum, montem perfectionis abſolutæ, fontem inexhauſtæ ſapientiæ, patentem omnis ordinis Sanctorum fœcundiſſimam, perfugium & receptaculum Chriſtianorum, gloriam, & immortale Chriſti Ieſu decus. Tua eſt, B. Dominice, laus, tua ſunt trophæa, & virtutis abſolutæ toto terrarum orbe, celſiſſimiſque Beatorum ſedibus monimenta conſtituta, quod tot viros illa Religio ſanctiſſima peperetit omnibus ſanctimoniæ numeris abſolutos, quod Confeſſores plurimos, quod Martyres inuictos, quod caſtiſſimas Virgines, quod Doctores præſtantiſſimos, fortiſſimosque Petros, Catharinas integerrimas, beatiſſimum Thomam, Doctorem Angelicum, & lumen Fidei Chriſtianæ clariſſimum. Quod Academiæ, quod Cœnobia ſacrarum omnium familiarum D. Thomæ doctrina illuſtrentur, & tuorum Patrum clariſſima veriſſimaq; ſapientia perſonent, tibi totum hoc, quantumcumque eſt, quod certè maximum eſt, tuis laboribus, tuæ virtuti referre debemus acceptum. Denique, quoniam omnia me perſequi velle, neque orationis eſt inſtitutæ, & maioris videtur operis, & temporis procul dubio longioris, illa tuæ ſunt Religionis decora & ornamenta maxima, quod de primis Fidei Chriſtianæ Cenſoribus Dominicani fuerint Præfecti eius, Religionis Chriſtianæ Quæſitores acerrimi, vigilantiſſimique: illos Principes conſtituerunt, adhibueruntque in procellis turbinibuſque ſedandis Romani Pontifices. Quid amp ius volumus, quod ad tuæ Religionis laudem, ad tuæ virtutis prædicationem præſtantius afferri poterit, quam tuis & tuorum humeris ſuſtentatam videri Chriſtianam Religionem: tuis præſidijs fulciri, protegi viribus, virtute corroborari, virtute doctrinaque vigere? Id ſatis viſo declarauit cœleſtis, tuam prædicans inſignem claramque doctrinam, tanquam arcem fortiſſimam conatib. hæreticorum teterrimis obiectam & oppoſitam; neque doctrinam ſolum ad hoſtiles depellendos errores, ſed ad incurſiones omnino propulſandas virium oppoſitione ſuarum, & ad iugula

telis inimicorum intentis fortiter constanterque dimouenda. O virum omni laude dignissimum! O verum pastorem totius virtutis absolutæ clarissimum! Hunc vitæ cursum clarissimè sanctissimeque confectum, tot labores & vigilias sine intermissione susceptas, tantos Christianæ Religioni fructus allatos, tot pericula capitis, & adita discrimina, honores iure merito consequi debebant, iure gloria Beatorum, iure dignitas clara & illustris, vt te in Sanctorum numero collocatū, & duplicis (quod vulgo dici solet) nomine & honore affectum omnes Christiani coleremus, tibi acra templa, tibi aras erigeremus, anniuersariū omnes tuum diem sanctissimè recoleremus, & vt inter Confessores sanctissimos, inter Patriarchas celsissimos, inter Augustinos, inter Hieronymos, inter reliquos sacrarum familiarum parentes, & principes eximios laureâ virginitatis decoratum, & insigniter fulgentem debitis honoribus afficeremus.

Adiuncta cum similibus.

NVnquam hominem vidi tam similem Ildefonsi, qui melius vitæ suæ rationes constitutas haberet, vt neque minimum à recta ratione discrepent. Omnia interualla dieī, vel momenta temporum, sic partitus est, vt nullum habeat vacuum præfinitis actionibus, consideratissimeque præstandis, omnia autem occupatissima, vt neque minimum detrahat de tempore, neque addat, quod singulis rebus agendis dandum constituerit. Atque istud non licet animaduertere solum in negotijs domesticis & externis, sed in omni sermone familiari: qui sic loquitur, vt præfinitò loqui videatur, neque verbum illum faciat, nisi consideratum, & multo ante præmeditatum. Vt nunquam vllum pœnituisse quisquam audierit inconsiderantiæ, qua cum aliquo egerit, aut vnum verbum proloquutus fuerit: quid dicam temeritatis, cum illud verbum inconsiderantiæ præ viri tanti comparatione, longissimaque in verbis, & actionibus prouisione maximum grauissimumque fuisse videatur? In vestitu vero nisi concinnus, nisi compositus, nisi ad modestiam ornatus occurret nemini. Odit ille in priuato negligentiam corporis, quam ipse grauissimo verbo vitium appellat, moderatam diligentiam probat: sic incedere videbis eum vultu recto, & ad dignitatem composito, oculis demissis, & in loquendo, in spuendo senatorem Christianum vidisse dices, qui prandijs, studijs, deambulationibus, rebus diuinis, & exercitationibus animi sua semper legitima tempora fuerit impertitus. Vt enim

enim horologium recta moderatione constitutum, nec minimum à proposita temperatione discrepat, semper suis spatijs legitimis signa dabit horarum, vt neque breuiores alias, neque longiores horas in illo, (quod de alijs horologiis vulgò queremur, si recte obseruare voluerimus,) animaduertamus: ita quidem vitum hunc bene compositum semperque præclare constitutum, neque vnquam vllo tempore à proposita sibi præstitutaque viuendi ratione defecisse videbimus.

Adiuncta cum dissimilibus.

NEque te tuorum vitiorum pudebit, neque pœnitebit vnquam, qui vel satietate tandem aliquando redire debuisses in viam? Quod spectas tempus resipiscendi? quem locum dari opportuniorem, aut quos homines, obsecro, magis idoneos ad te perditum & profligatum in gratiam diuinam, vnde tuis sceleribus dejectus es, restituendum? tempus, si sana mente es, tuum te iampridem officium monet. Cum multis leuioribus peccatis Deus in inferorum sedes alios dejecerit, tu tibi hanc peccandi licentiam liberam & impunitam fore putabis in perpetuum? Qui locus autem scholis Religiosorum hominum ad Dei gratiam adolescenti de sæculo, qualis tu es, retinendam opportunior erit? Cum vero homines Religiosi sint, & de instituto suo animorum saluti consulant, quid magis in manus dari cupiunt, quàm animos, quorum de salute cum agant, non se suum officium facere, & in delicijs maximis versari putant, nisi abalienatos à Deo mortales, vel confessionum auditione, vel alijs modis diuinæ Maiestati reconciliauerint? scilicet est frater tuus? quàm dissimilis est tui, quàm alia vita, quam alijs moribus, & abhinc annos multos, à puericia sua, antequam à parentibus in scholas nostras deductus esset, in hunc locum venire gestiebat: quas poterat etiam puer nobiscum horas consumebat. Nihil equidem illi gratius, neque iucundius erat, quam cum amicis suis, cum Confessario agere de tempore, quo venturus esset in scholas ad Grammaticæ cunabula. Theologus est iam, & nobiscum amplius annos octo posuit in scholis, neque nosse visus est homines alios, quibuscum agat, neque locum ad manendum, totos dies festos, profestosque, vt nesciat extra nostrum peristilium aliò pedem efferre, nec inferre nisi in hanc Academiam. Et tu hanc vitæ rationem non institues aliquando, eodem parente susceptus, eadem domo, eisdem parietibus contentus, & eadem disciplina imbutus,

non ad fratris mores, similitudinemque vitæ optimæ traduceris? Nisi verò parentes tuos, neque fratrem nosse vis, & iam qui visus es, ore quidem impudenti, ferocique animo, parentes alios, & aliud genus ementiris: dic obsecro, vt saltem hæreditatis aliqua fratri tuo fiat accessio, nobis verò errorem eripias, in quo iam diu versamur.

Secunda ratio amplificandi ex adiunctis per dissimilia.

REgina Maria, quæ si non erat in regno suo, erat tamen Regina, melioreque iure, quam Isabella erat, eodem genere, eisdem maioribus, eadem cum Isabella sanguinis communione coniuncta, denique erat Regina serenissima: si tamen à regno per scelus eiecta, at non ita deserta, vt regnum recuperare non posset, adiuta Regum Gallorum, & sanè potentissimorum viribus in Regalem sedem restitueretur. Hanc per fraudem, per blanditias, per pollicitationes & cum iusiurando suum in regnum accersit Isabella, quam vbi finibus Angliæ tenuit, in arcem munitissimam, inclusit, post multos annos de hac Regina, nihil mali merita, nihil vnquam perfidiæ cogitante, nihil suspicante, Isabellæ Reginæ sanguinem suum prodentis immanitate detestabili prolata est sententia, vt in Castello, hæretico Pontifice præsente, & nescio quibus Regni proceribus spectantibus, capite plecteretur, nulla de causa, nulla culpa, nec minima. Multa acerba, multa turpia, multa detestanda habuit imperium Isabellæ, tamen illo scelere post Religionem desertam, atq; violatam, quod in Mariam Reginam Isabellæ immanitate fuit editũ, haud scio an vllum indignius, iniquius, & grauius commiserit. Mithridatem illum Ponti Regem immanissimum, qui cum populo Romano per multos annos magna belli contentione conflixit, auito, patrioq; regno expulsum Tigranes excepit, diffidentem suis rebus confirmauit, perditum refecit, atque recreauit: Deiotarum bello ciuili superatum, hostem Cæsarianæ partis acerrimum, suis in regnis supplicem & abiectum, procedentem obuiam Cæsari, & ad suos prostratum pedes, erroris veniam petentem, Regis nomine & honore affectũ ab Imperatore terrarum potentissimo legimus, & imperatis nõ multis pecunijs regnum tenere permissum, regiamque dignitatem retinuit Cæsar, & conseruauit Regem, qui & hostis fuit, & exercitus fuit Cæsariani, qui contra eundem conflixit, qui signa contulit, qui de Cæsare necando planè contendit: restitutus

tutus à Cæsare fuit in Regnum, regnauit per omne vitæ suæ tempus, & Regis nomen & honorem retinuit, quemque armis Deiotarus violauerat, eum precib⁹ & aspectu placauit: Illa Regina Maria, quæ semper socia, quæ semper amica fuerat, quæ tanta tecum sanguinis communione coniuncta, quæ (quod caput est) nihil mali fecerat, nullâ in re tuam dignitâtem violarat, quæ Christiana vixerat, quæ se Catholicam professa fuerat, ob hanc causam in vincula per summum scelus & fraudem coniecta, in custodiâ indignissimis tractata modis, denique vltimo capitis supplicio mactata fuit. En cur filius tibi propinquus stabilem suam fortunã non arbitretur, cùm matris suæ spectaculo funestissimo videat per impuram quandam, hæreseos labe inquinatam Reginam, se fortunis omnibus spoliari, & omni suo Regno posse nudari? At equidem eo facto turpissimo Catholicę fidei splendorem maculare voluisti, ignara quid sacra Fides, quid Christiana Religio valeat, quid dignitas Ecclesiæ Romanæ, quæ in medijs hæreticorum fluctibus quieta est, & lucet in cæcis tenebris, atque turbinibus hæreseos, splendetque per se semper, neque vllis tempestatibus potest obrui. Non id facit Catholicus & Christianissimus, vtroque nomine dignissimus, Philippus Rex Hispaniarum potentissimus, qui eiectos, & expulsos à te proceres Catholicos, exules & extorres à patrio Regno adolescentes magnâ spe atque virtute, moniales per terras, per maria tuam immunitatem & diritatem execrandam fugientes, profugas & vagas in Regna sua non recepit solùm, sed etiam pecunijs adiuuit, collegijs & cœnobijs magnificentissimis sustentat, & pro Catholicâ fide protegendâ abhinc tot annos bellum alit in Flandriâ, contra te classes omnibus rebus ornatas & instructas in Londinum fluuium, in Thamesim ipsum propter Londinum intulisset, nisi impetus illarum incitatos fœdissima tempestas maris Anglicani retardasset. Atque hoc tempore bellum infert alijs gentibus à fide sacrâ deficientibus, vt Catholicos in eadem Prouinciâ conflictatos tueatur, Anglicani belli, cùm per tempus licuerit, perficiundi summâ suorum Regnorum potentiâ minimè quidem memoriam abijciens.

* *
*

Tertia amplificatio ex adiunctis per dissimilia, ornata repetitionibus & percontationibus de B. Ioanne Baptistâ.

ESTne Ioannes is, qui more hominum reliquorum conceptus, grandæua muliere natus est, & iam ad concipiendũ inutili? Qui in matris vtero à Virgine Matre Assertoris Iesu dignissima inuisus, communi parentum nostrorum labe fuit expiatus? Qui diuitias omnes parentum suorum, amplissimè, magnificentissimeque repudiauit? Qui terrarum orbem vniuersum gaudijs natalis diei maximis lætitijsque compleuit? Cuius de sanctitate cùm vulgò dicimus, atque virum tantum celebramus, prius sanctitatis splendore clarum prædicamus, quàm in hanc lucem editum? Estne hic Ioannes, qui cùm nuntios accepisset Principes Iudæorum, postulataque illorum, vt Messiæ dignitatẽ vellet, & haberet, cum laude honorifica Christo Iesu tributa repudiauit? Estne hic Ioannes, qui laudat⁹ prædicatusq; fuit à vindice nostræ libertatis IESV Christo, vt idem tantus Dominus homini cuicumque meritis, & sanctitate præponeret? Atque, vt alia omittam, estne hic Ioannes, qui testimonium dedit Christo IESV pulcherrimum præclarissimumque? Qui Iordanis aqua caput aspersit eiusdem IESV Christi? Estne denique hic Ioannes, qui Regis effrænatæ libidini sese opponens, caput à cerui- ibus securi carnificis obtulit præcidendum? Vide Herodes impie, quid inter te, cuius nomine caput viro sanctissimo à ceruicibus ablatum fuit, & nuntiante Herodiade saltatrice præclara illa mandata deferuntur ad matrem, cui Regis nomen & dignitas, quæ præsidium debuit esse virtutis conseruandæ, tam immeritò defertur, vide, inquam, quid inter te, & tantum Ioannem interfit. Huic Principes veteris Legis testimonio suo, legationibusque ad eam rem missis, Messiæ dignitatem deferunt: te omnes viri, mulieresque propter libidines impuritatesque tuas vituperant, atque adeò probris & maledictis omnibus vexant. Ille præconio IESV Christi præ reliquis hominibus tollitur in cœlum: tu sermonibus, linguisque cunctorum infra mortuos amandaris. Ille denique caput pro veritate gladio carnificis deuouere non formidauit: tu te in sedes inferorum tuis maleficijs deiecisse præcipitem, omnibus etiam testantibus, testis esse non desines.

Adiuncta

Adiuncta ex attributis personæ, loci, temporis.

FVerunt literæ à patre de filio præceptori missæ, & quòd abfuerat multos dies ab scholis nimis iracundè scriptę, summè expectabant auditores, quid in literis contineretur. Aperit præceptor gymnasio frequentissimo, summa eò spectabat, mirari patrem ex ratione temporis, ex numero mensium negligentiam filij, incurantiam præceptoris, nihil m tum filium, nullas in studijs progressiones fecisse, qui tantum temporis abfuisset, quem ante profectionem suam in Classe secundanorum reliquisset, eundem adhuc in eadem versari, & rudimentorum planè insciũ. Postulat igitur pater, sibi respondeat præceptor, qvisnam hoc tempore filius, an negligens, an alienus à literis? nullo, vel mediocri ingenio? literis aptus, vel ineptus? in gymnasio frequens, an infrequens, & an in Tertianorum gymnasiũ transire possit, an manendi necessitas puero sit in classe Secundanorum iam duodecim annos nato? sic multa de filio rogasse, filium nihil respondisse: videri truncum & stipitem, de quo, vt quid explorati haberet, rudimenta saltem clariora à filio se exegisse nullam illum reddidisse rationem: matrem in culpa esse, filio nimis indulgentem, quem si reliquisset sibi, si non ex paternis eripuisset manibus, virgarum multitudine coopertum vix viuum reliquisset.

Adiuncta ex persona, re, & modo.

ELoquentia, inquis, magnam habet auctoritatem, nonne vobis M. Tullius videtur loqui? Discite orationem veterani, & vos recentiores, etiam tu præceptor disce ab egregio dicendi artifice, quamquam ille nunc primùm in hunc locum ascendit, sed tamen disce ab adolescente Rhetoricæ dedito, oratore bono, tum omnium orationis ornamentorum scienti. Quid in oratione, nonne & quis dicit, & quid, & quomodo quæritur? An hæc tu ita confundis, & perturbas, vt quicumque velit, quid velit, quomodo velit, possit dicere? Quis eras tu, qui dicebas? quo studio? quibus progressionibus? qua facultate? quot orationes antè habueras? quisnam istud tibi onus & prouinciam imposuit? Video enim te quidem audaciæ fore coarguendum, & impudentiæ, qui contra legem, contra morem, post annos nullos in vsu & exercitatione positos,

positos, orationem huiusmodi ex hac loci celebritate habueris, quæ non ita habenda fuit, vt tu habuisti, raptim & cursim dicens, sine auctoritate, sine dignitate, quam retinere debebat Orator in dicendo, vt rem ipsam non minus dictione, quàm vultu, quàm gestu, & aptâ corporis moderatione veterum Oratorum similis exprimeret.

Adiuncta cum repugnantibus.

AN verò cùm Doctor ille sit, & de senatu vestro antiquissimus, de Matre semper Academiâ bene meritus, & præceptorum clarissimus, auctoritate suâ, suis ornamentis, & beneficijs in Academiam collatis non im etrabit, vt quod alijs Doctoribus æquè præstantibus, & singulari virtute, exquisitaque sapientiâ tribuistis, sibi tribuendum putetis? Nisi verò, quia vobiscum mansit, & per omnes vitæ suæ tempus manere vult, dignum putatis, quem excludatis illis præmijs & honoribus, qui sæpe dati fuerunt Patribus de vestro consessu recentioribus, qui potuerunt aditum ad cathedram patefacere proposita in decertatione capientibus, qui negari non possunt, nisi proditoribus Academiæ, nisi hostibus Reipub. literariæ deterrimis, & proditionis omnium patrum grauissimorum sententiâ conuictis. Videte Patrem de vestro ordine grauissimum, vestrũ socium & comitem, consortem laborum omnium, æquè Academiæ consulentem, & vestræ amplificationis appetentem, cum hominibus nostris versatum annos circiter triginta non modò sine labe, sine macula, sed sine offensionis minimâ suspicione, tantâ cum approbatione omnis generis ordinum & ætatum, vt reprehensionem equidem omnium vereri debuissetis, si tales in tantum Doctorem, tales in tantam virtutis præstantiam, & in tam illustre sapientiæ lumen, tanta antiquitate notissimum, non præberetis animos, & ad huiusmodi rem concedendam non omnibus suffragijs incũberetis; cum iam cani tam multi, exarata rugis facies, & auctoritas tanta magis clamitare, & vestras mentes deberet impellere, quàm cuiusquam apud nos valere picta nitore vario, distincta diuersis luminibus, turbulentissimis affectibus plena, vehemens & ardens oratio.

* * *

Adiuncta

Adiuncta cum comparatione.

HIc te si res ipsa, si indignitas iniuriæ tuæ non commouebit, si facta adolescenti nobili, facta locupleti, facta filio facile principis vicinæ suæ: si loci celebritas apud te ponderis parum habebat, tu ne illud quidē animaduerteres, ciusmodi fuisse factam iniuriam, quam parentes vlcisci necessario debuissent, cùm verbis non contumeliosis solum tractaueris, sed pedibus conculcaueris? Etenim quid erat, quod ad has iniurias addi potuisset acerbitatis? Adolescens ille suis parentibus carus erat, & eisdem habitus in delicijs maximis, atque hunc tam fœdum reddidisti, quàm qui ex grauissimis iniurijs contumelijsque deformes manere solent. Dico adolescentem nobilitate generis clarum esse, teque multo nobiliorem, qui iactas passim nobilitatem maiorum. Dico nihil illo pacatius, nihil ad lenitatem, nihil ad bonitatem virtutemque propensius: dico denique nihil in his iniurijs, neque verbo, neque facto contra te fecisse bonum adolescentem, cum sese defendere conaretur, & à corpore suo vim omnem propulsare, intercessisse quosdam, qui te ex tuis factis, atque virtutibus ornarunt. Quid habes cur te non plectendum similiter, atque mulctandum à præceptore timeas, cum post conditam Academiam, vt ex auditis intelligere potuerunt omnes, nihil tetrius ab adolescente factum fuisse recordentur?

Altera amplificatio ex adiunctis cum comparatione.

ATque hæc Complutensis Academia, parens bonarum artium, & doctrina sapientissimorum hominum abundans, quæ sunt ad virum omni literarum laude cumulandum perficiendumque necessaria, satis abunde suppeditare potest, & abundantius quidem, quàm aliæ plurimæ toto terrarum orbe celebres Academiæ, siue literas humaniores, siue Græcas atque Hebraicas, siue facultatem dicendi spectes. Artes vero liberales, ipsa Philosophia, Medicina salutaris, Iuris Pontificij facultas, sacra cœlestisque Theologia traduntur in hac Academia. Atque singularum artium atque doctrinarum præceptores exquisiti numerantur, doctiores profecto, & sapientiores multarum Academiarum magistris doctissimis sapientissimisque, quorum vocibus gymnasia personant. Illi vero tantum honorem Academiæ tribuunt, quantum alij quicumque exquisiti afferre possent, magnis stipendijs propter famam

ac

ac celebritatem nominis accersiti, vt plane ex varijs orbis terrarum partibus confluat alumnorum numerosa multitudo, relictis alijs Academijs, horum præceptorum literis & doctrina imbuendi. Quâ in Academia maior alacritas & ardor, maiores vnquam in studijs progressiones, decretationes acriores ac vehementiores, per omne anni tempus singulis nõ modo mensibus, sed hebdomadis, atque diebus, ad literas percipiendas? Incitamenta maiora nulla in Academia, neque in Complutensi, vigent, propter renuntiationem, ac gradus locis suis ex ordine publicatos solennibus statisque anni diebus, concursu omnis generis & ordinis alumnorum, sono concentuq; tibiarum, spectatorum plausu & acclamatione tanta, quantam spectare possit aliquis, maiorem profecto viderit nemo. Cedant equidem necesse est nobis Athenæ bonarum artium inuentrices: cedat nobilissima quondam Ægypti Alexandrina necesse est Academia: cedat, quæ in ipsis Italiæ visceribus ac medullis floruit fœlicissimis temporibus, appellata, celebrataque cunctorum Annalibus magna Græcia: quæ omnes si prædicatæ fuerunt toto terrarum orbe, tamen illorum artes & disciplinæ tantam minimè, quantam nostris temporib. absolutionem, perfectionemq; nactæ non fuerunt. Tacemus de Italorum, de reliquorum hominum Academijs, quibus longum esset statum Academiæ nostræ & fortunam fœlicissimam conferre. De Salmanticensi solùm dicamus aliquid. Demus illi reditus plures, & ampliora stipendia, demus tantam multitudinem & præstantiam collegiorum, demus illi cunctis notissima quatuor collegia primaria, ex quibus in Ecclesias, in Academias, in Præfecturas, in Regum consilia tot homines doctissimi prodierunt: demus iuris ciuilis scientiam, qua se cum Italis non æquauit solum, sed illis fortasse præstitit Academia: Verùm Salmanticenses relinquant Complutensibus vsum & exercitationem earum artium, atque disciplinarum, quæ Compluti coluntu. Concedant concertationes assiduas, vim argumentandi, acrimoniam persequendæ argumentationis, & ad exitum perducendæ, tantam contentionem inquirendæ inuestigandæque veritatis, feruorem & ardorem disputationum, politam limatamque quæstionem rerum, quæ in certamen, & dimicationem adducuntur; quæ omnia doctos admodum & absolutos perficiunt, & ipsas in sublimi gradu sine contentione collocare solent Academias.

Adiuncta

Adiuncta cum exemplis.

QVid ais bone vir? tu istis fascibus, ista Consulatus dignitate, ista denique totius Imperij Romani potestate, tantum, in celsissimo gradu positus, præcipies tibi maiestatis & principatus, vt desinas esse Consul, qui debes & ad imperij commodum & vtilitatem Rempub. administrare? Tunc, reliquos Magistratus, quorum vim & iurisdictionem tua potestate muniendam confirmandamque sciebas, quos afflictos, & quasi vexatos cernimus, parum te curare, & te magis ad speciem, quàm ad rem insignia gerere demonstres? Sic tu ad Imperij perniciem tradita potestate per summum scelus, & tyrannidem abuteris. Nescis planè quid sit Consulem agere, nescis quid sit virum esse Consularem, quem stipatum fascibus, armatum imperij potestate, ornatum apparitoribus, & ad oculorum aspectum maiores Regia maiestate decoratum esse voluerũt. Consulem in curuli sella, in ornatu apparatuque summo, in vestitu corporis pretiosissimo, in ipso propè Regali splendore summam auctoritatem & dignitatem habere quis nesciat? Cùm ad illum res omnes deferantur, cùm eidem se cæteri magistratus subijciant, cùm ad Senatum primus deferat, primus sententiam dicat, cùm idem decreta faciat, leges sanciat, vetustiores abroget, omnem denique Rempub. & ob eam causam totum terrarum orbem suis humeris sustineat, quæ species? quæ dignitas? quæ maiestas Consulis? Hanc tu Antoni non ita vim potestatemque superbissimam sustinebis, vt Syllas Dictatura deposita recorderis, & Puteolis vi pediculorum absumptos? vt memineris dominantem Cæsarem, viginti quinque pugionibus confectum? vt denique repetas memoria, Reges propter superbiam & nimis crudelem regnandi rationem, Regijs gubernaculis fuisse deiectos? Vt referre desinamus Ciceronis temporibus Gabinios, Pisonesque, duos Reipublicæ turbines, omnibus ignominiæ maculis notatissimos. Hos si recordatus fueris, & ad Reipubl. vtilitatem Consulatum retuleris, vituperationem nullam, nullam reprehensionem, neque capitis periculum, quod imminere tibi certò scias, nisi resipueris, vllo vnquam tempore formidabis.

***

DE

DE ANTECEDENTIBVS.

ACtum est à nobis de adiunctis, nunc agendum de antecedentibus, & consequentibus, in quorum exercitatione magna pars adiunctorum, & vis incredibilis, magnopereq; Oratori spectanda, posita est. Quidquid enim antecedit, quidquid consequitur, ad adiuncta potißimum reuocabitur. Quorum trium vim argumentorum, qui in omni re ad dicendum propositâ contenderit excitare, magnas ille vires eloquentiæ, neruosq; contendet ad omnem exercitationis varietatem, amplificationemq; oratoriam: ac primùm antecendium exercitationes proferamus in medium.

Antecedentium prima exercitatio.

QVis scholasticus huic viro cathedram non detulit in conuenticulis, in circulis, ante suffragationem? Quis doctorum hominum non primas tribuit inter candidatos? Quis illi non modò ex Doctoribus, sed ex Collegis omnibus præceptoris prouinciam, & per leges Academiæ licuisset, non commendaret? Quis denique non solùm de patrio solo, sed ex omni ordine & classe alumnorum, non hunc omnibus præposuit sine contentione competitoribus? Non omnes inclamarunt victoriam? non renuntiauerunt cathedraticum? non in cathedram, tanquam in curum victorem olim triumphantem imponere, nondum delata cathedra voluerunt, nisi vi facta, nisi abdendo se in cubiculum, & obdendo pessulum, vir iste doctissimus restitisset? Deniq; vniuersa multitudo suffragatorum, antequam suffragia explorarentur, & ex vrna fuissent elata, antequam Rectoris & Consiliariorum voce renuntiaretur victor, non virentibus ramis, non palmis, non oliuis in sublime elatis, cursu plurimo, sursum deorsumque facto, cathedraticum prædicauit? Et tu vnus, præ cæteris competitoribus repulsam turpem & ignominiosam passus, suffragatores nostros corrogatos, subornatosque dictitabis imprudenter?

* * *

Altera

Altera exercitatio ex antecedentibus.

VTra est splendidior, vtra illustrior commemoratio? prodidi eum, qui cum collega fueram, qui cum meis fors, consuetudoque collegarum, qui cum me studiorum, honorumque ratio coniunxerat, qui eum octo annos, & totidem antè in literis, in vtriusque iuris facultate coniunctissimè vixeram. An adiuui studio, & gratia mea? An oratione mea atque suffragio euexi in locum excelsum, omni contentione, amicorumque meorum suffragatione, quo multis alijs præteritis in cathedræ petitione superior extitit? Dubitare quisquam potest, quin honestum istud fuerit, vt & illud, quod in primo loco positum, turpe nulli non generi hominum videretur?

Tertia exercitatio ex antecedentibus, quæ mortem sanctißimæ Reginæ Mariæ præisse visa sunt, cum enumeratione & loco communi.

ID, quod fuit, dicam, quod testatum fuit, quod literis mandatum: venisse Mariam, Reginam Gallię, & Scotiensem, accersitu Isabellæ Reginæ Anglicæ: tum viæ se difficillimæ fide data commisisse, cum prius polliceretur auxilium se esse laturā ad pacandum Scotiense Regnum, & ad eandem Reginam Mariam ab insidijs & periculis inimicorum tutandam. Venit igitur Maria, vix pedem in Anglorum Regnum intulit, cum Isabella in custodiam conijciendam imperauit. Et quāquam per aliquot annos, humanitatis specie & simulatione falsa in Reginæ morem relictis ad seruiendum ministris tractata fuit, neque Regina Maria mortem aliam allaturam putauerat, tamen ad extremum, cum id, quod latuerat, quod quiuis de perfidia mōstri huiusmodi facilè sibi persuaderet, emersit, iniquissimis modis & inhumaniter, & impiè tractatur, ablatis Catholicis administris, & hæreticis in illorū locū subrogatis, qui premerent, qui vexarent Catholicam Reginā. Crudelitas ea progressa fuit, donec ad illud inhumanitatis, & impietatis genus perueniret, vt Maria omni Reginæ maiestate spoliata caput, quod fidem Iesu Christi sanctissimam deserere noluerit, carnificis nefariæ crudelitati subijcere debuerit. Hic Isabellā si res ipsa, si indignitatis iniuriæ tantæ non commouebat, si Mariæ virtus, si sanguinis communio, si regnorum, quæ Regina præpotens habuerat, & habitura esset, si Anglici

Regni, quod iure hæreditario veniebat, amplitudo, apud Isabellam ponderis nihil habebat, ne istud quidem animaduerterat, eiusmodi fore hoc peccatum suum, quod Reges Galliæ qui essent, qui debebant esse, necessariò vindicauissent? Quod filius Rex Scotiensium, cum primum per ætatem posset, maternæ memor iniuriæ, memor allatæ mortis acerbissimæ fuisset vltusus? Non denique cogitaret multis post sæculis fidem sibi non habituros esse Reges exteros, neque Christianos, neque sectæ cuiuscunque, quod Reginam, quod propinquam, quòd neptem, quòd à se inuitatam, quòd adductam in Regnum Regia fide interposita per tantum scelus, & perfidiam inauditam prodiderit & impiè ac nefariè necauerit? Quid erat in Maria Regina nefarium? quid improbum? Perfidiæ credo, aut infidiarium, aut alicuius sceleris eiusmodi audieras atrocitatem Isabella, vt ipso nomine, & metu vitæ tuæ iudicium vehemens ac seuerum exerceres? Romanæ sedis fautrix erat, & sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ filia, quam viuens tùm verbo, & virtute, & viribus Regnorum, tum armis atque iugulli deuotione tuendam defendendamque deliberauerat. Hæc Regina sanctissima Christianissimaque, tuæ perfidiæ inaudita magnitudine, proditionisq; nefariæ detestando crimine, Regno patrio, fortunaque Regali celsissima spoliata, producitur in palatium (neque enim ausa fuisti in publicum, in plateam) conficienda. Si nihil aliud, saltem vt eam, quæ tua causa tot annos fuit in sordibus, & in squalore iacuit, pulò tamen obsoletius productam, ad supplicium vellem aspiceres. Quod decus Regiæ maiestatis Deus immortalis dederat, quod ornamentum, & insigne fortunæ celsissimæ, hoc à te, nequissima muliere, ereptum esse grauiter & acerbè paterentur Christiani: neque defuissent lacrymæ administrarum suarum, sed etiam tuarum, tui ipsius etiam fortasse, quemadmodum fuerunt illorum, qui postea audierunt. Atque ideò, quod communis est causa, commune malum, communes insiæ in Reges susceptæ; communis est Principum totius orbis sensus, & in Regiam Maiestatem iniuria facta communis dolorem & motum efficit animorum. Certum enim est, quod cara fuerit Maria cuicunque generi Christianorum, quod cara eius vita, quibuscunque Gentibus ac nationibus vita etiam salusque suorum Regnorum. Precari dies & noctes Deum non desinunt cultores Christianæ Religionis, vt suorum Regum dies, & vita quam longissima in sæcula propagetur: Quis autem tunc erat, qui tueri posset Mariæ vitam contra tuam perfidiam, & prauitatem?

tatem? Filius forte Reginæ Mariæ, qui puer erat, & procul aberat: scilicet magno subsidio fuissent, cùm te commouebas in illius perniciem, subditi; minus equidem, qui tuis armis oppressi tenebantur. Perfacilè fuisset Regi Gallorum, tempora obfuerunt, ne quod faciendum erat, efficeretur, ne te tetram & immanem belluam, tuosque nefarios conatus, & facta teterrima, scelestissimaque cohiberent.

Quarta ratio amplificandi ex antecedentibus cum adiunctis, contrariis illustrata flore schematum maximorum.

AT quem hominem P. Clodius tantis, tam insignibus affecit iniurijs? quem non modò inimicum habuit, & insectatus modis indignissimis, sed è ciuitate per summũ scelus eiecit, atq; adeò proficisci voluntarium in exilium coegit? Quem hominẽ, Deus immortalis? non dicam conciuem tuum, quod apud homines maximum est; non Romanum Equitem, quod clarissimum est, nihil enim minus libenter de Cicerone commemoro, nihil aliud minus laude dignum in suis maximis & clarissimis ornamentis inuenio. Fuerit ille ciuis Romanus, honestissimus, & splendidissimus in vrbe terrarum principe: Vixerit semper, atque versatus fuerit, ad C. Marij, & Cn. Pompeij, vel Cynnæ, C. Sertorij ornatissimorum hominum latus, cæterorum tamen Equitum Romanorũ albo suum quoque nomen Tullius ascripserat. Sed de patria sua, de splendore Equestri nihil dicam. Virtutem laudemus in Cicerone, non ijs, qui literati sunt, nemini enim eorum, qui in historiâ, qui Romanis in Annalibus, qui suis in libris versatus fuerit, dubium est, quo Cicero in vrbe Roma splendore fuerit, quâ apud ciues suos dignitate, quâ existimatione; sed neque hominibus imperitis ignotum est, quem in hominem vim funestissimi Tribunatus, P. Clodi, contuleris. Quod cùm propter indignitatem rei, tum etiam propter Ciceronis dignitatem acerbum omnibus, atque maximè detestandum videtur. Estne Tullius is, qui summas artes omnes, atque Iurisperitiam, Græcas literas, & eloquentiam absolutam atque consummatam obtinuit? Qui propter eloquentiam & virtutem suam honores Romæ facilè cum adeptus esset, amplissimè ac magnificentissimè gessit? Qui coniurationem Catilinæ, mul-

totumque Catilinæ similium adolescentum inuestigauit, protulit, & extinxit? Qui Rempub. Romanam ex impiis cõiuratorum manibus, ex ferro, ex flamma eripuit, atque conseruauit? Cuius de maximis meritis in Rempub. Romanam, Italosq; vniuersos fuerunt supplicationes ad suorum Deorum puluinaria decretæ, in quibus publicæ voces de Ciceronis beneficijs audiebantur in templis, & publicæ quoque tabulæ fixæ videbantur pro valuis, vt omnes istius honores inter suos & amplitudines maximas iustissimasq; causas possent agnoscere? Estne hic Cicero, quid apud populum Romanum, & apud Senatum vniuersum, cùm à te furia & peste ciuitatis vocaretur ad suppliciũ, quod propter Equites Romanos participes cõiurationis iugulatos in custodia contra leges & iura populi Romani venisse eũ accusatores & inimici dicerent, cum magis inuidioso crimine, quàm vero accusaretur, ita maximi fuit habitus, vt illius à ciuitate discessum lacrymis & squalore prosequuti fuerint? Ita porrò curæ fuerit Senatui bonisque omnibus hominis tãti, patriæ, Reique publicæ restituendi, vt ipse Pompeius ad Senatum de restituendo Cicerone detulerit. At quemadmodum restitutus est? publica lætitia gratulationeque ciuitatis, humeris totius Italiæ, vt agmen perpetuum, qua præteribat, à porta qua Romã ingrediens vehebatur, per vias omnes in Capitolium vsque cerneretur. Postremò estne hic Cicero, qui & animum habuit in Rempubl. eiusmodi & tantum auctoritate apud suos ciues senatoresque potuit, vt perficeret in foro, in curia solus vna tãtum oratione, quod non modò Romanus nemo, sed neque omnes vnà viri clarissimi commendatissimique potuerunt: vt omnium animos voluntatesque sibi deuinceret? Cùm præsertim Romæ fuissent tã multi, qui nobilitate generis, vel factis egregijs, aut industria gratiam à Senatu populoque Romano inire possent, & modis omnibus colligere per se, perque alios conarentur? Denique pestis Reipub. turbulentissimè Tribune, vide quid inter te, cuius causa M. Tullius in exilium proficiscitur, & patriam mauult relinquere, quam tot ciues propter se vnum arma ciuilia capere, & inter eundem intersit. Hunc homines ex cunctis ordinibus omnes testimonio suo, vocibusque de Ciceroniana virtute missis publicè laudarũt; te bonorum omnium, & Reipub. studiosorum voces, priuati, publicique sermones vituperarunt. Illum omnes defensorem Reipub. columẽ Imperij, parentem patriæ nominauerunt, & semper hoc nomine & honore affecerunt; te pestem patriæ, turbinem Reipublicæ, exitiũ

vrbis,

vrbis, euersorem Imperij appellare nunquam desierunt. Et hoc de homine, ac de eius bonis etiam in ciuitate per ipsum conseruata monimentum tuorum flagitiorum crudelitatisq; posuisti, in qua nomen parentis patriæ Ciceroni datum cunctorum linguis & sermonib. vsurpabatur. Viderunt ciues domum Ciceronis iussu tuo, per te conductis operariis ad id scelus patrandũ, dirutam & euersam. & dominum omnibus ignominijs & iniurijs affectum, furori tuo cedentem, & in exilium abeuntem,

Quinta ratio amplificandi in Antonium ex antecedentibus & consequentibus.

ETenim cùm infinita regnandi cupiditate flagrauerit Antonius, cùm exclusus à Quartanis, & Martijs legionibus Mutinam accelerauerit, cùm obsederit Consules designatos, noluerit parere Senatui, cùm alterum se Cæsarem duxerit, cùm denique Romanis bonis omnibus iratus veniat, & vlscendi se desiderio flagrans, quid futurum putatis? Hinc Magistratuum spoliationes, hinc Senatorum imminuta potestas, hinc Consulum neces, hinc cædes bonorum, hinc defensorum Reipub. interitus, hinc totius Italiæ vastitas, hinc prouinciarum occupata possessio, hinc denique totius Imperij occasus, nisi prouidere consilio suo mente boni properassent, consequeretur.

Ratio sexta amplificandi ex antecedentium descriptione.

PEtimus à vobis peccatores, vt ante animi discessum è corpore, nunc cùm maximè potestis, & datur vobis per Deum optimum, ac maximum resipiscendi facultas, vt quas Deus de sceleratis hominibus pœnas sumpserit, quæ supplicia statuerit in libidinosos, quæ in auaros, quæ in superbos, quæ in sectatores scelerum ac flagitiorum, quæ maximè in auctores & Principes nequitiarum consideretis: vt qui vester status in hodiernũ vsq; diem fuerit, quæ vulnera inusta peccatorum animis, quam tetri & execrandi, quàm hominibus bonis, quàm cælitũ ordini cunctorum, quàm Virgini sanctissimæ Triadi fueritis infesti, cogitetis. Vt cum sanie quadã terrifica, taboque fœdissimo manare vester animus, & intolerandam odoris fœditatem, quam nemo perferre possit, exhalare sentietur; cum ipsa nocte, erebique de-

formitate fœdiores velut imagines & simulacra nequissimorum spirituũ, imo velut titiones (vt ita dicam) addicti flammis inferorum flagrantibus in omnem sæculorum futurarum æternitatem, cognoscetis, à furore, & mentis insaniâ resipiscatis.

Ratio septima amplificandi ex antecedentium conglobatione.

ILla quæ antecesserunt factum, considera: quemadmodum alienatio animi, habitæ inimicitiæ, minæ iactatæ passim, arma comparata, accersiti consortes aliorum scelerum, pecuniæ datæ, prandia, cœnæ concelebratæ, habiti sermones, idoneus locus, tempus, præstitutum fuerit, tùm intelliges non sine causâ eadem potius in te, quàm in Petrum oportere conferri.

DE CONSEQVENTIBVS.

Prima exercitatio ex solis consequentibus.

CONSTITVE nihil opis esse in hac voce, Rhetor sum: Iam omnia subsidia bonis artibus, iam nitorem Dialecticæ, iam elegantiam Musicæ, Geometriæ, Arithmeticæ, Astrologiæ nonnunquam, ac sæpe Latino sermone poliendæ, iam medendi facultati neruos, iam vtriusque Iuris Doctrinæ vires suas, iam denique sacræ cœlestisque disciplinæ flores & insignia, iam omnibus maximis, clarissimisque doctrinis vim omnem loquendi, Latineque se iactandi, quæ in Oratoriâ facultate posita est, hac oratione, maximo rerum humanarum detrimento, tolles.

Secunda exercitatio ex consequentium descriptione cum petitione.

PEtimus à vobis peccatores, vt quàm acerrimè carnem afflictetis, vt quam fortissimè hostibus animi capitalibus resistatis, vt hoc cogitetis in hac carnis conflictatione, nisi quæ sit magnitudo vestræ voluntatis, nisi quod robur animi demõstraueritis, eò progressuros esse grauissimos & nequissimos aduersarios quotidianis illecebris, & consuetudine peccandi, vt non modò cogitationibus ipsis, verùm etiam sermonibus, factis denique

nique turpissimis vos inuestent: vt mundus fallacissimus, Dæmon nequissimus, caro iotemp rantissima, omnes hostes capitales, vos totos dissipent, & perdant omnino.

Tertia exercitatio, ex consequentium conglobatione.

EGo verò ætatis non modò meæ, sed multo etiam superioris, & honoris amplissimi puto esse, & eloquentiam exercere, & habere orationes ad sapientissimos, doctissimosque viros commendandos. Et profecto aut hoc est incitamentum bonorum artis Oratoriæ alumnorũ, ac planè enitentis iuuentutis ad omnem artium laudem, & doctrinarum maximarum vim ostendendam, aut si hæc ars bene dicendi non coletur, profectò nulla vnquam proferendis al arum facultatum doctrinarumque diuitiis potestas dabitur. Non medicina vigere, non Iuris peritia iactare sese suis in tribunalibus, non sacra Theologia contra hostes fidei, viribus orationis destituta, tela contorquebit. Itaque semper Catholici nationum aliarum in arte Oratoriâ diligentissimè laboriosissimeque desudarunt; qui quotidie cum hæreticis in rerum maximarum, & ad nostram fidem spectantium contentionem venire debebant.

Quarta exercitatio, ex consequentium frequentatione, & rerum repugnantium conflictu, cum praeteritione & dissolutu.

ATque hi scholastici Academiam suis turpissimis libidinibus dedecorabunt. Non queror diminutionem pecuniarum, non flagitium huius iacturæ atque damni. Prætermitto illa, hoc silere neque, quod nemo domestic⁹ est, quin apertissimè verissimeque testari possit, vos matrem vestram, vos parentem literarum communem, vos officinam studiorum, altricem ingeniorum, arcem humanæ, diuinæque sapientiæ celsissimam vestris seditionibus, atque turpis quotidie datis perturbare: eam denique vos Academiam, principem reliquarum, coloniâ Doctorum præstantiâ abundantem, firmum magnumq; Christianorum contra Religionis hostes suæ fidium, dedecorare, quæ Præfecturas omnes & sæculi, & Ecclesiæ firmat munitque præsidijs suis, quæ quibuscunque amissis Academiis semper floruit ac permansit, intermissis aliarum pestilentia grassante studijs

salua semper fuit & incolumis. Quæ si multarum rerum egens, & ornamentorum inops fuisset, vobis alumnis ali deberet, & sustineri vestrûm ope, viribus, & neruis maximè contentis, illa, quæ nunquam ab studijs vacauit, nunquam aliquo fatali malo conticuit, in pace floruit, in bello non squaluit, literatos ad omne tempus emisit. Sed hanc omnem orationem, ad exitum reseruo, cum dei lius dignitate toties imminuta violataque querat. Nunc quid existimatis in Academia vobis integrum fore, vt in tanta licentia thesauros sapientiæ quæratis, non acquisita sapientia? ad honores ascendatis, sine literatis honoribus? vllam putetis vestrum rationem habendam esse sine modo, sine ratione, sic intemperanter, licentiusque quàm quisquam adhuc viderit, dissolutorum adolescentum more vagantium? Erratis equidem vehementer: omnes honores, & ornamenta, quæ sunt comparanda, non negligentia, atque socordia, sed labore, diligentia, virtuteque obtinere poteritis.

Quinta exercitatio ex antecedentibus & consequentibus ad vituperationem.

QVid enim est, quod te in Academia delectare possit bone adolescẽs, in qua nemo est, extrà pauculos vicinos, & amicos tuos, qui te non horreat, qui te non oderit? Quæ nota desidiæ, ceu sanguidæ pecudi non insusta est corpori tuo? quod turpitudinis dedecus non hæret infamię tuæ? quæ seditio, quæ turba reperietur, quam tu non concitaueris? cui scholastico ad nocturnas peragrationes, aut ad tumultum aliquem, aut ad facinus comitẽ tei ipsum non prębueris? Quid verò illud nuper, cum nocte quadam parietes perforandos curaueris, vt in ædes, quas tu scis, te ipsum intruderes, nisi apparitor cum valentissimis aliquot satellitibus adfuisset? Non patefeciſſes aditũ, quò volebas ad tua scelera? Quid quod alijs in fuga (nescio enim quomodo postea euasisti) perrumpens custodiam, frangens vincula nocturno tempore & adulterinis clauibus aperiens fores, quod, inquam, alijs tuis sceleribus scelus cumulasti? Hoc ego prætermitto, & facilè patior fileri, ne in adolescente tanti facinoris audacia, aut extitisse vnquam, aut non vindicata fuisse videatur. Sed apparitoris manus iterum fuga declinasti, neque te, neque tuorum scelerum consortes consequi potuit. Prætermitto absentiam prælectionum tuarum, quas rarò integras te audiuisse scimus: ad illa venio, quæ non ad priuatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam turpitudinem & infamiam,

miam, sed ad summam Academiæ, atque ad multorum scholasticorum perniciem pertinent. Potesne prodire in publicum, in oculis, in aspectu versari condiscipulorum, cum scias condiscipulum esse neminem, qui nesciat te labem esse, & perniciem alumnorum Academiæ plurimorum, & sceleris, atq; furoris tui Iudicem ipsum, atque Præfectum scholarum grauissimas de te sumpsisse pœnas. At iam illa omitto, (neque enim sunt aut obscura, aut non multò pòst commissa,) quoties tu bonos alumnos, quoties sedatos, atque tranquillos perturbare voluisti, quòd illi tuam, & tuorum amicitiam atque congressum, vt vitare possent, viarum deflexu, & communi semper, cùm in te inciderent, aspectus declinatione fugiendum curauerint? Quoties tibi iam, quoties vis allata fuit? quoties impetus in te, in tuos factus, quòd illorum petitiones cùm vitare non possent probi, fortesq; adolescentes, ad manus peruenire necessarium erat? Venisti sæpe in scholas, ingressus es peristylium ipsum, in vnam aut in alteram deflexisti porticum, hic cùm omnia loca incredibili completa essent scholasticorum omnis ordinis multitudine, quis te ex tanto numero suum in circulum accersiuit? Quis nisi ex tuis amicis & familiaribus salutauit? Hoc quod pòst conditam Academiam contigit nemini, & quod omnes testati fuerunt, certissimum extitit tuæ prauitatis argumentũ. Quid quòd aduentu statim tuo circuli soluebantur, conuentus tollebantur plurimi, alius & alius discedebat? Aspectu quidem tuo vacua fuit illa pars peristylij, ne tui conueniendi, ne salutandi adolescentis improbissimi, ne suum in circulum admiscendæ labis, & nequitiæ tantæ necessitas bonis & honoratis adolescentibus imponeretur. Et parum putabimus argumenti, ad ea quæ postremo consequuta sunt, vt in carcerem fueris cõiectus, vt vinculis acerrimis mandatus, detrusus in obscurum & caliginosum locum, in quem mandari solent turbulenti, turpes & infames, tui similes scholastici? Denique nisi preces intercessissent multorum, nisi Doctores Academiæ grauissimi allegati fuissent, triremibus addicendus proculdubio dicebaris, qui

ab Academiâ leucas viginti longè à suæ iurisdictionis sedibus fuisti relegatus

in perpetuum.

***

Sexta exercitatio ex consequentibus, & antecedentibus, cum enumeratione & præteritione.

ATque si diligenter, quid Annibal potuerit, & quid effecerit, & qui Imperator fuerit, considerare volueritis, cunctis Ducibus, quibus cum populus Romanus bella gessit, hunc Ducem anteponetis. Quem Saguntini adolescentes, adhuc mœnibus fortissimis & altissimis cincti, clausis portis, non rudes in re militari, vt aliud nihil dicam, obsidentem vrbem propulsare non potuerunt. Quem legati à S. P. Q. R. missi acerrimè vehementissimeque obsidentem oppidum auctoritate senatus ab obsidionis contentione reuocare non potuerunt. Qui capto quidem oppido, & amicis populi Romani confectis, ad bellum Italiæ faciendum copias tanta celeritate conuertit, vt Alpes cum transiisset, & penetrasset in Italiam, Prouinciam totam & vrbem Romam incredibili terrore perturbauerit. Ad quod bellum maximis, & fortissimis imperatoribus ita populus Romanus incubuit, vt alij vrbem Romam, alij Italiam tuerentur, horum res in Italiâ calamitosa, & exitus ærumnosi curam Senatorum, & cunctorum terrorem ciuium auxerint? Marcelli verò res tot ac tantæ extiterunt, vt neque maius Imperatoris nomẽ, neque egregia facinora clariora commemorari potuerint, neq; maiore consilio, neque virtute facta. Nam cum totius belli impetus ad illas partes, quas tuendas susceperat, constitisset, cumque castra Marcelli Annibal totius Italiæ robur fore putauisset, quibus expugnatis, & captis tota facilè caperetur Italia; perfecta à Marcello sunt hæc omnia, vt Italiæ florentissimas potentissimasque ciuitates acriter ac vehementer defenderet, vt impetus Annibalis fortitudine & constantia Marcelli retardarentur. Quid Marcelli leuiora prælia, quid vigilias & excubias, quid conflictum frequentem & acerrimum tanta spe & animo Annibalis vincendi commemorem, cùm ille primus Romanorum animos ad præliandum contra Annibalem erexisse, primus attulisse spem videretur ab Italia omnium hostis acerrimi propulsandi? Mitto prælia Annibalis, prætereo ad lacum Thrasimenum occisa Romanorum infinita millia, taceo Cannẽsem pugnam tanto populi Romani damno, & Equestris, & Patricij ordinis sanguine profuso constantem. Sileo accessum Annibalis

balis ad vrbem Romam, hastamque muros præteruolantem, tanto Romanorum mœnibus ipsis, atque adeo intra mœnia contentorum inaudito terrore. Notum est, quemadmodum Titum Sempronium Consulem apud Rubiam profligauerit, Flaminium fuderit ad Thrasimenum lacum. Quid commemorem ope Fabij Maximi, consilio & prudentia tanti Imperatoris copias Annibalis fractas, furibundam Ducis Carthaginensis mentem compressam? At quemadmodum rursus collectis viribus, instaurato exercitu Annibal fregerit copias Romanorum Cannensi bello, cuius victoria prouerbio satis trito ac peruulgato calamitatem Romanam posteris tradidit, non recordari videmini; non item interfectos prostratosque equites, non iacentium cadauerum Romanorum aceruos, non stragem ad quadraginta millia peditum, & ad duo millia supra septingentos equites editam; Non tres amplius modios annulorum Carthaginem missos, non trepidam, trementemque Romam vniuersam, non omnes delinquenda ciuitate cogitantes & agentes. Soluit tandem obsidionem Annibal, castra mouere coactus est, & ad patriam a Scipione vehementer oppressam suis viribus defendendam, accelerare. Expulsus patria, regnoque suo, tantum tamen consilio atque auctoritate valuit, vt se ad Regem Antiochum conferens, nouis viribus, & copiis exercitum, & bellum redintegrauerit, sed vterque victus fuit. Cum tamen à Rege peteretur Annibal, ad Bythiniæ Regem in summa rerum desperatione se contulit: si bellum hoc magnum, si graue, & periculosum non esset, si hostis non formidandus, non omnium fortissimus & acerrimus, neque tanta cura studioque Senatus, & P.R. bellum suscipiendum curasset, neque tot annos contendisset dubio semper & ancipiti marte, neque claros, & magnos delegisset Imperatores, neque illorum, qui cum Annibale congressi fuerunt, adeò memorabilis fuisset, & glorioſa prædicatio. Cuius belli ex omnibus pugnis, quæ sunt innumerabiles, vel acerrima cunctis videtur illa, quæ fuit cum Scipione commissa, summaque contentione pugnata. Qua ex pugna, cùm se ille, vt prædixi, eripuisset, & primùm ad Antiochum, deinde ad Bythiniæ Regem confugisset, etiam in extrema fortuna, fugaque nomen retinuit Imperatorum. Itaque Annibal Carthagine capta, & regni sui finibus, & oris omnibus expulsus, tantum vita nocere videbatur, vt cùm omnia, quæ Annibal terruerat, amiusset, tamen non antè Scipio conquieuerit, neque bellum confectum putauerit, quàm

confectum

confectum iam & hac luce vitali priuatum certò sciuerit. Hunc Romani hostem, maximum omnium iudicauerunt: quo cum per tot annos, tot præliis acerrimis & periculosissimis, tanta Romani Imperij clade tot Imperatores bella gesserunt, & ab eodem superati necatiq; fuerunt. Qui ab Italia ad patriæ defensionem reuocatus, castra mouere coactus est, cum Italia, vrbsque Roma respirare potuerunt aliquando tot annos bellorum acerbitate vexatæ, morte autem Annibalis bella confecta facilè sibi persuasit S.P.Q.R.

Septima exercitatio, ex consequentibus in fine, & antecedentibus, per expolitionem cum contentione.

QVid igitur ait peccator, si carni semper bellum inferendum est, vnum esse hominem miserum & ærumnosum, cui omnia turbulenta sint, nulla quies, nulla tranquillitas per omne suæ vitæ tempus. Nonne illi ipsi Christianæ perfectionis amantes multa pro debilitate carnis, & imbecillitate naturæ humanæ ad statum hominis conseruandum eidem homini tribuũt? Primùm quæ parentes illi sanctitatis dicunt, naturæ ipsius legibus, & virtutis finibus metiũtur, non vagos & errantes homines, nõ solutos & perditos volunt. Qui enim per Deum immortalem, si plus apud hominem fragilitas carnis deterrimæ, quàm ipsius animi salus, & vera causa valuisset, hodie tantum Christianæ gentis florem, tantam castitatis integritatem, tanta tamque illustria virginitatis ornamenta tenuissemus? An tibi florens status videretur, cùm ante Christianæ Religionis vagientia cunabula carnis blanditiæ, delitiæque non respuerentur fœcunditate doctrinæ, & conflictatione surgentium cupiditatum acerrima? Cùm ex omnibus corporis sensibus omnem iucunditatem & voluptatem habebat caro, cum nullâ neque publicâ, neque priuatâ libidine turpissimi sectatores carnis abstinebant? Cum ita patebant laxis habenis corpori omnia blandimẽta, lenocinia q; carnis, vt nullam neque mediocrem, neque maiorem Venerem libidinosi respuerent, omnibus se corporis illecebris, nequissimisq; voluptatibus, instar pecudum intemperantissimarũ, dedentes? Etenim quæ secta quondã fuit, nõ dico Peripateticorũ, quæ satis latè quondam florere dicebatur; non Pythagoreorũ, qui permultum præcepto, & disciplina seueriore valuisse laudabantur

dabantur; non Platonicorum, quorum vsque ad Romanam ætatem disciplina Philosophica, & gloria celebris & prædicanda remansit, quæ secta, inquam, tam debilis, & infirma fuit, quæ dogmata sua atq; opiniones præceptionum, non aliqua specie castitatis tueretur? At etiam quæ speciem habere videbantur libidinis, qui politi fuissent & elegantes, ea ab hominum oculis remouere suadebant. Romani Floram perditam ac profligatam mulierem leænæ figura occultare voluerunt, simulatione Deæ Campestris. Atque aliqui peruersi homines, vt ad suas libidines fenestram omnem patefaciant, carnis infirmitatem afferrent? Quid ergo, si quæratis boni viri, quid principes sanctitatis fragilitati carnis concedunt? dicam breuiter. Aliquot honesta requietis interualla, vacationem per breue tempus à labore, & intermissionem nonnunquam exiguam, vt maiore postea contentione redeant vsitata pensa. Ita quidem, vt nunquam è memoriâ excidat Deus ipse, ratio officij; ita vt ex his, quæ agunt, quæ cogitant, quæ loquuntur, fructus capiant animorum, & facta, dicta, cogitata in Dei immortalis gloriam conferre meminerint.

Octaua exercitatio ex consequentibus cum comparatione, & fine multiplici in Iudæ odium.

HInc illa solicitudo, in qua fuisti, loci & opportunitatis quærendæ, vt Dominum ac Præceptorem tuum traderes: Hinc itiones, ac reditiones tuæ, ad conuenientes Principes veteris legis: Hinc defectio nefaria solicitantis & concitantis perditum Iudæorum gregem in sui Creatoris exitium: Hinc impudens accessus ad Dominum osculi simulatione prodentis Agnum mitissimum, vt ad illum comprehendendum satellites quàm tumultuosissimè aggrederentur: Hinc denique comprehensio tanto probro, dedecoreque Iesu Christi Præceptoris insontis, iniuriæ, contumeliæ, flagella, spinæ, mors denique acerbissima, quæ te flagrante face malorum omnium in Assertoris caput redundarunt, profecta. Nisi verò te extra culpam magnam ponas, & crimen in Iudæos conferas, scelerum tantorũ perfectores: at tu inceptor mala hæc struxisti, tu princeps & auctor cohorti sceleratæ præiuisti, vt quãquam illi perfecerint, tu tamen facem prætuleris, & ad necem omnium crudelissimus & teterrimus Iudæorum, auctorem innocentiæ totius

totius & sanctitatis dederis. Quid dicam amplius.

Nona exercitatio ex consequentibus cum similitudine per descriptionem.

VIdeor mihi videre vrbem hanc Hispalim, caput prouinciæ Bethicæ, Reginam Hispaniarum, emporium cunctarum gentium vno pestilentiæ ardore deflagrantem. Cerno dolens animo funeribus redundantem patriam, miseras atq; lugendas mortes ciuium plurimorum. Versantur mihi ante oculos baiuli pallido vestitu amicti, deportantes gestatoriis in sellis pestilentiæ contagione infectos in xenodochia. Cum verò auribus accipio cymbalorum pulsus vbiq; sensus omnes, & animum percellentium, tum vacuitatem ædium, solitudinem vrbis, fugam potentum, metum omnibus iniectum, imminutionem familiarium, orbitatem omnis generis & ordinis, atq; stragis edendæ mortem adhuc finem non facientem; cum hæc, inquam accipio, misera quidem, atque miseranda nimis forte videntur, sed tamen ad mortem obeundam alacritate debemus esse mirabili. Vt enim iussu Imperatoris boni milites nullum mortis periculum recusant, & mortem alacres & erecti, fortitudinis maiorum memores, oppetunt, & nos ad Dei optimi atque maximi voluntatem animos conformantes nostros gladios pestilentiæ, flammasque flagrantes, prompti paratissimique subibimus.

Decima exercitatio ex consequentibus, cum dissimilitudine.

ET enim si gymnasia perturbare omnia, & rem literariam permiscere volumus, totam Academiam periculosam infestãque redderemus: si nullam quietem volumus præceptores habere, languere omnes in literarum studiis, artes facultatesque cunctas iacere, nullam auctoritatem obtinere sanctiones institutaq; conditorum; perturbatores in Academia contineamus, non excludamus seditiosos, noctes dies que permittamus, cum armis, cum sicis intra gymnasia nostra versari. Vno verbo audito, vel facto, hisce scholasticis, non ad animorum voluntatem in solitudine, in celebritate, in peristyliis Academiæ, ipsis in gymnasiis, inter domesticorum subsellia, ante præceptorum oculos contentiones erunt turbæque periculosissimæ, atque adeò grauissimæ sæpe, lætaliaque vulnera inferentur, cædes nonnunquã maximæ indignissimæq; fient. Ipsi conditores, quibus otium, quib. quies necessaria semper visa fuit, à scholasticis gladios, &

ſicas omni loco, ac tempore remouerunt: iidem comprehendi huiuſmodi adoleſcentes, & in cuſtodiam conici voluerunt, atque ita in vinculis mandandos compedibus, manicisq; ferreis conſtringendos premendosque decreuerunt, vt iſti turbulenti adoleſcentes, rei literariæ, ſtudiiſque nocere nihil poſſent.

Vndecima exercitatio ex conſequentibus effectis addita comparatione, cum articulis & ſinonymia.

HÆc ſi diligentia noſtris in gymnaſiis ad literas percipiendas adhiberetur, ſi virtus, ſi gloria diuini numinis quæreretur, proferrem in Rhetoricis ſcholaſticos inſignes, oſtenderem in poëſi Poetas admirabiles, numerarem in vtroque genere ſummos & ſingulares alumnos, haberemus ſuas ſtatis diebus ligatas & ſolutas orationes, Rhetores ſuſciperent actiones omnes virtutis & honeſtatis, ſummâ corporum & animorum contentione. Illa denique conſequeretur bene conſtitutæ præclareque florentis Academiæ ſpecies, qualem nec præclariorẽ, nec illuſtriorem vidiſſemus vnquam. Hæc ergo dicerem hoc tempore, ſi tanta literarum & virtutis lumina noſtrorum oculorum, & animorum aciem ſuo ſplendore perſtringerent. Nolite hæc quæſo mirari, vnâ ſtimulos & calcaria pectoribus Rhetorum non admouente diligentiâ, quâ abſente omnia literarum ſtudia iacere, neceſſarium eſt.

Duodecima exercitatio ex conſequentibus per ſermocinationem.

ETenim ſic ratiocinabantur, ſic literarum alumni plurimi inter ſe & cum competitoribus loquebantur: apertè iam, & perſpicuè paucas huiuſmodi fore literarias contentiones. Qui nunquam ſe in mediis oratoribus conſtitutum putabat, is poſteaquam neſcio quos adhibuit deprecatores, & allegauit homines ciuitatis potentiſſimos, in primis conſtitit. Quid igitur? quid omnes competitores? quid iſte vir bonus? Omnes eloquentiæ ſtudioſi, qui de ſoluta, de ligata oratione iudicium facere poterant, quod palam dictitabunt, & ſibi perſuaſerint nihilne id valebit? nihil ipſo Rhetorum Senatu diſſeminante contrarium? Quid ipſe euentus? non orationes? non carmina? non ſermones omnis generis Doctorum conſequuti locum habebunt? non quæ vulgo iactabantur, fruſtra pro valuis templorum, pro gymnaſij foribus affigendum, qui veniret

ad

ad concertationem futurum neminem? Nonne omnium hæc voces fuerunt? Verè loquar, Auditores, vehementer res hæc me commouebat: optimus enim quisq; competitor ita loquebatur. Et iste quidem præmium bonis oratoribus eripiet; sed non habebimus iterum literarias contentiones quod excitet. Etenim quis poterit hoc victore declarato ad contentionem animum adducere?

Vltima exercitatio ex consequentibus, cum præoccupatione, & sermocinatione.

QVid igitur rei desideraretur, quod ab illo abesset? Quid consilij, quod non inesset in Licentiato? quid animi, quod non esset ad resistendum sceleratis? Non dicam multa de Prætore tanto: fac non tam literatum tibi videri, quam reuera fuerit. Quid illa tot Regiæ Maiestatis consilia? quid ordines omnes? quid Rex ipse? quid denique Proceres totius Regni? Non omnes delatam Præfecturam commendarunt? non literati gratulati fuerunt, aut per se, aut per nuntios, aut per literas, quibus hominis conueniendi potestas non fuerat? Cur omnes Auditores Regij consentientes potius Prætorem delegerunt, quàm aut præterierunt, aut vllam leuiorem causam demandarunt? An hoc timebant, si hoc cum illo summo & æquissimo iure fieret, vt possent à se Magnates aliquot alienare? scilicet ij homines sunt Consiliarij, qui Regem, & ius non spectarent potius, quàm alienationem aliquorum: Qui si fuerunt huic Licentiato amici, id propterea fuerunt, & sunt, quòd decus & lumen Iurisperitiæ vident, neque illum causam vllam, cuius patrocinium susceperit, amisisse, iam inde ab illo tempore, cum Aduocatum in graues & desperatas causas venisse viderint, & audierint. Hi sermones iactabantur, hæc vulgò audiebantur, & ad aures perueniebant Regias: non Præfectura, sed consilio Regio Licentiatum huiusmodi dignum fuisse: respiraturos in posterum reliquos Aulæ Regiæ Aduocatos: plus occupationum, plus cauſarum habituros esse maioresq; facturos deinde quæstus, qui litigatores, non iam obstante, neq; causas præripiente Licentiato huiusmodi, patrocinium pollicebuntur, & suscipient, & in litem omnium necessariò iam Aduocati venient.

ALIÆ

ALIÆ FORMÆ AMPLIFICANDI.

Accedunt aliæ formæ amplificandi ex adiunctis petendæ, quæ non parum splendoris orationibus afferent. Quibus accedunt antecedentium & consequentium amplificationes.

Sermocinatio ex adiunctis de Herode in pueros Innocentes.

Dic nunc Herodes, non à te coactos fuisse peritos veteris Legis: coëgisti tamen: Dic non te detulisse Regum aduentum: at tamen detulisti. Dic non egisse pluribus verbis cum Principibus de Messiæ promisso expectatoque aduentu: respondebis egi. Dic non respondisse constanter omnes, protulisseque diuinorum responsa vatum: responderunt tamen, & confirmarunt. Dic non dimisso cœtu satellites in vnum locum à te conuocatos fuisse, & eosdem armatos in puerorum insontium perniciem exitiumque: at conuocati à te fuerunt, & armati. Non ij tuo iussu, tuis facibus succensi, conuolarunt statim, & in populos, & in oppidula districtis gladijs irruentes, suos mucrones fulgentes pueris Innocentibus in pectora crudeliter infixerunt? fecerunt equidem. Quare igitur tantæ crudelitatis auctor fuisti, dicas mihi? quia puer erat natus? quia infans id temporis exierat in lucem? quia fidem datam liberandi generis hominum tuorum è crudeli seruitute Dæmonis præstitum venerat, gratiam hanc referes? Qui tam agrestes & barbari, qui tam inhumani fuerunt & efferi, hac naturâ, tuisque istis moribus? qui pro bono malum, pro salute pestem vltimam auctori salutis suæ impiè ac furenter comparare cogitauerint, tantum abest, vt quod tu fecisti, facere constituerint?

Altera sermocinatio ex antecedentibus & consequentibus, cum comparatione.

QVi Reges clarissimi Christi IESV inuisendi causa, relictis imperiorum suorum gubernaculis, tot populos & vrbes continuis itineribus præterierant, quò properabant, tandem Hierosolymas accesserunt. Atque videte trium Regum ingressum in ciuitatem. Cùm stellulam ex aspectu suo amisissent, post deliberationem habitam adeunt Herodem; & illi Reges Regem de Rege Solymorum nato, Rex Herodes de rebus mul-

tis Reges percontatus est. Hic tandem per officij simulationem, per summam fraudem Reges dimisit, & supplicans humiliter, vt post cultum Regem, quem quæsitum venerant, ad illum reuerterentur, quòd in animo sibi esset, quæ illi fecissent, debita religione facere. Accersere deinde Herodes peritos legis, colloqui cum illis, multa de Regum aduentu dicere, percontari ex illis tempus à Vatibus Messiæ aduẽtui præstitutum: illi respondere, quæ nollet Herodes audire, venisse iam & ex prædictionibus Vatum diuinorum, illud esse præsens, quod aderat, quod videbat Rex. Progredi longius Herodes, vt ab illis locum percontaretur. Quæ postquam omnia explicuerunt, Herodes dimittit illos, & quæ scimus conuocatis militibus verba fecit iratus admodum, quod deludi seipsum à Regibus ægrè passus fuerat. Iam equidem ereptum sibi putabat imperium, & ablata Regni gubernacula, succedere etiam Regem, qui suæ potentiæ viribus, suâ fortitudine & inuictâ manu, de sede Regiâ præcipitem deturbaret. Quis vnquam Rex ex tyrannis veteribus tantam exercuit crudelitatem adipiscendæ, vel retinendæ Regiæ dignitatis causa, quantam hic in pueros, infantes vagientes adhuc in cunis, & vberibus maternis inhiantes adhibuit? omnes qui crudelitate sanguinis perciti fuerunt, à pueris, ab infantibus manus abstinuerunt, iniecerunt autem illis, à quibus vel violati fuerant, vel coëgerunt exercitus in ipsos omni copiarum genere abundantes.

Dialogismus ex fine cum antecedentibus, & comparatione cum dissimilitudine.

TEmpora fuerunt in Gallia misera satis & calamitosa, cùm Arrianorum hæresis læta nimium & alacris cum animorum pernicie multorum exultabat in vrbibus ac populis aliæ ditioni subiectis. Aliquot pòst annis repressa fuit hæresis Arrianorum, & paulatim extincta: At Hilarius repressit exultantem ferocitatem, & faces ad Regnorum incendium subiectas extinxit: ablata est enim liberè bacchandi Arrianorum facultas tanto tamque vigilanti Pastore. At Imperatores Arrio fauebant: propterea magis diuina Pastoris virtus visa fuit, & splenduit in tantis nubibus & cæcis tenebris excellẽtius. At infectati fuerunt Hilarium Pontificem Arriani, atq; in horum perferundis iniurijs constantia Pastoris lucem prætulit semper clarissimam

mam: constantiam dico? cœlestem virtutem melius possem dicere. Qua in dimicatione etiam atque etiam facite, recordemini, quæ fuerint contumeliæ, quæ vis, quod periculum: ab exilio reductus, & in Pontificiam sedem restitutus fuit? scio equidem. Et quid aliud? recordamini hanc sedem administratam per aliquot annos magno Galliarum commodo, profligatis & deletis penitus Arrij nefarijs erroribus, & in suum veterem statum reuocatas reductasque Gallias. Ibi patres, illo in regno, in Pontificia dignitate collocato, & Pontificiæ Sedis honore officioque Præsidis præcellentissimi fungente, cum essent plenæ Galliæ hostium Fidei, cum plenæ hæreseos, cùm plenæ teterrimorum Arrianorum, Religionem Christianam veterem suum statum recuperasse, legere potuistis. Itaque quod Læander in Bethica fecit diuina sua virtute, id Hilarium in Gallijs fecisse legimus & audiuimus. Læander pestem Arrianorum depulit ex Bethica; Hilarius ex omnibus Galliarum finibus. Læander Leouigildi Regis conatus & furorem fregit; Hilarius Constantium furentem & inflammatum, sua sanctitate continuit. Læander in exilium electus, per literas, per bonos viros, per administros agere nunquam destitit de radice tanti mali stirpitus extrahenda; Hilarius, dum in exilio fuit, eiusdem generis ac seminis Arrianorum ex Galliarum sedibus extirpandi, ac funditus tollendi causas omnes & occasiones quæsiuit. Denique Læander in antiquam dignitatem restitutus, quanquam serò, tandem tamen aliquando in ipsis extremi spiritus angustijs ad veritatem agnoscendam Leouigildum compulit; quanquam Rex ipse ad dolorem omnino capiendum, & ad execrandum detestandumque Arrianorum errorem, & ad profitendam, recipiendamque Christianam Religionem Magistratum suorum metu, vel quod credibile fuit, ad motum omnem sensumque inueterata peccandi consuetudine obduruerat: Hilarius quæ literis suis, quæ consilij magnitudine, quæ summa sanctitate, quæ vi præstantiaque miraculorum, quæ laboribus & periculis capitis Constantium facere coëgerit, arbitror satis Annalium peritos meminisse.

* *
*

Prosopopeia in laudem B. Pauli, primi solitudinis incolæ & habitatoris.

SI B. ille Paulus, incola & habitator solitudinis, suis insulis & insignibus ornatus, immortalis gloriæ splendore circunfusus, in hæc terratum sola veniret, & in hanc mediam auditorum coronam prodiret: quid aliud de solitudine dicturus esset, nisi quod continet laudes huiusce vitę mirabiles, & singularia commoda, vt nos ad huiusce vitæ rationem intelligendã, & ad eiusdem emolumenta penitus animis & mentibus percipienda mirum in modum excitaremur? Putamus vitam hanc plenam esse laboris, plenam difficultatis, horridam & asperam, immanem & efferam, quòd procul ab vrbium celebritate, ab hominum concursu sit degenda: sed erratis procul dubio, quicunq; hoc errore falso ducti fuistis adhuc. Quid enim Paulus diceret, si dono ac munere diuino nos de tantæ vitæ bonis, & egregijs laudibus doceret? An verò putatis quidquam in Christianæ vitæ cõsummatã sanctitate futurum, quod non huic integerrimæ sanctissimæque vitæ tribueret? vbi diceret, demissionis, patientiæ, castitatis, mansuetudinis, caritatis, afflictationum carnis, cum Deo familiaritatis maximæ, meditationis rerum diuinarum, laboris & contentionis corporum & animorum, cunctarum virtutum præstantissimarum exercitationes nunquam intermitti, suscipi verò summo & inflammato studio, constanti perpetuaque assiduitate videntur. Cum ita viri sanctissimi tempora partiantur, vt operas præstent, & vtantur corporis exercitationibus, animos iucundissimã diuinæ contemplationis dulcedine reficiant, colloquantur cum Assertore Iesu, cum illius integerrima Parente, Virgine Mariã, cum Beatorum ciuium legionibus celsissimis, lustrent mentibus viridaria Aulæ cœlestis amœnissima, vias illas auro purissimo stratas, plateas longè lateque patentes, gemmarum eximio & illustri splendore fulgentes peragrent, & altius ascendentes, cœtus & ordines clarissimos percurrant beatorum immortali gloriã circunfusos, in ipsius summi præpotentisque dominatoris oculis & ore cupientes acquiescere, vnde palatijs cœlestibus, cunctis Aulæ cœlestis Principibus, tantæ dignitatis claritas accedit infinita. Huiusce boni visendi causa, & deliciarum diuinarum suauitate perfusi sic nituntur, & elaborant, vt corpus laboribus frangant, afflictionibus belluam indomitam carnem comprimãt, cupiditates omnes coerceant & do-

& doment, inediâ, cilicio, verberatione, sensusque omnes rationi morigeros & obsequentes reddant. Nihil illos, addit B. Paulus, strepitus huiusce sæculi, nihil inanis ostentatio, nihil ementitus fucatusque nitor, nihil falsæ dignitatum vmbræ, nihil voluptatum illecebræ, nihil gaudia lætitiæque, nihil ludi, spectaculaque publica, nihil vestitus quotidiana mutatio, nihil sumptus immodici & effusi, nihil lauta splendidaque conuiuia, nihil postremò prauorum hominum exempla teterrima solitarios in agro vitam agentes Patres offendere valebunt, cùm absint procul ab vrbibus, in quibus hæc inuitamenta sunt, & incitamenta flagrantia propter concursum celebritatemque frequentem. Quos enim vestitus ament, qui vestitus contemptioris sunt appetentes? quas escas velint, qui pane tantùm duroque contenti sunt? quorum aliqui herbis etiam & radicibus ad summum vescuntur? quos honores appetant, qui de locis inferioribus certatim contendunt? quæ negotia agant, qui in cistellis & corbulis texendis occupantur? quas carnis illecebras excitabunt, qui pro domandâ carne spurcissimâ corpora supplicijs exquisitis excruciant & afflictant? quanti iactationem sæculi habebunt, qui nihil nisi Deum, nihil nisi sanctissimam huiusce Domini voluntatem colunt & obseruant? quos tumultus & turbulentos vrbium motus sentient, qui rure tanta corporum & animorum iucundissima tranquillitate perfruuntur? quas voluptates, quas iucunditates sectatorum sæculi capient, qui psallere, orare, res agere diuinas, & cogitare de Deo immortali, præcipuum semper & amplum duxerunt? In hac solitudine Moyses Deum familiariter alloquutus: in hac, inquit idem Hilarius, Moyses tabulas sanctissimæ legis accepit: Helias à Domino singularibus fuit affectus donis ac muneribus: Helisæus præceptorem suum sanctitatis magnitudine clarus & illustris æquauit: in hanc B. Ioannes ab ipsis pueritiæ cunabulis solitudinem concessit, vt se tanta tolerantia laborum, inedia, & carnis compressionibus compararet ad veritatis viam, & iter cœlorum, ad Assertoris Iesu aduentum generi Solymorum enuntiandum. Dauid etiam nihil magis cupiebat, quam dari sibi temporis aliquid ab Imperij negotijs liberum, quod diuinarum rerũ meditationi vacans, in solitudine iucundissimè sanctissimeq; poneret. Sed quid commemorandis exemplis immoror, cùm Vindex nostræ libertatis solitudinis vtilitatem & laudes maximas, quadraginta diebus in eadem positis, quasi præparatione quadam & longa prouisione prius, quam cruciatus, &

mortis fructus vberrimos caperet, sui diuini numinis præsentia consectauit, in illam se conferens, vt hostis nequissimi Dæmonis incursus & impetus exciperet, vt bellum gereret cum hac effera & immani bellua, vt victoriam deniq; glorioſam, retusis ac fractis telis, quæ teterrimus inimicus contorserat, honorificētissimè reportaret. Quod si de meis rebus (addit B. Hilarius) fateri volo, à puero me fuisse versatum in solitudine fatebor libentissimè; neque me pœnitet profectò, neque pœnitebit vnquam. Tuli fructus vberes ac præstantes meæ mansionis, meæ constantiæ, meorum laborum, vigiliarum, inediæ, afflictationum, reliquarumque vitæ perfectioris exercitationum, cum è viuis excedens, diuinarum Mentium, Vatum sanctissimorum, & Apostolorum ordinibus celsissimis, plausu multo splendoreque comitantibus in cœlestem aulam exultans ac triumphans ascendi. Nunc in quanta sim gloria, in quo honore positus, quibus immortalitatis præmijs affectus, ex claritatis magnitudine, ex dignitatibus clarissimis adeptis considerate: & in fornacem hanc, ad vasa Regis æterni mensa dignissima, quæ suo illustri semper eximioq; nitore splendebunt in perpetuum, politè perfecteq; fingenda; in cellam hanc & apothecam omnis generis bonorum cœlestium copijs refertissimam; in nundinas locupletes & copiosas, & omnibus cœlestis aulæ mercibus abundantes, in scalam illam Iacob præcelsam, per quam & homines in cœlorum sedes ascendunt, & diuini spiritus descendunt; in hæc terrarum sola, in viam lacteam, & totam auream, & immortalis vitæ delicias, & solidas voluptates deducentem, mentes vestras, animosque conuertite. Quòd si pallida videtis ora, vultusque Patrum solitudinis, si corpus inediâ, compressionibus carnis imbecillum & propè exhaustum, si tantam solitudinem, & inopiam formidatis, contemplamini animos diuinis virtutibus ornatos, & gloriæ cœlestis claritate fulgentes, & illam bonorum omnium affluentiam permansuram in perpetuum, frequentiam insuper, & cœtus Beatorum, & nihil erit infra Lunam, quod non incredibili semper alacritate contemnatis.

* *
*

Notatio

Notatio Maxentij in laudem B. Marcelli Martyris.

NOnne ipsum os, & animus in periculis ostensus, & alacritas & studium in gerendâ summi Pontificis dignitate declarabant vultum Marcelli Pontificis, quem Maxenti præstandis operibus stabularij addixeras, vt illius officij indignitate, sordibus & odore tetterrimo à sacrâ Religione deterreres? Multum habet indignitatis & offensionis stabularij sedes, sed illud Marcellus non recusabit; subibit omnem indignitatem & contumeliam, dummodo suis prodesse possit ouibus, & in loco versari fœtido, sordidoque tantopere, habere curam equorum, curare iumentorum multitudinem, non perhorrescere sordes & stercora, pascere suis temporibus, abluere, abstergere, purgare sæpe loca suis instrumentis visitatis, perpeti rerum & loci tantam fœditatem & indignitatem Marcello maximæ voluptati, studioque semper erit, dummodò suis laboribus & acerbitatibus salus Christianis, & sanctissimæ Fidei gloria patiatur. Quòd si partes Pontificis summi præstare, si sedere in sede celsissimâ, & Christi Iesu locum tenere tanta cum dignitate, si tueri dignitatem supremam Petri in illa augustissima celsissimaque maiestate nequeat, neque fungi muneribus tantæ sedis amplissimis valeat tantis affectus afflictusque difficultatibus; tamen nunquam amittet potestatem dignitatemque semel Ecclesiæ delatam. Tu verò Maxenti cum moueas dignitate Pontificem summum, cum in humilem sordidumque locum coniicias, cùm abiicias ac prosternas suam amplitudinem, magis excitatam & amplificatam videbis. Quid tantum sceleris moliris? quid dies & noctes admoues scelerum faces? quid ardentibus oculis, inflammato vultu, per te, per tuorum flagitiorum administros omnes machinas adhibes, quibus magis ac magis incendium excites, & nullam quietem capis, vt perdas virum omni sanctitate clarum, quem cum spoliatum, ac perditum magis ac magis putaueris, magis auctum & cumulatum bonis, veris ac solidis intelliges? Nam cum auram hanc vitalem ademeris, cœlestem & immortalem tuis fœdis ac flagitiosis factis viro sanctissimo gloriam comparabis. Ita mouisti tanta dignitate, vt verbo

quidem & re Pontifex appelletur ſummus: ita à ſupremo loco in humilem & ſordidum deieciſti, vt tantæ ſedis poteſtatem inſignibus ſpoliatus non amiſerit: Ita in equorum curam & officium humile conieciſti, vt animorum ſalutem & dignitatem clàm per adminiſtros procuret: Ita paſcit equos, & iumenta tua, vt animus diuinis gaudijs & voluptatibus paſcatur: ita contempſiſti illum & abieciſti, vt cultores veræ Religionis ſuum paſtorem recognoſcant & profiteantur: ita ſuis inſulis & inſignibus ſupremæ dignitatis Pontificiæ ſpoliaſti, vt principes Chriſtiani, Heroeſque clariſſimi parati ſint omnem eidem cultum, & honorem tribuere: ita poſtremò ſtabularium feciſti, vt ſummus Pontifex, vt Pater generis Chriſtianorum, Princeps Præſulum Eccleſiæ, Vicarius Chriſti IESV, aperiendæ, claudendæque ſedis cœlorum poteſtatem habeat ampliſſimum: Ita te poſtremò vindicas cædis indignitate delatæ, vt inter damnatos & additos inferorum pœnis breuiter numereris, Marcellus inter Heroas cœleſtes, inter Beatorum Principes domicilium ſibi celſiſſimum collocabit.

Mimeſis ex adiunctis in heluones compotoreſque.

TV mihi etiam abſtinentiæ, tu temperantiæ, tu virtutum harum ſtudioſiſſimorum hominum mentionem facis, qui nõ modo cibis omnibus te complere, ſed etiam poculis frequentiſſimis omnibus horis atque momentis obruere non deſiſtis? Nam hæc tua ſunt, quæ te hominem abſtinentem temperantemq; mirificè delectant. Adeſt puer, inclamas, veſcamur, potemuſq; ſemper: quæ non modò abſtinentiæ temperantiæ non ſunt, ſed nec Alcinoi, nec illius ſectatorum heluonum compotorumq; ſpurciſſimorum. Iſta ſunt abſtinentiæ tuę documenta, quæ tu homo temperans & abſtinens frequentiſſimè das: Ventrem infarcite, complete vos eſcis omnibus, & pocula frequentate dies noctesque: Quæ verba, Auditores, ab Epicureorum & Lapitharum temporibus, in omnibus populis, non modò tenebris vetuſtatis, ſed luce veritatis oppreſſa ſunt.

* * *

Pathopeiæ

Pathopœia de Beatorum Martyrum lætitia.

GAudere igitur ac lætari Polycarpus Beatissimus, cùm audiret ab inimicis insidias sibi parari, cùm vitam & sanguinem clam & palam appeti, cùm fluctus in se passim hostili inuidia deflagrante commoueri videret, nihil ille magis appetere, nulla quidem ex re maiorem capere voluptatem, atque ipsis oculis & ore ferre lætitiam. Atque cùm affingere multa cognosceret aduersarios, quò facerent eam, quam minabantur, mortem acerbiorem, magisque formidandam, minime continere inclusam animo voluptatem, expectare singulos dies mortem, & vt hostes afferrent, orare Deum immortalem gaudens gestiensq; non desinebat. Quid cùm Smyrnæ præsidente Proconsule, & fremente furenteque multitudine mortis damnatur, & flammis ardentibus addicitur, quid illo lætius esse poterat? cùm in rogum accensum conijcitur, vix apud se esse poterat præ tanto, tamque cœlesti beneficio. Quanta vero lætitia B. Vincentium affecerunt exquisita suppliciorum genera, quibus tanta cum immanitate cruciabatur? Alacer & lætus erat, cùm in equuleo torquebatur, cùm cædebatur virgis, cùm erat nudus in carcere fragmentis strato testaceis, cùm testarum aculeis vehementer pungebatur, vulnerabaturque infixis & inhærentibus in carne. Augebat incredibiliter lætitiam splendor ille cœlestis, cuius alacritate carcer illustrabatur medijs in tenebris: & in cæca profundaque noctis caligine, cernebantur iam lætissimi vberrimique fructus cruciatuum, cùm Dacianus Vincentium non via iam peruulgata hostium, non minis ac terroribus, non suppliciorum acerbitate, sed bonitate verborum, mollitia culcitræ Militensi rosa infartæ, delitijs & blanditijs carnis à fide Christiana dimouere conaretur. Sed has Martyr inclitus detestari voluptates, iucunditatesque corporis incredibili lætitia perfusus, cruciatus omnes appetere, constanter & enixè deposcere, nihil ille mihi magis lætum clamare, quàm pro Religione cruciatus omnes subire, in craticulam imponi, prunis ardentibus subiectis comburi, ferreis vnguibus excarnificari, laminis torqueri candentibus, gaudium adferunt effusum, & plane gestientem mihi lætitiam. Declarant sic Christi Iesu Martyres inuictissimi, quibus fuerint illi lætitijs elati, quibus voluptatibus exultauerint, quanta alacritate corporis & animi subsilierint,

cùm voluptates omnes, cùm iucunditates carnis, cùm honores & dignitates oblatas, cùm rerum omnium affluentiam lætè nimis atq; iucunde contempserunt, vt Christi Religionem morte sua testatam posteritati relinquerent. His nos gaudijs & lætitijs non excitabimur ad veras & solidàs Beatorum voluptates, nullo vnquam tempore perituras, cœlesti semper suauitate percipiendas? Ferus equidem & immanis est, & prorsus suæ salutis oblitus, nihil de Beatorum gloria cogitans, qui præsentibus sanctorum Martyrum exemplis ad veros lætitiæ solidæ fructus capiendos non exardescet.

In Beata Agnete, Barbara, Catharina, Affectus spei.

QVis spem in Deo Optimo, Maximo non habeat, & in Christi Iesu meritis immortalibus, quo um beneficio nullam defectionem animi metuit Agnes? Mihi certè spem fecit maximam, & afferre debet cuicunque generi Christianorum hæc Virgo sanctissima, quæ puella quidem, & vix tres & decem annos nata, non animo cecidit tantis ignominijs & supplicijs affecta. Sperare Præfecti filius non destitit, nobilitate generis, copijs bonorum omnium, dignitate potestateque patris se consequuturum esse, quod optaret: Agnes spei plus habebat, quàm dici posset, nullis se præmijs, neque minis, neque terroribus, neque supplicijs exquisitis, à susceptâ causâ propositoque consilio abducendam esse. Minatur Præfectus in prostigatarum mulierum, (quæ corporis copiâ quæstum faciunt) ædem infamem & plenam dedecoris & turpitudinis deferendam, & inferendam contra voluntatem, vt inuita, & à virorum impuritatibus abhorrens, cunctorum prostituatur libidini, quæ spe in Christo Iesu posita corpus libidinibus istiusmodi, & infamia turbissima liberabat. An illa virginem spes frustrata fuit? non fefellit profecto: ecce cùm in turpitudinis & impuritatis locum deferretur, & detruderetur Agnes, cœlestis claritatis splendore teguntur & occuluntur partes corporis nudatæ, ne deformium corporis partium aspectu oculi castorum offenderentur: nec improbi ac turpes ad libidinum & impuritatum suarum ascensum excitarẽtur. Intrudunt igitur virginem, & relinquunt in turpitudinis officina satellites Veneris execrãdæ. Effertur ipse filius Præfecti, eadem spe efferri multi adolescentes libidinosi videntur, virginis pulchritudine turpiter & impurè potiundi.

Sed

Sed adest Deus ipse, qui diuinis iam miraculis potẽtiam & præsentiam sui numinis declarauerat, alacritatem Virgini iniecerat, in eadem ẽde, seminarioq; libidinũ, & impuritatum omniũ, defendendæ spem attulerat, & conseruandæ virginitatis. Editur statim miraculum, quo plena animi, plena spei nullam subijt ignominiam, neq; turpitudinem Agnes: claritate diuini luminis non virgo solum, sed cubiculum, in quod homines nefarij tantam coniecerant & incluserant puellam cœlestem, circunfunditur. Perstat filius Perfecti facibus libidinis accensus, & ad virginem pergit proprius accedere, in omnem turpitudinis intemperantiam effusus: sed orare pergit Agnes, nec spes fallaces, nec cogitationes inanes, non frustra suscepta causa. Repente filius ille Veneris & Princeps impuritatis concidit mortuus: quem vbi iacentem humi viderunt socij, comitesque reliqui, & maximi satellites Præfecti, fremere cuncti ac furere incipiunt, vociferari, veneficijs & magicis artibus Agnetis confectum esse filium Præfecti. De cuius morte cum domum patris repentinus & acerbus venisset nuntius, quid putatis illum patris amore, filij suauitate commotum, perculsum mortis nuntiatæ dolore grauissimo fecisse, qui vno tempore, tanta calamitate, cunctorum vociferationibus, domesticorum luctu, vxoris eiulatu grauius ac vehementius percelleretur? Ipsa quidem Agnes agere gratias immortali Deo, dicere, ac repetere sæpe ac sæpius non frustra spem in Christo Iesu se collocasse, neque collocaturam esse deinde frustra, iterare & ingeminare sæpissime, non inaniter positurum illum esse suas spes, qui diuini numinis opem imploraret, atque hæc quàm gaudens ac læta confirmabat? Venire interim pater, venire alij: & propterea pater comitatus satellitum præeuntium & consequentiũ multitudine ministrorum, confectus mœrore, ac luctu perditus: sed cum virginis precibus à mortuis excitaretur adolescens, & detestaretur superstitionem idolorum, & profiteretur veritatem Christianæ Religionis, inflammati furoribus inferorum execrandis Pontifices idololatriæ, neque desistere, quoad perniciem ac pestem vltimam Agneti machinatentur. Sed sperate fœlicem exitum Agnes, & principijs ac progressionibus similem finem. Magna, inquit, me spes tenet bene mihi euenire, quod ad tui honoris, tuæ gloriæ propagandæ causa mittar ad mortem: Spes me etiam tenet fore, vt neque impiorum consilia plus valeant, quàm nostra, neque imbecillitas ætatis desinat grauitatem acerbitatemque suppliciorum sustinere. Vis flammas subeam? subibo

subibo libenter. Vis iugulum dedam carnifici? dedam fortissimè. Vis quamcunque mortem oppetam? adibo iucundissimè. Spes omnis est in te, in te omnis mea spes posita: tu fer opem, qui spem tot editis adhuc miraculis dedisti, Christi Iesu mearum rerum præsidium & anchora tutissima. Quid deinde? flammarum disiunctione & amandatione longissima ab Agnetis corpore præsens Domini præsidium declaratur, quo adiuta insigni statim virtutis magnitudine prædita sanctissima Agnes caput obijcit securi carnificis, & ad Virginis decus lauream Martyris adiunxit. Puella fuit Agnes & corporis imbecillitate, ætatis teneritudine, communi mulierum conditione; sed animi magnitudine diuina virtute freta, difficultates omnes superans, in cœlum laurea duplici decorata penetrauit. Cùm hanc Virginem mente complexus fueris, complectere etiam Catharinam regali sanguine procreatam, mulierem tamen, & geminâ Virginis & Martyris laurea cumulatam. Complectere denique cum alias virgines, tum B. Barbaram patri fortiter & tyranno resistentem, & à spe, quam in Deo rerum suarum vnico perfugio posuerat, victoriæ deportatæ cœlestisque gloriæ consequutæ decus immortale profectum fuisse procul dubio inueniemus.

Affectus ad pudorem.

HOs ego adolescentes meis oculis intuear, & æquo animo videam, quos turpitudinis infamiæque suæ neque pudeat, neque tædeat? Nihilne vos sermones multorum, nihil inustæ nomini vestro maculæ, nihil generi offusæ tenebræ, nihil occlusus ad honores aditus, nihil mortalium vultus oraque commouere potuerunt? si sensum vllum humanitatis habetis, si participes rationis estis, quæ vobis impendent mala, quæ ruina familiæ vestræ, qui casus grauissimi vos maneant, & exitus exitiales vitæ cum probro tanto dedecoreque amittendæ considerate: aut expellendi virgis è ciuitate, vel scelus in patibulo luendum est. Vestrorum affines culpæ scelerum laqueo suspensi pendent adhuc: Pudeat vos tantæ turpitudinis, pudeat infamiæ, & antequam in Iudicum manus incidatis, ab his flagitijs abstinete. Sæpe vidimus fractos pudore, qui nulla alia ratione vincerentur; in quo homine nihil pudoris est, hunc in desperatorum flagitiosos greges referimus: de quo desperarunt boni, in hoc nulla necesse est significatio pudoris appareat. Si veteres pudoris laude maxime commendatos suos homines voluerunt, omniaque

omniaque ea, aliquos pudenter viuendo consequutos esse legimus, quæ alij flagitiosi impudenter agendo semper amiserunt, cur pudèret facere vos omnia non studebit.s? Multi pueri quondam & adolescentes, quia boni, quia pudentes fuerunt, in quibus nihil apparebat nisi ingenuum, nihil nisi moderatum, nihil nisi pudens, nihi nisi pudicum, omni laude celebrati fuerunt: qui scelerati fuerunt, si prius fuerunt in aliquo honore & gloria, tamen impudentiæ pudentes exitus quærere conabantur, ne tanta apud omne genus hominum infamia laborarent. Redite igitur ad vos, & nolite ita pudoris fines sæpe transilire, vt cùm bene & nauiter impudentes vos & haberi & dici necesse sit, tum viuatis omnibus dedecoris & infamiæ maculis notatissimi.

Alterum exemplum ad pudorem.

QVem non pudeat superbiæ suæ? quem non inconsideratæ temeritatis? qui cùm suis nefarijs flagitijs ac scelerib. execrandis diuinam maiestatem violauerit, velit bonus & integer, & ab omni macula liber videri? An verò te elationis intolerandæ non pudeat, qui cùm scelerum ac flagitiorum sordibus plurimis fueris inquinatus, tot libidinis & auaritiæ maculis aspersus, non motus comprimendos, & omni ratione coercendas cupiditates curas? Iesus tener ac delicatus, octauo die à suis natalitijs, nulla minima labe infectus, quippe qui filius Patris æterni, splendor & imago tantæ Maiestatis, ipsa fuit virtus & absoluta sanctimonia, neque suscipere scelus vllum poterat, sanguinem suum profudit, & vagiens ac plorans, præ doloris magnitudine, præ cruciatus acerbissimo sensu, carnem abscindi sibi tenellam passus est, & signum Circumcisionis, quo Iudæi à cæteris gentibus internoscebantur, in corpore sanctissimo impressum & inustum relinqui. Ipsis Filij exemplum sequuta Virgo Maria, non quadraginta dies post editum in lucem tantum Dominum in templum venit? non Filium æterno Patri deuouit, cum donis ac muneribus, quæ præcipua fuerunt semper inopum & extrema prope mendicitate laborantium? Cum lege soluta fuisset, cùm Filium interuentu Spiritus diuini concepisset, cùm salua integritate peperisset, cùm denique his de causis nullo præcepto fuisset legis astricta, puduit Virginem tantam, puduit Reginam cœlestis Aulæ, templi limina adire, in conspectum venire sacerdotis, emblema diuinum dedere Simeoni, diuinæque deuouere Patris æterni celsitati? O temeritatem hominum

minum modo viuentium intolerandam! O impudentiam nostram minimè ferendam! Nos cùm nefariè quotidie astringamur flagitijs, cùm in omni libidinum impuritate, tanquã spurcissimæ sues in cœno, fæditatem odoris amantes, dies noctesq; volutemur, cùm sceleratis sceleribus singulis horis atque momentis, cumulemus & adaugeamus, cùm denique necesse habeamus execrari pestem hanc, & perniciem animorum, cum pudere oporteat, ac tædere vitiorum, cùm debeamus omni sensu, dolore, lacrymis testari malum nostrum, & supplices & abiecti ad Confessarij pedes, ad Christum Iesum aram, quem nostris sceleribus toties in crucem sustulimus, nostrorum petere veniam delictorum, venire nos in templum, ad pedes Confessarij nos prosternere, eluere sordes animorum pudeat? & ore impudenti, in sceleribus ac flagitijs versati in populi clarissima luce non pudeat? Discamus demissionis exemplum à Virgine, & à Christo Iesu, cùm pœnituerit nos peccatorum, veniam deposcere: cùm suppliciter ac demissè eandem petierimus, speremus de benignitate Domini, nos eam sine dubitatione consequuturos esse.

Affectus ad amorem Dei immortalis.

TE mi Deus summe præpotensque ex animo diligam & amem in perpetuum: quem enim magis carum, magis eximium habere debeam inuenio neminem. Te rebus omnibus cuiuscumque generis & ordinis præponam. Posthabebo fratres, amicos, parentes meos, qui me genuerunt, & ediderunt in lucem, a quibus neque corpus, neque animum, neq; diuitias, neque honores, neque gloriam, neq; decus accipere potuissem, nisi tu largitor fuisses munificus ac liberalis, princeps & auctor omnium præcipuus ac singularis. Quid enim illi mihi donarunt, vel donare potuerunt, quod à te, tanquam à fonte bonorum omnium perenni & inexhausto, tanquam à maximo veroque parente cuuctarũ rerum, non profectum fuisset, & in me, & in omne genus hominum infinita tua potentia liberalitateque collatum? Quòd cœlum tantis syderibus collucens, Lunæ varietate distinctum, claritate Solis illustratum; tantam fabricam & elegantiam Vniuersitatis huiusce venustissimam, ætheris ardorem, aëris circumfusi regionem, mare immensum atque profundum, terram pulchritudine diuersitateque rerum refertissimam; tandam denique vim & copiam singulis in locis contentam, meis vsibus inseruire video, tuæ sunt potentiæ,

tuæ

tuæ liberalitatis illustrissima monimenta: quorum nihil ab hominibus, nihil à Principibus terræ potentissimis, nisi te prius munificè magnificeque largiente, potuissemus accipere. sic illi diuitijs & bonorum omnium copijs affluunt; si tu locupletare illos volueris, si opibus potentiæ, honoribus, & fortunis amplissimis augere: sic homines ad dandum largiendumque propendent inclinatione voluntatis; si mentem tu dederis eisdem ad bene merendum de bonorum genere mortalium. Quid quod ea, quæ largiuntur parentes, quæ conferunt homines alij, conseruari nō possunt, & hæc vita, qua perfruuntur, incolumis nequit retineri, nisi dono ac munere tuo retineatur conseruetur-que? Quid quod Filium in hæc terrarum sola misisti, vt lucem cœlestem nostris mentibus perferret, & ex Dæmonis seruitute in veram libertatem vindicaret, & in cœli sedem altissimam, vnde parentum nostrorum culpa deiecti fuimus, sua virtute restitueremur? Quid deinde locupletes & copiosi fuissemus, in summa gloria & honore collocaremur, fungeremur amplissimis muneribus Reipublicæ in ore cunctorum, clarissimaq; luce fœlices ac fortunati versaremur, si post discessum animi è corpore deijceremur in obscuram & caliginosam noctis sempiternæ regionem? His omnibus miserijs & ærumnis liberamur meritis ac virtute Christi Iesu cœlesti. Quamobrem abijciamus amorem hominum, rerumque omnium, quæ infra Lunam sunt, & in Deum immortalem transferamus. Hunc amore summo prosequamur, de illius celsissima dignitate, potentia, gloria, maiestateque cogitemus. Nihil apud nos valeant diuitiæ, nihil honores, nihil parentes, nihil Principes potentissimi: sed Dei solum immortalis dignitas & maiestas excelsa, quo nihil maius, neque bonis omnibus affluentius cogitari potest: præter quem omnia, quæcunque fuerint, quacunque specie pulchritudinis & communi hominum æstimatione magni habita, nulla sunt, & pedibus trahi debent à veris Christianæ Religionis cultoribus. Vt cerui æstiuo tempore in summis solis ardoribus sitientes, ad aquas decurrunt, & aduolant, vt sitim expleant: ita nos Dei summi præpotentisque amore flagrantes, & sitientes fontem bonorum cœlestium inexhaustum, auiditate debemus infinita tantum & tam liberalem Dominum appetere, nos eidem semper dedere, voluntatibus, animisque propensis, nihil velle, nihil desiderare nisi summum & infinitum DEI sempiterni numen, tanta magnitu-

magnitudine amoris, vt Deum duntaxat amores, & delicias nostras ducamus. Hoc amore flagrabat Paulus, cùm exilia, carcerem, vincula, virgas, cruciatus omnes, & mortem, pro Christi dignitate subire cupiebat. Eodem amore Petrus ardebat, cùm rogatus ab Assertore Iesu de amore, quo illum prosequeretur, ausus est proferre Dominum eundem, suamque maxime mentem diuinam, quam haberet sui amoris, & charitatis accensæ testem. Cùm multis testibus nostræ Religionis integris & incorruptis hoc planum facere possemus, tum planius Virginis sanctissimæ discessu è vita, pleno amoris, pleno caritatis: quæ nihil magis cupiebat, & hac infinita cupiditate Dei immortalis visendi flagrans, extremum spiritum exhalauit. Atque ipsius Legis diuinæ mandata ad duo potissimum capita, amoris in proximum, & inflammatæ charitatis in Deum, referri non ignoramus. Quamobrem omnes amore singulari Deum summum præpotentemque Mundi totius opificem, tam beneficum & liberalem largitorem amemus, ad cuius aspectum perfruendum editi fuimus in hanc lucem.

Affectus ad odium.

QVis ferat templum Diuinæ Maiestati consecratum non debito cultu, religione coli? & in æde Deo immortali, Matrique integerrimæ Mariæ, & Principibus cœlestis aulæ dicata, summa cum sanctitate non esse quenquam mortalium? Tu templi sanctissima limina ingredi, tu intra parietes eiusdē templi religiosos esse, tu in eodem loco, pleno sanctitatis, pleno religionis, cum alijs tui simílib. colloqui videaris? & ea loquaris, quæ ab omni cultu, religioneque procul absunt? quæ non modò aliena sunt à loci maiestate, sed neque in tuorum parentum oculis agere auderes? quæ si loquereris audiente quocuuque honesto proboq; ciue, obiurgaret te statim, & tuam impudentiā increparet, & cum probro tuo ac dedecore maximo, è templo augustissimo sanctissimoque te eijceret, vel eijciendum multo ante clamaret? clamaret etiam, vt tui te puderet, & vbi esses, quo in loco, coram quo etiam Domino, in cuius diuini numinis aspectu, quid reliqui agerent, cuius rei causa templa ædificata fuissent, vt recordareris, sæpe ac sæpius iteraret. Moneret te etiam non domi tuæ, non in ciuitatis platea, non in aliqua scena, non in theatro, vbi spectarētur & auditentur Comœdiæ, prodirent actores, histriones gesticularentur, & risus & cachinni commouerentur, turpia verba fierēt, & vsurparentur: sed

sed in templo, in loco religiosissimo, in æde immortali Deo sacra, coram sacrario Christi Iesu, in suis oculis, in suo ore celsissimo: Atq; id temporis, cùm res diuina fieret, cùm Sacrum celebraretur, & tot essent viri mulieresque, quæ sanctissimè, religiosissimeque suis temporibus & starent, & in genua procumberent: Et d temporis etiam, cùm Sacris, & communione fidelium, congressuque, & sermone, huiusmodi turpissima facta fa- entibus, & turpitudines & impuritates verborum ex ore spurcissimo euomentibus viris interdiceretur. An vero præsente Rege huiusce sæculi, summo cum silentio, ex illius ore pendent s omnes, modestiâ summâ, curâ, studioque magno animi Regis explendi, & non verbum modo non facientes minimum, sed vultum, & nutus minimos expectantes adessent Heroes & Magnates in aulâ Regiâ; & te in oculis, in præsentia terræ cœlique potentissimi Dominatoris, tanta cum impudentia, intentaque loquentem voce, & tumultuantem, & cachinnantem sæpe, interturbantem & offendentem eos, qui in templo essent, immemorem loci, oblitum religionis, & sermonem omnibus dantem, qui præsentes essent, & ad summam impudentiam depraua tum, & perditum adolescentem viderent? Si antiqui lucos & syluas Dijs suis Deabusque sacras tanta religione coluerunt; Christiani veri Dei augustissimum venerandumque templum non omni cultu & sanctitate prosequerentur? Reges honore tanto efficiantur, & in illorum conspectu nihil nisi summa cum Aulicorum elegantia, munditiaque, gereretur: Deus ipse summus, præpotens, terræ cœlique Dominus contemneretur, & sperneretur audacter, & impudẽter in templo? Odium necesse est in te vnum cunctorum homi um, Deiq; immortalis iracundiam excites, qui præsentiam sui nominis violare ausus fueris. An vero frustra fabulis traditũ putabimus, quod Pyrrhus o cisi Priami in Idolorum templo, Aiax Oileus violatæ Cassandræ pœnas luerit, non vt templorum religionis admoneremur? Quid quod Pompeius, victor omnium gẽtium, post templum Solymorum direptum, post ablatum aurum & argentum, nullam fuit in posterum fœlicitet victoriam consequutus? Atq; ipse Christus Iesus vendentes & ementes, atrepto flagello, illa oris auctoritate cœlesti, illa grauitate maiestateque celsissima, verborum fulminibus horrificis tonans & fulgurans, fugauit & eiecit è templo, euersis prius nummulariorum mensis, dispersis ac dissipatis toto pauimento pecunijs, & quæ in mensis essent, rebus disiectis diffusisque. Est sane hominibus Deoque

immortali nimium infestus ille, qui sanctitatem templi debito cultu religioneque non prosequitur: nec impune liber ac solutus, audax & impudens, contemptor templorum, religionisque, versabitur inter mortales.

Affectus ad inuidiam.

ENim vero intolerandus es, Leouigilde, hac tuâ potestate Regiâ, his tot regnis & imperijs potentissimis, quorum viribus fretus, omnia pro libidine geris, nullâ non modo virtutis, & iustitiæ; sed neque communis vrbanitatis & humanitatis vsitatæ ratione habita. An vero Regem te ipsum appellem, qui à via virtutis abducere, à Religione studeas abstrahere, & minis atque terroribus à veritate auocare genus hominum, & à vero immortalique Deo filium tuum Regem inclitum, columen, & firmamentum Christianæ Religionis? Ecquis Regis nomine dignior erit, aspiciamus. Ermenegildus propugnator veritatis; tu oppugnator es. Ille fidem acerrimè defendit; tu vehementer oppugnas. Ille sequitur mandata Dei voluntatemq; sanctissimam; tu nihil non facies contra Dei præceptiones, legemque diuinam. Ille cœlestem, & nunquam interituram gloriam appetit; tu fluxam & cito perituram. Ille sempiterni numinis honorem, & immortale decus tuetur; tu tantæ Maiestatis gloriam imminuere conaris, & modis omnibus extinguere. Ille ad Beatorum sedes & dignitates amplissimas cœlestis aulæ cõtendit; tu te ipsum das præcipitem in damnatorum regiones obscurissimas. Ille vitã tibi dare, & gloriam immortalem vellet; tu pestem & exitium cum alijs Christi Iesu administris, tum eidem egregio fidelique cultori filio moliris. Vter igitur melius Rex appellabitur, tune, an Ermenegildus? Is, qui omnia pietatis, fidei, religionis officia sanctissimè integerrimeque facit; an tu, qui leges sanctitatis, veritatis, & humanitatis omnis & iura nefario scelere polluis? Atque vt alia tua scelera præteream, vel hoc vnum aspice nefarium & detestabile: quod minimè contentus es satellites & administros Arrianæ sectæ auctoritate tua, potentiaque adiuuare, nisi crudelitatem omnem adhibeas in filium. Atque primo cogere milites, deinde vrbem Hispalim obsidere, postea cum illo confligere, denique per summum scelus atque perfidiam donis, ac muneribus corrumpere Romanos perstitisti, vt deserant, ac prodant, quem tueri pecunijs & obsidibus datis & acceptis constricti debebant, filium tuum Ermenegildum. Cogis milites, Ermenegildus delectus habet;

vrbem

vrbem oppugnas, Ermenegildus defendit; prælium depoſcis, ad manus venire non recuſat; tu copias tuas, ille ſuas acies educit in medium campum: vicisti? ſit ita: ſed quomodo? ſcelere, perfidia, proditione ſceleratа Romanorum: & filius proditus ac deſertus fugit? deſerit fidem? tranſit ad tuas partes? Qui filium, qui vxorem, qui Regnum ad fidei defenſionem contulerat, ſeipſum & caput deuouet carnificis à te miſſi gladio ſine cunctatione diſtricto, & crudeliter in medium caput immiſſo. Tune Rex? tune pater, an tyrannus intolerandus, crudelitate barbarus, & diritate ſanguinis percitus? neque Tygrides vnquam tanta crudelitate fuerunt, non vrſi, non leones tanta rabie agitati, vt fœtus, quos ediderint & procreauerint, crudeliſſimè conficiant: inſitus eſt à natura cuicunque generi animantium & ferarum immaniſſimarum amor ad fœtus procreandos, alendos, & conſeruandos admirabilis, in quarum educatione conſeruatione que cum laborem cernimus, naturæ ipſius amorem videmur cernere. Tu leonibus, vrſis, Tygride quacunq; immanior, naturam humanam exuere, & omnem ſic abijcere viſus es amorem, à natura parentibus & beſtijs etiam deterrimis inſitũ, vt non deſtiteris, quoad vitam ademeris in carcere, miſſo ad filium occidendum crudeli carnifice. Vnus tu repertus es, qui tantum immanitate beſtias viceris, vt qua de cauſa filium conſeruare debuiſſes, & pluris habere, & magis ornare tuorum acceſſione regnorum, ex hac tu eum per ſummam crudelitatem de medio ſuſtuleris. Quid dicam amplius? non Regis, neque parentis honore, ſed importuni monſtri portentique deteſtandi dignus probro dedecoreque turpiſſimo habendus es.

Affectus ad miſericordiam.

EGone contineam lacrymas, ac non effundam in his acerbitatibus, ſi quem fortaſſe poſſim ad miſericordiam flectere? Quid agis anime mi ad Dei ſimilitudinem create? ſiccine patieris te in luctu & ſqualore iacere? ſiccine deformatum peccati fœditate? inquinatum ſcelerum omnium ſordibus, in miſerijs tantis, & ærumnis eſſe? A Creatore tuo abſtractum te videas, & hoſtili odio diſſidentem, amicum nefarij Dæmonis, & inimicum ſempiterni Numinis, ſeruitute miſeranda premi, tanquam vile mancipium inferorum. Qui ad libertatem natus fueras, & filius immortalis DEI, donis ac muneribus gratiæ cœleſtis ornatus, ſiccine de gradu dignitatis altiſſimo te deieceris tuorum prauitate flagitiorum?

O homo! qui in honore, & gratia cœlesti eras, qui ius habebas ad cœli gloriam consequendam; illud tam facile falsis voluptatum illecebris delinitus amiseris? qui diuinæ pulchritudinis aspectu perfrui poteras; deformem & horribilem Dæmonis vultum subire poteris? qui suauitates & iucunditates Beatorum percipere; cruciatus & acerbitates damnatorum perferes? qui nunquam interituros cœlitum honores consequi; iniurias & ignominiam nequissimorum spirituum sustinebis? qui lucem aspicere cœlestem & immortalem; in tenebris & in caligine noctis sempiternæ iacebis? qui perfrui gaudijs, & lætitijs omnibus veris & solidis; timoribus assiduis, angoribus & cruciatibus torqueberis in perpetuum? qui inter Beatorum cœtus & ordines tanto cum gaudio voluptateque versari; cum legionibus inferorum horrificis, cum nequissimis spiritibus, cum furijs fœda terrificaque facie formidandis commorabere? Quid istud mali? quid miseriarum? quid calamitatum & ærumnarum obsecro? Ideone Filius Patris æterni in terrarum sola descendit? ideo naturam humanam admirabili societatis vinculo sibi copulauit? ideo in præsepi tener ac delicatus, ab illo puncto tẽporis, quo bellus & aureus infans exijt, in hanc lucem ploratus edidit & vagitus? ideo octaua luce à sanctissimo natali die carnem teneram & cœlestem gladio sibi passus fuit rescindi Simeonis? ideo per omne suæ vitæ tempus, per tres & triginta continuos annos homines è seruitute liberandi causa tantopere laborauit, & desudauit, tot itinera fecit, post virgas & spinas in crucem temporib. illis plenam dedecoris & ignominiæ sublatus extremum spiritum exhalauit? Vbi precor homo, natalia Domini, vbi labores & vigiliæ, vbi contumeliæ & ignominiæ pro genere hominum libenter ac fortiter toleratæ? vbi doctrina cœlestis? vbi multitudo, magnitudoque miraculorum? vbi illa quinque millia verberum? vbi aculei spinarum diuino capiti crudeliter infixi? vbi crux suis humeris comportata? vbi postremo mors tanta alacritate obita? vbi merita? vbi fructus horum omnium cruciatuum? tot homines in suam vtilitatem cõuerterint facta Christi Iesu sanctissima, & fructus tulerint vberes ac præstantes, & immortali gloria dignissimos; tu ferus & inhumanus, improbus ac nefarius, his fructibus te ipsum priuaueris, tuis nefarijs & execrandis sceleribus, tuis præcipuè turpibus, & impuris voluptatibus? Recordare homo, quot tui similes, quod natura tua præditi, & multo clariore illustrioreq; dignitate: quot non viri tolum corroborata iam ætate, sed pueri à te-

riâ teneris suis annis, ab ipso pueritiæ flore, cùm nobili genere nati essent, & omnib. bonorum copijs affluerent, magnis Reipub. muneribus, amplissimis honoribus ac dignitatibus fungerentur, cùm essent Regiâ & excelsâ sanguinis & nobilitatis stirpe procreati, cùm in celsissimo Regiæ dignitatis gradu collocati, in summo honore & gloria fuissent, vniuerso illis hominum genere humiliter ac demisse seruiente, voluptatib. & honoribus huiusce sæculi, atque adeo perituræ gloriæ nuntium remisissent, diuinæ maiestati se consecrarunt, deouoeruntque. Horum tu non facta pulcherrima potius imitabere, quàm nequissimorum, & à Deo procul abhorrentium vestigia nefaria sequeris? Recordare misericordiam Dei infinitam, qui te de cruce suspensus, & brachijs protentis apertisque sibilo boni pastoris in suum amplexum vocat, vt accurras & aduoles, statim veniam petens peccatorum, qui nihil magis vult, quàm tibi in viam redeunti misericorditer ignoscere. Cruci affixus est tribus clauis, commouere se non potest, & quamuis suâ infinitâ virtute posset, non faciet tamen, vt tu ad suos celeriter amplexus properes ac festines. Ille te amplectetur medium, scelera & flagitia tibi condonabit. Quid expectas? quid immoraris? Mitis est & misericors, qui si tuam nollet vitam & incolumitatem æternam, non te accerseret, non vocaret, non ille crucem subiret, non apertum latus hastæ diritate demonstraret, in quod, tanquam in immensum, & infinitum misericordiæ pelagus, te totum immergere, & omnes maculas & labes peccatorum flumine sanguinis, tam largiter & copiosè profluentis, delere poteris & obruere. Id vt facias, bonus latro documenta dabit diuinæ misericordiæ, & mansuetudinis Christi Iesu infinitæ, qui quanuis improbus & sceleratus, vno verbo duntaxat, Paradisi mentione facta, recognita tanti Domini potestate, veniam suorum consequutus fuit scelerum ac flagitiorum.

Affectus ad metum.

FIeri profecto non potest, si quidquam humanitatis habes, quin simul atque aliquod flagitium admiseris, continuo totus tremas corpore atque animo. An non veniet statim in mentem tibi multorum hominum, qui propter sua scelera grauiter ab immortali Deo mulctati fuerunt? Non recordaberis infinitam Domini potestatem, quem diuersis & grauissimis flagitiorum generibus ad iracundiam, ad vindictam toties pro-

uocasti? Quid illius sæpe gladius in sceleratorum hominum pectora districtus egerit? quorum vitam petierit? quæ potestas suorum armorum? qui sanguis profusus? quorum vita adempta? quot strages editæ? quot clades, & calamitates hominibus allatæ fuerint propter suorum vitiorum multitudinem magnitudinemque? Multi quidem paucioribus & minoribus peccatis gladio diuinæ iustitiæ conciderunt, atque vno sæpe scelere, & vix pene commisso, dati sunt in inferorum pœnas sempiternas: & tu tantis flagitijs contaminatus, tot vitiorum sordibus inquinatus, non formidabis diuinæ iustitiæ seueritatem? Quod adhuc te sustinuerit, quod pertulerit incredibili sua benignitate, quod in te gladium non distrinxerit, quod non dederit præcipitem in obscuras inferorum regiones, quod expectauerit adhuc, & expectet, quod ad sanctitatem te vocet, ad suam gratiam inuitet, putas hoc perpetuum fore, & impune te semper abiturum esse? Caue homo, caue obsecro, ni vis, vt tarditatē diuina maiestas supplicij grauitate compenset, & morte repentina conficiat. Quot mors immatura præoccupauit adolescentes? quot in ipso iuuentutis flore, qui ad senectutem se peruenturos esse putabant, de medio rapti fuerunt, & inimicorum gladio occisi, sica traiecti, confossi pugionibus, & ex insidijs, adeo repente, vt neque proferendi nominis Christi Iesu tempus datum fuerit? Hi ceciderunt, ceciderunt in obscuram sempiternæ noctis caliginem, & cruciati sunt, & cruciabuntur in perpetuum exquisitis supplicioru acerbitatibus. Quibus si facultas ad hanc vitam redeundi concederetur, quam vitam agerent? quam duram? quam asperam? quantis supplicijs carnem hanc mulctarent, afflictarent, & comprimerent, cilicijs, inedia, vigilijs, & omnibus horis atque momentis, & vt merita fuit, discerperent, & dilaniarent? Atque omnes sibi pœnæ, omnes cruciatus leues viderentur præ odio quidem hostili, quo bestiam hanc teterrimam persequi vellent & insectari, memores pœnarum, quas passi fuerunt, & paterentur in omnem sæculorum memoriam. Non intueri Dæmonem, & mentis oculis cernere videris, dies noctesque nullam horam, neque minimum punctum requiescentem, vt insidietur & præcipitem agat te in inferorum sedes execrabiles? Quid agis conscius tantæ feritatis? Non timebis cum cubitum eas, ne te dormientem adoriatur, & gulam comprimat, suffocet, (si vis apertè loquar) & det præcipitem in vallem miseriarum, & ærumnarum pleniſſimam, te miserum, & infœlicem, ærumnosum, & calamitosum peccatorem. Cum

rem. Cum eris in inferorum sedibus, cum in illo carcere caliginoso, cum deflagrabis flammarum ardoribus, cum deterreberis furiarum terrifica facie, cum pœnis pœnæ, cum supplicijs supplicia cumulabuntur & augebuntur, cum ad communes damnatorum cruciatus accedent, & addentur, qui præcipui debentur & singulares, & exquisiti tuis tetris & inauditis sceleribus, illorum nullum finem statuendum, non defatigandos vnquam Luciferi satellites, valentissimos & exercitatissimos scias. Quid hic ages homo nefarie? Quibus lamentis, quibus vlulatibus, & dissonis rugitibus inferorum illa obscura caligisonaque loca complebis? Cogita à tergo semper insidiantem hostem, nec vllum periculo vacuum temporis momentum, immanem ac ferinam hostis crudelitatem, casus aliorum miserabiles, & exitus tragicos & exitiales, & iam te profecto incipiet tædere vitiorum, incipiet pœnitere flagitiorum tuorum: & quem virtutis & honestatis pulchritudo, Dei immortalis maiestas, Beatorum gloria, & præmia sempiterna in officio non continuerunt, inferorum pœnæ, cruciatus damnatorum, mortis imminentis pericula, grauis ac vehemens iudicis æterni seueritas à flagitijs auocabit. Magnæ quidem & extremæ dementiæ fuit, semper illa pericula, quæ vitare possis, non maturè cauere: sed cum extrema pernicie, scelere ac nequitia sua quenquam vltro tot mala sibi accersere & attrahere. In horum numero tu videris esse, qui fores salutaribus monitis diuinæ Iustitiæ, & intimis animorum sensibus occluseris, & nullum ad benè de tua salute sperandum optimo cuique æstimatori locum reliqueris.

POSTVLATIO.

TRia illa potentißima Rhetorica præsidia, postulatio, obsecratio, & obtestatio accedunt, quorum luminum primum simpliciter deposcit, illi proximum humiliter ac demisse supplicat, tertium flagrans & ardens omnino testandi vim habet; quorum exempla sequentibus discernes exercitationibus.

***

Postulatio.

AVarus equidem id postulat, vt quoniam pecuniarum cupiditate flagrat, & diuitijs huiusce sæculi inhians, nullam aliam cogitationem, nisi de nummis, nisi de fortunis & opibus humanis suscipere potest, vt ad hos nummos comparandos, ad facultates & fortunas suas augendas, vos auditores præbeatis. Vobis equidem operam sibi præstantibus sperat, id quod per prauas rationes, per summum scelus, per aliorum spoliationem & fraudem apertam consequutus est, se breuiter ita quidem auctum esse, vt cum ad pecunias magnas peruenerit, tum omnibus bonorum copijs affluat, quibus copiosus ac bene nummatus, & facile suæ ciuitatis locupletissimus appelletur: se diuitijs, & pecunijs maximis non præditum, nullum gaudium, nullam lætitiam capturum esse confirmat: cum arcas aperuerit, & tentauerit, & respexerit nummorum refertos loculos, præ gaudio vix apud se futurum esse lætitijs omnibus gestientem. Quare petit à vobis, qui potestis, & consueuisti alios vestro studio locupletare sæpissime, vt pecuniarum, & diuitiarum cupiditate flagrantem animum expleatis. Hæc quoniam iniqua vobis postulatio videbitur, aliam ego, vt vos videbitis, multo æquiorem affero. Primum à vobis Antonius petit, vt si vel nummulum aliquem, si quidquam rei acquisiturus sit, nisi bonis & honestis rationibus, nisi summo iure, & ex Dei diuinis præscriptionibus, vt nihil vnquam bonorum sibi comparet, neque auctam vnquam rem familiarem aspiciat: sed pauper & inops, totos vitæ suæ annos agat, & ostiatim stipem cogens ad se alendum & sustentandum: sin aût id quod cupit, & in quod est voluntas propensior, velle Deum intellexerit, vt crescant & augeantur suæ facultates & fortunæ magis ac magis ad commodandum alijs, ad opitulandum miseris & ærumnosis hominibus: id postulo atque peto iterum atque iterum, vt tales vos mihi præbeatis ad fortunas, & ad patrimonium vestrum augendum, vt non auaritiæ, sed liberalitati materiam suppeditasse videamini. Auarus pecunias vult, vt illæ nulli sint vsui, neque sibi, neque proximo; ego sic peto, vt meis honestè moderateque inseruiam, & multo magis indigentibus, & opem nostram implorantibus. Ille diuitias appetit, vt hæredes locupletes & copiosos relinquat, & ipse vitam in multis miserijs & angustijs agat; ego quidē, vt viuens & incolumis inopum & calamitosorum hominū generi opem feram

feram, & ante discessum animi è corpore in diuinum cultum religionemque conferam. Ille eos vult, vt loculorum aspectu pecuniis confertissimorum se oblectet, vt arces aperiens, tentet attrectetque loculos, vt eisdem sua verba iucundissima auarorum vsitato more faciat; ego vt ex commodo allato pauperibus, exsumptibus rectè factis, ex collatis in vsus honestos atque præclaros, quàm magnam lætitiam accipiam, & bonorum omnium largitori Deo, ea munificus ac liberalis dicam, quæ bonum Christi cultorem dicturum esse maximè scio. Auge me bonis tuis, & fortunâ meum statum, & fortunatiorem redde, liberalissimè magnificentissimeque Deus, ad misericordiam impertiendam ijs omnibus, qui bonitati diuinæ confidentes, meam opem imploratum venerint. Quæ fuerit hominis vtriusque postulatio, vos Auditores cernite, vt quæ boni viri facere debeant & consuescant, intelligatis.

Obsecratio.

OBsecro sanctissime mitissimeque Deus, vt mei ipsius misereris, qui in hac miserâ & ærumnosa sæculi valle versor, innumeris periculis & telis hostilibus expositus. Tu mihi feropem, qui promisisti à tuis genibus non repulsurum esse quenquam hominem, qui misericordiam tuam implorauerit. Sponte soles miseris, & calamitosis hominibus occurrere, nullius etiam oratione sæpe vocatus, nunc verò clamoribus multis, & assiduis precibus, tot lacrymis in tuo conspectu profusis, obsecro nostrarum te misereat calamitatum, qui vides, in quibus periculis versemur, quibus inimicorum insidijs dies noctesque circunuenti premamur. Obsecro benignissime Deus, me ipsum ex hac dæmonis seruitute liberes. Peccaui, impiè egi, ad clementiam tuam confugio, vt ignoscas obsecro, & meorum mihi des veniam peccatorum. Tu me ad tuam similitudinem & imaginem Deus Optime aç Maxime formasti, & editum in hanc lucem, sacro fonte ablutum, & Fidei Christianæ insignibus ornatum, & labe ac maculâ parentis Adami in matris vtero contractâ expiatum per salutare lauacrum, in eum statum adduxisti, vt in tuâ gratiâ positus, in veterem amicitiâ redirem. A pueritiæ cunabulis, quibus me beneficijs affecisti? quibus cumulasti donis ac muneribus? quos præceptores ac magistros Religionis, quos ad colendam diuinâ legem doctores mihi præbuisti? maximos duces ac principes virtutis omnib⁹ sanctitatis nume-

ris expletos. In quâ me Christianæ ditionis parte, in quibus regnis ac prouincijs fidei cultorum egregiè fidelium numero ac præstantiâ florentibus, doctrinaque verissimâ sanctissimaq; Christi Iesu abundantibus, sanctorumque Doctorum, & Religiosarum omnium familiarum præsidijs maximis firmissimisque munitis collocasti? Me tuum amicum antea, nunc inimicum & impurum flagitiosumque vides, qui his omnibus beneficijs à tua diuina maiestate acceptis, tam ingratus fuerim, vt vno solùm aspectu mulieris, vnâ voluptatis illecebrâ, à te meo duce parenteque summo defecerim, & in miseriam, & ærumnam peccati detestabilem & execrandam inciderim. Quid agam sanctissime Deus? quò me conuertam? cuius opem & auxilium, nisi tuum implorem in hac tantâ, & tam ærumnosâ calamitate? Per tuam misericordiam & benignitatem infinitam, per Filij tui merita, & per cruciatus eiusdem acerbissimos, per mortem suam sanctissimam, mihi in genua tua procumbenti, tuamque opem imploranti, quæso velis ignoscere. Agnosco bonitatem tuam, & prauitatem meam: agnosco tuam benignitatem, & ingrati animi mei labem: agnosco pulchritudinem tui numinis, & deformitatem ac maculas conscientiæ meæ. Recordor acceptorum beneficiorum magnitudinem, & obliuionem meam, & ingratum, & immemorem animum: recordor per te, per custodem Angelum, sensus intimos & motus animi factos, & à me toties abiectam tui ipsius, boni Angeli, mandatorum tuorum, tuæ diuinæ voluntatis memoriam. Occidi, perij, interij totus miser, nisi tuâ benignitate opem mihi feras in tanto luctu & miserijs iacenti. Vates ille Regius misericordiam tuam summo dolore, lacrymis multis implorabat: & afferens tuæ maximæ benignitatis monimenta ab initio nascẽtis mundi, egregijs numinis tui cultoribus testata, vt ignosceres suppliciter orabat: eandem implorabat misericordiam Magdalena, quæ demisso vultu, oculis in terram defixis, non erubuit vultus, & ora subire conuiuarum, & procumbens in genua, à tergo sumens in manus pedes Assertoris Iesu, lacrymarum ingenti multitudine spargebat eos, & præ suspirijs, præ lacrymis verbum proloqui minimè poterat: sed os admouens pedibus, oscula imprimebat millies labijs infixis & inhærentibus, & magis ac magis lacrymis pedes sanctissimos perfundens eosdem capillis auro fulgenti clarioribus abstergebat, ipsamque contrà conuiuarum sermones & linguas detrahentes & obtrectantes maledicè defendisti, & liberam ac vacuam omni cura,

sine

fine angore, fine solicitudine, peccatorum vinculis solutam discedere iussisti. Multos alios afferre possem testes tuæ benignitatis, & infinitæ misericordiæ: sed præ lacrymis loqui non possum. Tu igitur benigne, pie, misericorsque Deus, qui mihi mentem iniecisti confugiendi ad numen misericordiæ tuæ sempiternum, mihi precanti, gementi, lacrymanti da veniam, quam efflagito. Quid enim aliud ego possum facere nisi flere? nisi gemere? nisi mortem, & omnes quoscunque cruciatus & inferorum flammas velle, ac polliceri me potius perferre paratissimum esse deinceps, quàm quidquam sceleris in tuam Maiestatem suscipere?

Obtestatio.

SEd quid pluribus opus est ad huiusce peccatoris ingratum in diuinam maiestatem animum ostendēdum. Te, teipsam obtestor terra, te mare, te cœlum, & omnia, quæcunque Dei immortalis cœlesti potestate creata sunt: (quę mirum est profecto non in hunc peccatorem conspirasse, & de tam scelerato, & omnibus vitiorum sordibus contaminato peccatore non sumpsisse pœnas.) Te testor terra, quam patefactis inferorum faucibus non absorpsisse peccatorem, mirum est profectò. Te testor mare, quòd finibus contentum tuis, non tete effudisti ac redundasti, vt tam scelestam, tam tetram belluam obrueres. Simile quidem est miraculi: & vt alias sensu carentes omittam, Te cur non tester cœlum, vnde multa sæpe fuerunt in improbos & nefarios homines fulmina crebro fulgure, & ruentis prope totius machinæ tuæ fragore terrifico? Hunc, hunc peccatorem non ictu alicuius fulminis conflagrasse, & deiectum in inferorum sedes animum eiusdem, flammis ardentibus flagraturum in perpetuum, quis non miretur? Non est credibile, tantam in vllo feritatem esse potuisse, nisi manibus, nisi oculis tenerentur innumerabilia bestiæ tam terrimæ flagitia. Nullum enim sceleris, nullum flagitij genus reperietur, quod non ab hoc admissum fuerit in Deum immortalem. Atque sic est ex omni flagitiorum colluuione factus, vt noua quotidie cogitet, noua nefariè & impiè in homines Deumq; moliatur. Vos etiam testor, Auditores, quos aures occlusisse crediderim ad libidines, in quas semper sese effudit intemperanter. Testor quoq; Iudices, qui toties admini-

administros suos ad hunc hominem comprehendendum, & coniiciendum in carcerem, atque adeò in interiorem locum disiunctissimumque recessum detrudendum, & amandandum, procul cum infimis & sordidis hominibus, cum infamibus & latronibus & omni turpitudinis notâ condecoratis sæpe iussistis. Testor denique parentes eius miseros, qui filij sui scelerati liberandi causa iudicijs plurimis ad summam inopiam redacti, aliena misericordia viuunt stipem adhinc iam multos dies corrogantes vicatim. Quos antea diuites, quos copiosos, quos omnibus bonis affluentes vidistis, & honestè non modò, sed aliquando magnificè domi suæ sumptus facientes; vt qui filios hominum, qui seruos, qui comitatum intuerentur, facilè sibi persuaderent, multis pecunijs, fortunisque maximis locupletatos Principes ciuitatis esse. Si terra, si mare, si cœlum ipsum, si lites & iudicia, si pericula capitis, si turpitudo & infamia, si parentum extrema nunc inopia, mendicitas, cæteræque miseriæ commouere non potuerunt: quid tester potissimum nisi crucem ipsam, nisi mortem Christi IESV? si hæc duo tantum animum ferro diriorem non commouerint, scio nihil vim vllam habiturum esse ad flectendum mentem tuam, & à scelerum multorum maximorumque prauitate deterrendum. Intuere igitur crucem illam, quam tanquam molem & machinam ad euertendas opes inimici Christus Iesus suis humeris comportauit. Intuere manus ac pedes clauorum diritate transfixos. Intuere Dominum terræ cœlique præpotentem in crucem actum, & te, te, inquam, benignitate summa ad gratiam inuitantem. Sic fortasse dirus iste tuus, & ex adamante factus animus tantæ benignitatis magnitudine mollietur.

DE COMMORATIONE.

Commoratio quoque ex adiunctis petitur, & sola, & aliis argumentis ornata. Nihil enim est aliud, quàm exercitatio, qua in eadem re immoramur, aliis & aliis coloribus rem distinguendo, vt si perfectissimum virum in B. Ignatio visendum proponamus.

Per-

Perfectio paupertatis in B. Ignatio.

AT quem mihi proponis paupertatis laude cumulatum virum? Ignatium, non solùm se abdicantem rebus humanis, & sæculi vestibus exuentem pretiosis, & pauperis attritis, & centonibus induentem, & cum illis communi solùm cibo potuque vires reficientem, ad sustentandam corporis imbecillitatem, ita plenum spei divinæ, fidentem summo præpotentique Deo, vt neque manticis, neque cucurbitâ vtatur ad panem, & aquam necessariam deportandam. Qui cùm iam Auctor esset Religionis Sociorum IESV, tanti paupertatem habuit, vt suis omni non modò vsu superuacaneo rerum interdiceret, sed necessario, nisi parcè, nisi tenuiter, & pauperum verè egentium modo, qui cubicula non tabulis pictis ac nitidis, non signis opere mirabili fictis, non etiam imaginibus magno pretio emptis, non sellis multis, non librorum magnâ copiâ, reliquarumque rerum ad speciem supellectile exornata colerent: sed lecto, sellâ, mensâ, libris ad vsum duntaxat necessarijs, contentos alumnos esse voluit, & ijs omnibus non politis, neque venustis, sed rudibus & impolitis, quæ præberent vsum, non ostenderent accurationem. Atque his in hunc modum vti voluit, quasi commodatis, vt cùm superiores vellent, auferrent, alijs eorum in locum suppeditatis, ad vsum necessarium. Quid quòd in cubiculo nihil, quod esui, quod potui esset, neque quicquam ex fructibus, neque ex dulcibus; nihil conditanei suos asseruare, nec habere permisit, quin præscriptionibus prohibuit suis; & quæ foris dono mitterentur, in communitatem deferri præcepit. Patent cubicula suorum nullis clauibus clausa, nullis asseruata seris communibus, neque pensilibus, vt cùm quis venerit in cubiculum, introire possit, verbo solùm audito, ingredere: scilicet Pater sanctissimus suos eò spectare voluit, & sibi persuadere, vt è cubiculo iussi discedere, discederent confestim, & in aliud, quasi in suum libenter immigrarent, cùm animi magna lætitia: hinc commutatio passim vestium, immigratio familiaris ex vno in aliud cubiculum sociorum. Hinc verbum illud, Meum, ac Tuum, in alumnorum Ignatij ore versatur nunquam, sed vsus solùm vsurpatus rerum, quas vel in cubiculo habent, vel in suo gestant corpore, vt inauditum planè & inusitatum sit socijs omnibus, vnum aut alterum verbum illud, meum & tuum. Quæ vsque eò exercen-

tur,

tur, & inualuerunt in Societate, vt maximè angusta inter eos paupertas seruetur Apostolorum, primis orta nascentis Ecclesiæ cunabulis. Vultis dicam ferè, quod de paupertate iudicium fecerit Ignatius? Matrem illam Religionis, murum Societatis fortissimum appellauit. Ego verò audeo dicere, omnium sacrarum Familiarum veniâ, quod omnes mihi concedent, quod ad priuatum Religiosum vsum spectat, nullum ex sacris omnibus familiis, neque seuerius, neque angustius, in quo omnia ita contracta sint, & adducta in angustiam, atque in suis Societati Iesu paupertatis genus. Quod verò ad communitatem, vel ipsius Societatis vniuersitatem spectat, Domos Professas sic instituitas & fundatas voluit, atque præscripsit vt nullos reditus haberent, nihil præter domum incolendam, & hortum quo valetudini, & pensis quotidianis exhausti irent refectum seipsos, ad operas proximorum, & onera repetenda Religionis. Pro concionibus, pro sacris, nihil erogandum censuit atque imperauit, quò liberius sui munera spiritus obirent, & quod gratis acceperunt, gratis in Dei obsequium pietatemque conferrent. Ita procul a Societate funera externorum pecunijs erogatis concelebranda, procul sacerdotia illa (quæ vulgo Capellinæ dicuntur.) Voluit suos nudos & inanes rerum ferè omnium, vni nudo & pauperi Christo Iesu semper inseruire. Tanta fuit Patriarchæ sanctissimi in rigidam ac seueram paupertatis rationem propensio & amor singularis. Verum sanè paupertatis Apostolicæ, & Christi Iesu disciplinæ, viuum & expressum exemplar, licet in Confessore Ecclesiæ sanctissimo recognoscere: si enim paupertas in rerum humanarum contemptione ac despicientia posita est, quàm pauper ille, qui tam verè & ex animo paupertatem amplexus fuit? Qui modus, quæ ratio fingi potest rerum contemnendarum, quam non ex superioribus in Ignatio vigentem aspiciamus? Si paupertas, vel à paruo dicta est, vel à paruo late, quem magis paupertatis amantem reperiemus, atque Ignatium, qui vias omnes suis ad res huiusce sæculi præcluserit, qui domos non iunctoris non emblematibus, non opere mirifico, sed vsitato, honesto, ad paupertatem spectante, ædificandas præscripsit? Addam duo, quæ in Heroe Religionis insunt illustria, & prædicantia paupertatis amorem infinitum. Professi, præter commune paupertatis votum solenne, facere alia debent priuata laxandæ nunquam, sed astringendæ potius paupertatis. Cùm verò ambitio miserrima sit honorum contentio, conturbetque facile,

facile, aut palam, vel occultè Religionis officia sanctissima, suis, honoribus huiusmodi interdictum voluit præcipuâ voti Religione constrictis. Cuius de virtute Patris & suorum sanctissima in his summo iure seruandis exempla afferre potuissemus illustria, & omni admiratione digna, nisi ad alia properaret oratio. Vos Auditores, in hoc paupertatis amore cogitate quos volueritis, parentes sacrarum Familiarum, & inter alios Dominicos, Franciscosque, & horum similem agnoscetis Beatissimum Ignatium.

Alia possem genera commorationis afferre, sed contentus superiore, in quo & adiuncta, & subsidia aliorum argumentorum insunt, ab alijs abstinebo. Qui plura commorationis genera voluerit, adeat nostra Demonstrationis opus. Te tamen bone Lector admonitum vellem, superiorem commorationem, & ad alias exercitationes huiusce generis patefacere posse viam, siue adiuncta nuda, siue alijs argumentis conuestita desideraueris.

DE EXPOLITIONE.

VLtima est Exercitatio ad locum adiunctorum spectans, Expolitio, quæ latius patet atque commoratio: hæc enim priuatim progreditur: Expolitio verò sæpius sese effundit vniuersè. Huius Expolitionis, genera videbis in Demonstratione nostrâ, meâ solùm interest, vnam aut alteram ex adiunctis, Exempli ergo, literis mandare.

***

Ex-

Expolitio in Confessore sanctißimo, Parente Sociorum IESV, Ignatio Beatißimo.

DEbemus, qui boni sumus rerum æstimatores, & veri sanctitatis absolutæ censores, pietatem Beatissimi Ignatij recognoscere, quâ in virtute, sicut in alijs, exemplum licet intueamini exemplaris Christi IESV. Nam vultu ipso, ore, oculis, sermone, omnibusque suis actionibus pietatem exprimere visus est: vt nemo sanè accesserit ad eum, quem exceperit pietatis egens, qui non discesserit laudans, & refectus Ignatij pietate mirabili, neque notus solùm, sed ignotus, amicus, & inimicus, fautor Societatis, seu obtrectator. Quæ virtus quoniam longè lateque patet, & ad humana, & ad sacra pertinet, & in res ipsas, & in homines confertur, quocunque in genere tanti principis excellentia semper obijt officia pietatis absolutæ. Hæc non solùm in colenda maiestate diuini numinis, sed in minimis quibuscunque rebus Deum attingentibus, à quibus alij pietatis expertes non admodum abstinent, hæc inquam, ille magni colenda semper ac suspicienda curauit. Quamobrem cum ille ad Sacramentum Altaris accessurus esset, dici non potest, quâ comparatione, quâ pietate, vir sanctissimus accederet. Septem Vrbis templa, & religione, & Pontificum Indulgentijs celeberrima suis anni temporibus, quamuis varijs morbis affectus, diligenter & piè visebat pedes, & hyemali tempore, ne tantorum bonorum communione seipsum fraudasse videretur, & alijs ad eadem sacra obeunda non exemplo fuisse maximo, Piacularia verò grana, quæ dicuntur, & cereas Agni cœlestis effigies, pictasque sanctorum iconculas, & alia id genus, tanti ducebat, tam cara habebat, vt & commendauerit semper, & ad pietatem excitandam donauerit frequenter, & earum copiam habuerit diligenter pieque asseruatam, vt post illius discessum è vita nihil ferè aliud apparuerit in suo scrinio. Sed qua religione hanc pietatem sanctissimis Mariæ & Christi Iesu, & cœlitum imaginibus, simulacris, & signis omnibus præstiterit, vel ex eo cognoscite, quòd nomina tanto cultu prosequutus fuerit, vt religiosiore quidem non potuerit: solum eorũ audito nomine, lacrymæ statim oboriebantur, quibus opplebat os, & alienos sæpè ad Religionem adducebat. Veteres Æneam suum armis & pietate insignẽ celebrarũt, qui Penates, & sacra secum adue-

aduexerit, & Græci per medias flammas saluum & incolumem excedere passi fuerint, hostes quamuis & Troianæ genti infestissimi. Cæretani, quòd vrbe à Gallis capta, Romani cum Diis æternoque Vestæ igne ad se profugerant, & vrbe Roma donati fuerunt, & digni habiti, à quorum nomine omnis Deorum suorum cultus cęremoniam traheret, & haberet in perpetuum. Metellus cognomento Pius appellatus fuit, qui pium se adeo, in Palladium Mineruæ simulacrum præstiterit. Pompeius iuuenis olim celebratus, qui pietatem in exercitu, thesseram militarem voluerit. Atque hæc omnia vel in humanis, vel in falsis Diis & Idolis commentitiis locum habuerunt, & tantam eminentiam; in vero cultu, sanctâ Religione pietas non erit honori maximo, clarissimoque ornamento Beatissimo Patriarchæ Ignatio? Pietate quàm singulari pro Catholica Religione, pro Principibus, & Regibus, & Imperatoribus Christianis fuisse dicitur, non est facile commemorare dicendo. Qui Princeps eximius obliuisceretur Romani Pontificis, Vicarii Christi IESV? Scis sancte Deus, maiori semper cura fuisse, maiore & magis inflammato ardore muneris huiusce præstandi. Quid dicam fuisse, illum? ne vel minima vnquam indiligentia in eo animaduersa est. Sed vbi testes sunt tam locupletes, quid moror nonnullis rudi & incondito genere orationis spectaculis proferendis? Vos lacrymæ sanctissimæ, testamini pietatem Ignatii in sanctis precibus statim magna vi & copia semper erumpentibus: vt neque enitens, atque contendens cohibere posset, vsque eò, vt parum affuerit, quin oculorum aciem amiserit. Quod igitur remedium? Quanquam sua nihil, publicæ tamen vtilitatis, vniuersæ Societatis intererat, & coercere, & reprimere vim illam ingentem & flumen lacrymarum. Fuit autem pietate diuina consequutus, cum pro bono publico & Ecclesiæ precaretur, vt lacrymas cum vellet, contineret. Itaque quasi in manu vir sanctissimus habenas teneret, easdem pro voluntate sua, & adducebat, & remittebat. Sed duo pietatis accipite, precor, exempla ex innumerabilibus. Cum adhuc tyro, & nondum se vestibus sæculi exuisset, incidens eques in Maurum Virginis integritatem negantem, sic probri Mariæ allati vlciscendi, & honoris defendendi optimus miles fuit cupidus, vt inscius an occidendi Mauri religione teneretur, à manu habenas deposuerit, relinquens equum, quam versus partem vellet, iter progredi, certus tamen, si quâ Maurus contendebat, progrederetur, hominis occidendi, quòd eam putaret Dei voluntatem. Sed cum diuina

prouidentia aliò deflecteret, abiecit voluntatem, factum illud diuino consilio ducens. Qui miles hac in virginem pietate fuit, & nondum iactis perfectioris vitæ fundamentis, qua precor esset, cum ad tantum perfectionis culmen, summumque fastigium peruenit? Illud etiam notum, qui tribus verbis, piè, benigneque hominem à nostra Religione alienum; Mane nobiscum Isache, compellans adeo ad Dei cultum flexerit, omnino traduxerit. In homines vero talem, tam sanctum se præbuit, qualem in hunc Isachum, qualem scopus instituti sui & Societatis fundatæ, in generis humani societatem infinitam spectans, prædicat & extollit. Qui pius in aduersarios, & suæ Religionis capitales inimicos fuit, qualis in reliquum proximorum genus existimandus erit? Hac pietate in omne genus sanctitatis, & virtutum maximarum excitabatur mirabili studio flagrantique ardore. Hac eadem pietate ad summum contemplationis fastigium, & tantam cum Deo familiaritatem ascendit. Hac, vt materia facilis ad concipiendum ignem, qui flammas mittit, & tollat in sublime, facillimus & aptissimus factus est ad tantas visiones cœlestes, & lumina claritatis diuinæ, quibus à traductione sua per omne tempus illustratus fuit, & visus post mortem plurimis immortalis gloriæ radiis circunfusus. Quibus de splendoribus non dicam amplius, quàm librum totum compactum & concinnatum fuisse. Et addo maximam visionum partem Parentem diuinum cælasse filios suos, quæ sua semper cœlestis admiranda modestia fuit. Si pius Moyses, si pia Virgo, si pius Christus IESVS prædicatur, en pietatis speculum quartum, Virginis, & Verbi splendorem illustraturum clarissimè. Talem ac tantum parentem decebat, lumen istud pietatis. Rex apum aculeis caret, examen reliquum minimè pungens, neque exulcerans, neque vulnus faciens vllum, nihil mali cuiquam inuehens; aculeos infigere solent apes reliquæ, & sæpe, si quando violatæ, vel minimum lacessitæ sunt, bombo terrifico hominem insectantes.

* * *

DE

DE EXORDIO ET NARRATIONE AB ADIVNCTIS.

Am latè patent adiuncta, vt nulla sit pars orationis, quam non obtineant. Patet illorum imperium in amplificationibus. Imperent modò in Exordiis, & in Narrationibus, quarum partium subiicientur exempla.

Exordium ab adiunctis personæ.

MAgnum mihi negotium facesserent aduersarii, Auditores, in hac cathedræ primariæ, quod illi dicunt, dubia & ancipiti contentione, nisi vobis merita cuiuscunque nota essent, & Academiam totam nostri labores alacres & læti peruagarentur. Nam qui vobiscum versatus fui semper, & in hac Academia sic meorum studiorum tabernacula collocaui, vt ab ineunte pueritia prima Grammaticæ rudimenta didicerim, & reliquas artes liberales, ipsam Philosophiam, atque tandem cœlestis disciplinæ studia summo labore, qua spe, quo ingenio, qua auiditate, qua laude audistis omnes, & vidistis, coluerim, & persecutus fuerim, ad gradus vsque petendos, & ad cathedras contendendas, quod modò cernitis, quid vos, minimè peregrinantes, nec errantes tanquam hospites in Academia, sed in cunctorum peruagato sermone versantes, narratione longa remorari velim, non video. Non debemus, qui fuimus aliquando Rhetores, & nostræ eloquentiæ specimen non vnum theatro frequentissimo, sæpe vobis audientibus, in sapientissimorum Doctorum laude præbuimus, obliuisci præceptiones oratorias, quibus vti narratione non licet in re perspicua, & omnibus testata. Quòd si nobilissimi homines olim Romæ canditati, in honorum & Magistratuum suorum petitione, ne parum politi & elegantes haberentur, ab hoc narrandi genere abstinuerunt, me inscientem, inexercitum adeò præstabo, & impollitum, & inelegantem, vt trita narrem & peruulgata? Non faciam, Auditores.

At est aliquis laborum meorum insciens, ignarus progressionum nostrarum, & cursus studiorum: non committam tamen, vt cum suffragatores omnes non insciis sint, vestras aures offendam, quas prælectioni tam attentas præbuistis nec minimum oculos à nobis inter prælegendum auertentes, vt vobis æquissimis Iudicibus, & Academiæ consulendi cupidis admodum diffidam. Quamobrem nulla meorum studiorum mentione habita, nullo de progressionibus verbo facto, quæ in bono præceptore spectanda sint, solum ostendam, & breuiter & simpliciter, ex quibus quid factu optimum sit, boni rerum æstimatores, & incorrupti Iudices intelligatis.

Exordium ab adiunctis loci.

SI quæ loci dignitas huiusce postulat, spectare voluissem Auditores, ab hoc dicendi genere abstinerem hodierno die, neque in hanc theatri amplitudinem, tam illustrem & præclaram loci celebritatē quæ desertis oratoribus, & facultatis Oratoriæ gloria commendatis semper patuit, cum mente semper & animo formidauerim, tum oculis modò in omnes partes coniectis, timere quidem sine magno timore non possum, ascendissem. Quocunq; enim me conuertam, video clarissimos Magistratos, sapientissimos Doctores, lumina & ornamenta Academiæ, Principesque & Antesignanos totius sapientiæ cognitionisque dotibus distinctos, & inter eos, Crassos, Antonios, Ciceriones, ac Demosthenes conspicuos, quorum aspectus timorem iniicit huiusmodi, vt penè mutum & elinguem me non fieri, hiscere ausum fuisse, mihi meam inopiam cogitanti, & eorum thesauros & diuitias eloquentiæ pendenti, mirum profectò videatur. Quòd si summi Oratores in suggestum ascendētes, vix apud se esse visi sunt, & receptui, nondū missa voce, continuò canere cupierunt, sæpe ac sæpius etiā gratiam Auditorum aucupati suarum orationum ornatu & elegantia, quid mihi futurum putatis, qui nullam adhuc gratiam neque collegi, neque merui ex hac loci celebritate deportare? Adductus in has angustias, quibus me videtis, habeo profectò subsidii nihil, nisi opem vestram & benignitatem, qua multorum animos iacentes erigere consueuistis, implorem, quæ plus quidem opis offerre debet, quo magis & illa visus sum tempore indigere, & in eadem spem ponere diffidentiæ nostræ, & examinationis, quæ si non ad pallorem accessit, neque ad præclusum spiritum,

tum, tamen ad officium liberè faciundum, & ad bene de Academia merendum frangit ac debilitat animum. Quare adeste, precor, Auditores, Oratori benignitatem vestram flagitanti, qua timorem, quem amplitudo loci facit, omittens, orationem habeam, de laudibus viri clarissimi hoc consessu Doctissimorum virorum, hoc concursu omnis generis & ordinis alumnorum, tanta spe & expectatione literarum & ornamentorum, quibus abundat materies copiosa nimis & gloriosa Theologorum senatui Doctorum, qui talem ac tantum virum tanta laude cumulatum obtinuerunt, vt maiori nequeant sperare quenquam. Ac si quæratis, quibus de rebus dicturus sim, omissa patria, nobilitate generis, fortunis & opibus amplis, in literarum, in honorum, in virtutum campo latissimo, per spatium, quod Oratori detur, quo poterit ornatu, vobis benigne audientibus, excurret Oratio.

Exordium ex adiunctis temporis, ad Orationem B. Eustachii.

Dies hæc, Auditores, mihi præstituta fœliciter ad B. Eustachii laudem, non bonis oratoribus fugienda fuit, temporum varietatem & conuersionem afferens, lætam & iucundam, & quam vulgus putat aduersam multumque iactatam, licet cultores perfectionis amantes, pro suarum virtutum numeris omnibus expletis, bonam & secundam, id quod faciunt bene quidem, & sic facere debent, appellare consueuerunt. Nam primum secunda fortuna, dum in sæculo fuit, opibus, filiis, vxore, honore nimium amplificata, primam partem sibi vendicat; altera tempus habet Christi IESV in venatione oblati, & ad prælia magni Athletæ Beatum Eustachium comparantis admirandam visionem; tertia conuersiones rerum & inclinationem fortunæ maximam, fortunas amissas, discessum à patriis laribus in inopia extrema lugubrem ac miserum, ablatos filios, ereptam vxorem, ipsum hæc omnia varioque ictus inflictos fortiter pro Christi IESV gloria perferentem; vltima restitutum Eustachium in pristinum statum & honorem maximum, filios & vxorem redditam, ac diuino numine recuperatam, cunctorum fœlicem ac fortunatum progressum in vitæ vsque discessum glorioſum. In quibus omnibus licet Auditores documenta data virtutis, patientiæ, fortitudinis in B. Eustachio, de perenni humani generis inimico triumphante, glorioſasque deportante victorias, agnoscere, laudare, mirari modis omni-

bus, & ipsius Eustachii tam multiplici ratione probati, & spectati, perpetuam constantemque perseuerantiam ante oculos Auditorum imitandam proponere. Nam si Beatum Iob amicum Dei immortalis, vereque tantæ maiestati gratiosum, quo de ipsa sempiterni numinis celsitas gloriatur, patientiæ laudibus & trophæis insignem, decus & lumen inuictorum Dei alumnorum, exemplar inuictæ patientiæ, fortitudinis, & constantiæ viuum & expressum colimus, & veneramur; debemus quidem similem Iob viri præstantissimi Eustachium quoque patientissimum, & eisdem penè in certaminibus celebratum, & trophæis immortalitatis non minoribus exornatum, pari quidem in laude ponere, & ad Dei sempiterni laudem honorandum colendumque hodiernâ, & tam faustâ, tam fortunatâ diei celebritate honoris plenâ oratione proferre. Quòd si mihi quisquam opposuerit peruigilium hoc esse feriarum B. Matthæi, & vespertinum tempus, cum preces vespertinæ tanti Principis huiusce cultu ac religione Mater Ecclesia diuino spiritu afflata recolit, & instaurat, non inficias ire possum, sed priuatim B. Eustachio priuata religione sui studiosorum tempus hoc in sacello sibi consecrato, pro suarum feriarum honore, dicatum fuisse consecratumque meminerit. Atque recordetur idem, ob hanc causam nihil de sanctissimi Apostoli feriis detrahi, quæ publicè cunctorum templorum Ecclesiæ patentibus valuis vbique locorum recoluntur solemni ritu cæremoniisque celebriotibus. Quare dum huius diei celebritate insigni, studiosi B. Eustachii perfruuntur, date veniam ad quatuor tempora vitæ præstituta breui oratione recolenda: quæ vsque eò progrediuntur, vt amissis bonis, ablatis filiis & vxore, eisdemque postea miraculo cœlesti recuperatis, vitam cum sanguine pro Christi IESV Religione Beatissimus profundat Eustachius.

***

EXORDIVM

EXORDIVM EX ADIVNCTIS QVATVOR, *personæ, loci, temporis, ac modi, in laudem Philippi, hoc nomine tertij, Hispaniarum Regis, scholas Societatis IESV inuisentis.*

SI quod tempus fuit, celsissime Rex, in quo Societas IESV, tuis & Austriacæ familiæ Regiæ & excelsæ beneficiis maximis per omnem ætatem, vbique locorum, & Regia planè liberalitate affecta, gratiam aliquam referre potuit, hoc profectò præsens fuit & fœlicissimum, te nostram Academiam inuisente, & splendore tuæ Regiæ Maiestatis scholas illustrante, vt oblatæ fœlicitatis occasionem sine crimine graui, & perfidiæ notâ valde turpi, in sæculorum posteritatem eluendâ nunquam, prætermittere tuæ amplificationis studiosa non potuerit. Tantam enim Maiestatem Regiam, Hispaniarum & Indiarum dominatione fortunatissimam, atque ad vltimos Iaponios, & in Sinarum, quò nullæ gentes accesserunt, sinus remotissimos tanto dominatu penetrantem, dominantemque ditione potentissima, sine summa, debitaque tantæ Maiestati submissione recognoscere debuit in tanta scholis omnibus, Academiæ & huic loco Solis luce oborto splendore clariore. Nam si nullis in locis de tanto tamque præpotenti terrarum Domino Societas non fuisset merita, Regio solumnomine, & sui Regis celsissimi, potentissimiq; solo aspectu illustrata, tam ingentis beneficii magnitudinem, inusitatamque liberalitatem pro suis viribus & facultatibus literariis, atque adeo reduntantibus humanæ facundiæ fluminibus efferre debuisset, præsertim tot innumeris & immortalibus, tot Principum, tot Regum, tot Imperatorum beneficiis affecta, tot ab eisdem Collegiis, domibus Probationum, domicilijsq; Professorum amplificata, per omnes fere partes sedesque Christianorum: Et iis modis atque rationibus, quibus inimicorum fidei conatibus, & hæreticorum factionibus in Societatem tumultuantibus obuiam Principes Austriaci processêre non raro, nostrorum defendendorum, & ab illorum impijs & sacrilegis manibus defendendorum causa. Si Pompeium victorem Asiæ, inuisentem Athenas bonarum artium inuentrices, & imperatoriâ suâ maiestate, ad triumphum vsque permansura, populorum, vrbium, prouinciarum, regnorum dominatu potentissimo carente præditum præceptores omnes literariis honoribus ornandum decorandumq;

curarunt, qua grati animi voluntate, quibus officiis, qua demissione colemus, & quantum in nobis fuerit, hac nostra ingenii tenuitate Regiam hanc Augustam tuam Maiestatem, tot beneficiorum memores obsequio tuo dediti prosequemur? Obest nobis & Oratori tua hæc Maiestas, nostrorum vt oculorum, sic mentis aciem insolito splendore perstringens, non inficiabor: At quam deterrere videtur sceptri potentia Regalis, excitat benignitas tua, tanto Rege, tantoque Cæsare dignissima, quæ dum mihi facit animos ad instituendam orationem, & ad eandem in exitum prouehendam alacritatem afferre non desinet.

EXEMPLA NARRATIONVM ex adiunctis.

EXempla proponemus ex adiunctis aut solis, aut comitatu antecedentium, & consequentium: ex iis tribus duntaxat argumentis, simplices Narrationes constant.

Puer deductus in Societatis IESV scholas.

DEductus fui, à parentibus in Societatis IESV scholas, & primum ad præfectum, qui me excuteret. Qui legendi scribendiq; peritum misit in Primanorum classem, primis Grammaticæ rudimentis imbuendum, quibus institutus, & classes omnes breuiter prætergressus, transii prouectus in Grammaticis ad Rhetores, inter quos versus optimos & solutas orationes facere didici ad Præceptoris, &, quod cuput est, ad Ciceronis imitationem. Orationes pronuntiabam, & suauitate vocis, & venustate agendi, nec vlla fuit Rhetoricæ exercitatio, ad quam cum prouectis non deligerer à Præceptore, cui catus eram, non ingenio solum & literariis progressionibus commendatus, sed etiam propensione in virtutem naturali, frequentatione sacrorum, expiatione conscientiæ celebra, & ab omni dissensione, tumultuque alieno prorsus animo: qui nihil nisi scholas, & domum, & templum tenebam, & ad summum rusticationem propinquiorem vrbi. Cùm in Academiam venirem, primum recta in templum, precibus adhibitis in gymnasium. neque vnquam in porticibus, nunquam in peristylio, nunquam

in

in classe visus fui, nisi res literarias agens. Cùm excessi è Rhetoricis in Dialecticorum gymnasiis candorem illum & mundiciam animi retinere omni semper ope contendi. Liberalium artium curriculum confeci, nunquam publicis concertationibus abesse studens, siue argumentando, siue propugnando boni Dialectici, ac Philosophi nomen obtinui: cuius specimen, non vulgare dedi excussus ad Bacchalaurei Licentiatiq; gradum, quib⁹ insignibus ornatus processi tandem ad Theologos: Theologorum studium & nomen, vt in reliquo progressu feceram, & diligentia & virtute prouehere conatus fui in studiorum vsque cursum confectum. Hic meorum studiorum ad Theologiæ vsq; duplicem lauream cursus perpetuus atq; constans, nullis intermissus ludis, neque vanis oblectationibus, nullis laboribus, neque vigiliis fractus.

Altera Narratio Salmanticensis scholastici.

MIssus Salmanticam à patre, iam Grammaticis & Rhetoricis non mediocriter imbutus, vt iuri ciuili operam nauarem, nihil mihi prius, nec antiquius fuit, quàm vt bene tempus consumerem, & pecunias paternas, disiunctus à vagis & errantibus adolescentulis, & tempus inane terentibus, bene semper insumerem. Adiunxi me ad contubernales, moribus, studiis & voluntate mirificè conuenientes, qui sic partiti tempus fuimus, vt diem audiendis prælectionibus, nocte recolendis separatim in cubiculis, postea spatio trium horarum expleto, cœnati conferremus inter nos: ita sexqui hora cœnando, repetendoque consumpta nos in nostra cubicula redeuntes in duodecimam vsque pensum literarium repetebamus. Quæ vt bene procederent, neque audiendi sacri, neque Virginei circuli vnquam persoluendi, neque excutiendæ conscientiæ consuetudinem intermisimus, octauo quoque die sordes animorum per sacras Confessiones eluendo. Hunc cursum tenuimus per quinquennium, quoad tempus relegendi iuris accessit, & Bacalaurei, tandem iam elapso quinquennio, gradus & honores primi summa præceptoris voluntate delati.

* * *

Narratio petentis Collegium Dialecticæ.

OPpressi inopia parentes mei, Complutum me miserunt post Grammaticæ nauatam operam, vt qui ingenio æqualibus & maioribus natu videbar euellere, & maioribus studiis vacare non poteram in patria, Dialecticæ Collegium contenderem. Qualis euaserim, Vicarius sæpe suæ diligentiæ relictus à præceptore, nolo dicere, qui dicens, me laudarem: Sed tentarunt progressiones meas à vobis Præfecti examinandis adolescentibus, præceptores de vestra Academia magni & exquisiti, qui si non Rhetorem, Grammaticum tamen, & audiendæ Dialecticæ idoneum probarunt, ad artes liberales, & ad Philosophiam me natum acuto ingenio commendarunt, & vos Rector, & Collegæ sapientissimi, suis testimoniis, vt spero, probatum accepistis. Si pro votis non successerit contentio huiusmodi, cogor inopia patrios in lares redire, vbi in Grammaticis consistam, præcisis ad euolandum ingenii pennis. Vos quid optimum factu pro vestra benignitate decernetis.

Narratio petentis Collegium maximum.

INstitutis literis humanioribus, & Rhetoricæ facultate non mediocriter instructus, Collegium Dialecticorum obtinui, in quo cum Collegis meis Dialecticæ, Philosophiæque sic vacaui, vt ad primum in renuntiationibus gradum omni labore ingenium & studium conferrem. Neque in collegio, neque in gymnasiis, neque in publicis concertationibus muneri argumentandi, refellendi, & oponendi defuisse videbor: qui primas detuli, quas omnes mihi pollicebantur, & condiscipuli deferebant ingenio, studio, progressionibus meis. Hac celebritate laureæ sic creuit fama mei nominis, vt Theologorum Collegium sine cunctatione nactus fuerim. In quo sustinui quidem nominis existimationem, & eam opinionem alui scientiæ, acuminis, progressionum, quæ me ad summum Collegium appetendum perduxit, quod non contenderem quidem, nisi commemoratis studiorum incrementis niteret.

***

Narratio petentis Canonicatum siue Cathedram.

RAtio ipsa postulat, vt quoniam quatuor de Canonicatu Hispalensi tam amplo tamque honorifico decertamus, rationem breuiter suorum exponat quisque studiorum. Omissis literis humanioribus, quæ fundamenta bonarum artium & disciplinarum sunt, quoniam illorum cognitionem candorem sermonis, & facilitatem Latinè loquendi ex prælectione potuistis intelligere, Salmanticam scitote meorum studiorum fuisse parentem. In qua quinquennio confecto Baccalaurei gradum accepi, inde me in D. Hieronymi cœnobium ius ciuile relecturus recepi, in quo quantum alii relaxandis corporibus dare solent, tantum me studiis vtriusque Iuris tradidi, & collegii, & cathedræ appetendæ proposito & voluntate deliberata, vt inde ad Canonicatum, ad consilium Censorum sacræ fidei, vel ad Regium supremumque Senatum, adiuuante Deo, totus aspirarem. Succesſerunt omnia mihi pro votis, qui mentem animumq; ad altiora direxeram semper, atque contuleram. Nam Licentiati laurea decoratus, in B. Barbaræ Sacello, cuius audito nomine tremit doctissimus quisque, cunctis Doctoribus nostram scientiam cognitionemque Iuris acclamatione comprobantibus. Continuò ad ingenii documenta danda publicè prælegendo me contuli: magnam enim ex studiis, maiorem ex laurea tanta comprobatione, & plausu honorifico consequuto nominis gloriam pepereram. Neque prælegendo solùm detentus fui, vnà Collegium vetus contendi, obtinui. Annus duntaxat fuit interim dum antiquior me contentebat, à quo cathedram contendi, & quod paucis contingit, etiam sapientissimis, ex prima contentione institutionum cathedram detuli, suffragiorum ingenti multitudine meis candidatis antecellens. His trophæis & insignibus literarum me comparaui ad Sacerdotium amplissimum Hispalense, vnde Deus potest patefacere nobis aditum ad opes nostris maiores, quibus Ecclesiæ commodare valeamus, & huic Hispalensi Ecclesiæ honori & gloriæ decursu temporis vobis adiuuantibus, esse. Candidati nostri potuerunt iactare progressus literarios simpliciter adumbratos narratione breui, non tantam Doctorum comprobationem, non Salmanticensem gradum, non Collegium, non Cathedram, non data publicis prælectionibus ingenii documenta in eadem florentissima Salmanticensi Academia.

Obseruatio

Obseruatio.

HÆ Narrationes simplices sunt, & temporum ordinem seruant, quæ omnes ex adiunctis, antecedentibus, & consequentibus constant, vt sint perspicuæ, vt breues: cùm semel res dicantur & breuiter, credibiles fiunt rationibus allatis, neque deest varietas, vt iucunda sint, his enim virtutibus narratio constat. Sed hæ Narrationes pro exornatione: quæ sequuntur, spectant ad deliberationem. Quæ cum duplex sit, priuata, & publica: illa Narrationem nunquam exiget, eius duntaxat rei, de qua dicenda est, quia nemo ignorat id, de quo consulit. Extrinsecus possunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus sæpe illa, quæ ordinem rei docet, necessaria est narratio, in quibus Narratio breuis esse potest, propter concursum multorum, qui insci sunt eius rei, qua venit in deliberationem.

Narratio ad deliberationem in bello contra Agarenos Granatenses.

GRraue bellum & periculosum ab Agarenis Granatensi Regno infertur, qui in Philippum Regem concitati sunt, & ab aliis sectæ Mahumetes sectatoribus adiuuantur. Qui Regulum iam inde clàm à multis mensibus creatum renuntiarunt, & belli faciendi causa montes altissimos, & omni propè aditu præclusos occuparunt, quorum & notitia, & difficultate locorum freti sperant se, quod per summam perfidiam tentarunt, per crudelitatem non minores esse confecturos. Afferuntur quotidie literæ Granatensium Christianorum, quorum magnæ villæ, prædia & reditus aguntur, vitam summum in periculum adduci cunctorum, res populorum finitimorum multas direptas & vicos exustos esse non paucos, templa euersa, aras disiectas, cõculcatas imagines Sanctorum, Sacerdotes crudelissimis suppliciis affectos, dissectos corde, & intestinis proiectis foras, impiè ac nefariè necari, ingentem carnificinam omnis generis Christianorum, qui vbiq; capiuntur, fieri, itinera

præclusa

præclusa, montes occupatos, confluere ad illos sui generis homines, & Africanos, & ex Regno Argilienſi multitudinem innumerabilem, Marchionem Beiarenſem magnis rebus geſtis huic bello propter locorum diuerſitatem non ſatis eſſe conficiundo. Vnum à Granatenſibus Dominum Ioannem excellentiſſimum ab Auſtria fratrem tuum depoſci atque expeti, eundem hunc pro magnitudine animi, pro fortitudine à Carolo V. patre ſuo tuoque, Imperatore inuictiſſimo, hæreditariò accepta, metui, præterea neminem. Bellum quod ſit, vides, Rex Catholice, nunc quid agendum ſit conſidera.

Altera Narratio ad prælium nauale.

REx Turcarum immaniſſimus, & Imperii ſui propagandi cauſa, & Chriſtiani nominis extinguendi deſiderio flagrans, magnam claſſem rebus omnibus ornatam & inſtructam comparauit, quâ in Siciliam prouinciam tuam, Rex Catholice, primum inuadere, eſt in animo, inde in magnas Italiæ partes, quibus præoccupatis, & Romæ, & tuis finitimis Regnis, id quod facile putat, copiis omnibus pedeſtribus & equeſtribus imminere. Sicilienſes Itali in magno metu ſunt, & in periculo, quod vides, ſi quemadmodum impius Rex Turcarum minitatur, impetum in has partes fecerit. Romanus Pontifex per literas, per legatos cum Chriſtianis Principibus, & cum Venetis egit, te ſemper Catholice Rex dutem cæteris præponens, vt fœdus ineatis in tam immanem Turcarum Regem, eaque de cauſſa claſſem plurimis nauibus ornatam & inſtructam comparetis ad illius conatus infringendos, & ad opes euertendas terrimi tyranni, vt cum diuino præſertim auxilio, tum machinis bellicis, quibus ille fidit, ſuam debilitetis, & frangatis potentiam, vt nouerit, quibus cum ſibi res ſit, quoque pugnent ſummo præpotentique Duce. Huic pugnæ nauali ducem & Imperatorem omnes præponi volunt fratrem tuum excellentiſſimum Ioannem Auſtriacum, rebus bellicis inſignem, & victoriis de Agarenorum gente deportatis, notum patriæ fortitudinis exemplar, cuius nomine, hoſtiles Turcarum impetus probè norunt facili negotio eſſe retardatos. Hunc propter fortitudinem, prudentiam, fœlicitatemque ab hoſtibus metui, præterea neminem.

Vltima

Vltima Narratio in deliberatione.

OMnes Hispani, Rex Catholice Philippe hoc nomine III. legatos ad tuam Regiam & Augustam Maiestatem mittunt, meque oratorem huic causæ præfecerunt, qui dicendo rem facilè suadere possem propter vsum & exercitationem, & propter graues & difficiles alias legationes obitas in Romana cura Regumque aliorum maximorum aula. Quos ipsi propè exploratum habent, ex illorum perfidia maxima, & ab hinc tot annos retenta Mahumetes sectâ nefariâ, tuis Regnis malum aliquod comparare grauissimum, eiusque rei transiente causa cœtus nocturnos cogere; cum Agarenis diuersarum Prouinciarum, per literas, per internuncios agere, eò iam rem perduxisse vt arma comparent, instrumenta bellica in specus occultissimas conferant, pecunias cogant, ducesque proponant, ad capiendam occupandamque Hispaniam, quam illi suam nuncupant; Illi nobis inopinantibus diem præstitutum esse dicunt iam, cum quo maxime Christiani in exequiis Christi IESV, vita functi instaurandi, inter seque recolendis, occupati distentique sint. Omnes Hispani me rem hanc tibi, Rex Catholice, suadere volunt, atque eo magis, quod scelus post hominum memoriam inauditum non tam occultè conflare potuerunt, vt non ad tuæ Maiestatis aures peruenerit, & abhinc annum de re transigenda consulas, & sapientissimos, maximosque Christianæ fidei cultores in deliberationes adhibeas, tum quòd à Regibus aliis de perfidia deterrima, vt tuis caueas, tibi consulas, literas acceperis: atque hac de causa, quòd nisi profideas maturè, cum velis, & maxime cupias, non poteris, oppressus nequissimorum hominum insidiis. Quæ quoniam sic patent, & illustratæ sunt insidiæ, vt in actum propè iam erupisse videantur, & non adumbrata, sed expressa machinæ, quam moliebantur, vestigia intueris id te prænonitum habere vellent Hispani tui semen malorum & stirpem tantæ proditionis à Valentinis Agarenis ortam, progressam ad Castellanos, & productam ad incolas & habitatores prouinciæ Bethicæ, cui quoniam finitimi sunt Africanis, viciniores mari facilè se conuectam rem daturos esse putent, vt vno die, vna hora occupatos Christianos in Passione Christi IESV recolenda inopinantes opprimant, diuersisque in locis, cunctis partibus Regnorum tuorum, cum tot millia in tuam Regiam Maiestatem, in tuos, & Christi fidem concitata videantur,

videantur, multitudine bellorum oppressus, Rex Catholic, succurrere non possis, id temporis tota Valentia, Castella noua, & veteri, Bethica vniuersa, omnibus Hispaniarum fluminibus sanguine reduntant bus. Summa coniurationis & perfidiæ breuiter à me fuit exposita; quid illi tentauerint, ac moliti fuerint vides; tu quos Agarenos excludendos, & è Regnis ejiciendos curare debes, & per quos potissimum Regni tui Principes, pro tuo summo consilio considerabis. Primum enim mihi de genere gentis Agarenorum, deinde de coniuratione sua nefaria, ac de perfidia in tuam, diuinamque Maiestatem, postremò de impietate, Christianoque nomini infestæ gentis electione videtur esse dicendum.

Mandauimus literis tres Narrationes, ad Suasoriæ Narrationis exercitationem. Excute singulas & explora, eas virtutibus Narrationis quatuor, breuitate, perspicuitate, veritate, & quod placet Ciceroni, & Quintiliano, Græcis omnibus, & maximè Hermogeni, instructas & ornatas videbis.

De Narratione iudiciali.

QVanquam à Iudicii Narrationibus possem abstinere, & deberem quidem aliqua subiecta Ciceronis contentus esse; cui tantum tribuo, vt pudeat me, & omnes pudere debeat, vbi Cicero loquutus fuit, verbum vllum proloqui, cùm inscientiæ sit, vel extrema potius dementiæ, aliquid illo dicente, vel scribente, in eodem genere dicendo, vel scribendo tentare quenquam, tamen ignosci meæ audaciæ debet, quòd in nostris rebus, & propriis Christianorum adumbrare conatus fuerim summum eloquentiæ Principem, veteribus omissis exemplis, quorum nullum in nostrum vsum cadere potest. Duas igitur Narrationes nostras inspiciat, & explicet nouus Rhetor, ex quibus suas possit exprimere facilius in fictis causis: nam in veris nunquam versabitur, ab Oratoribus iudiciis translatis ad Iurisperitos.

Narratio

Narratio in genus Iudiciale cadens, ad Lutheri accusationem.

OMnia quò facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam dum breuiter expono, quæso diligenter attendite. Nefarius Lutherus aditu ad cupiditates suas & honore præcluso, cum statuisset omni scelere vexare Christianam Religionem, videretque ita Fidem Christi IESV in Hispania cultam, vt vim nullam sui conatus nefarii habere possent, & vt carcerem, & vincula Quæsitorum Fidei sanctissimorum effugeret, & flammas ignis, quo arderet hæreseos damnatus præceptor sacrilegus, & liberas quæreret prouincias erroribus hæreseos inquinatas, ad lacerandam Christianam Religionem, subitò reliquit Hispaniam, & abiectis insignibus Religiosi, se in Germaniam ad suos conatus & machinationes appositam contulit. Videbat liberum sibi ad eas partes aditum futurum esse, vt errores suos spargeret, & infectas partes magis inquinaret suarum opinionum commentis, vbi frænum iniici sibi non posset, & liberioris vitæ homines cupidi, in errores omnes, in fallacias, & fraudes omnes inducerentur dogmatibus Lutheranæ sectæ, vitam vagam & solutam, & carnis blanditias omnes & lenocinia tribuentibus. Cœpit ergo primùm in Romanam Sedem, in Vicarii Christi IESV sanctissima placita, nefariè probra conijcere, vt Capite vexato suis contumelijs, homines ab obedientia Catholicæ Sedis abduceret, quæque doceret Cathedra sanctissima, quæque præscriberet, falsa esse persuaderet rudi & imperitæ multitudini, & hominibus carnis & libidinum appetentibus. Inde imprudenter ad virginalem statum, liberumque arbitrium oppugnandum aggreditur; quod vinculis astringi non posset, vt ille falsò dicebat, surgentibus passim & rebellantibus in hominem motibus effrænatis at turpibus. Inde laxare habenas properauit carnis intemperantiæ, in omnem libidinem effusæ, dare facultatem virginibus nubendi virginitatis voto denunctis, quòd non tenerentur vlla voti Religione in tanta carnis lasciuientis, & ebullientium turbationum rebelli, ne. Qui hæc sustulit, tollebat etiá Confessionem auricularem de Ecclesia, Sacramenta omnia, imagines Sanctorũ, ritus tandem omnes & cæremonias, quasi hominum inuenta potiùs, quàm dogmata delata mortalibus ad salutem & gloriam immortalem, comparan-

parandam necessaria. Vt reliquos incitaret suo prauo exemplo, quoniam quod Princeps & caput facit, id fieri licere sibi facile in animum cæci & amentes inducunt, quamuis impium, & diuinis legibus infestum, ne pluribus moretur, ducit vxorem, & ducit in matrimonium nefariam Monialem virginem, Deo dicatam voti Religione, & publicè, & cunctis inspectantibus, & sacrilegas nuptias non matrimonij dignitate, sed sceleris societate celebrat, coniunctis epulis, vino, saltatione, tympanis, choreisque turpissimis exhilarantibus. Hic tunc alacer & lætus (qui enim superiora commiserat, quid non sceleris admitteret?) impudenti ore loca omnia infestare, spargere ac diffundere venenum ad sectam corroborandam & augendam, concionari vijs omnibus & compitis, quasi missus de cœlo vates: ad illum omnes libertatis amantes, omnibus libidinibus & flagitijs constricti concurrere, in suam se aggregare sectam: deniq; eò peruentum, vt omnes finitimæ nationes, quæ eodem ingenio & naturâ erant, tentatæ primùm, deinde infectæ, tandem eruperint ex latebris & tenebris Lutheranâ factione tumultuantes. Tumultuari igitur omnes, & principum aliquorum amentiâ Lutheranorum furores alitres denio; armis castriſq; tentari, institui Ecclesia noua, ex fallacijs & fraudibus conflata Lutheranis, abiici, repudiari Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Fides & Obedientia sanctissima Romano Pontifici debita, & ad salutem, gloriamq; cœli necessaria. Hæc si misera, si luctuosa, si animis perniciosa, si Deo immortali cœlitibusque bellum impium & exitiale faciunt, cur non accusem, & quo narrandi ordine in detestatum iudicium Lutherum adducam, tanti concilij auctoritate damnandum? Cuius vt reliqua scelera missa faciam, mortem teterrimam vitæ nefariæ, flagitiosæq; consentaneam, & ex tu fœdissimo terminatam, & ab illius vitæ sceleratis sacrilegisq; sectatoribus occultatam, per summum dedecus, & probrum obitam, & ad illum damnandum, & omnibus ignominiæ maculis inurendum multum facientem, inter confirmandum, defectione & impuritate breuiter expositâ, vestris nollem animis pro atrocitate post hominum memoriam inauditæ accusationis excidere.

Hac in narratione nullam cupies virtutem, quam non inuenies. Est enim breuis, nihil hic repetens, & nullius rem exaggerationibus, si Lutheri perfidiam, scelera, & sacrilegia perpendas, auget: credibilius est, cùm verissima narret & ra-

tionem reddat singulorum testata cunctisq; cognita proferat: suauis admodum est, quæ perturbationes, motus animorum, exitus inopinatos, colloquia personarum, tristitias, voluptates, lætitias continet.

Altera ad iudicium spectans narratio de equite Salmanticensi ab scholasticis occiso.

Ciuitas est in Castella veteri, imprimis illustris prouinciæ clara & nobilis; homines autem ipsi Salmanticenses, cùm summè in honestos & nobiles officiosi, tum præterea maximè vrbani & elegantes in scholasticos, propè, præter cæteros Castellanos, ad otium & quietem potius, quam ad vllam vim & seditionem accommodati. Accidit cùm eques quidam, cum alijs suigeneris ac fortunæ nocturno tempore, mutatis, vt fieri solet, diurnis vestibus, in simulatorum habitu atque forma lustraret vrbem vsitato more & consuetudine, galero caput & pallio faciem obuolutus, vt incideret in nescio quos scholasticos non admodum sedatos & quietos, qui continuò lacessere equitem cœperunt, & nescio quæ ridicula in illum iacere; quæ probra bonus eques ducens, & in eam partem accipiens, vt se dedecoratum putaret, & ad vlciscendum se, quasi legibus sæculi astrictum, parem gratiam, simila retorquendo, quæ illos morderent, referre cœpit. Adolescentes qui ad respondendum paratissimi, & vt se homines præbere viderentur, reiiciendis retorquendisque dictis constantes, & ad libidinem suam omnia facere assuefacti, pergere ac perstare suis incœptis. Irasci Eques, & illius comites, & alumni Academiæ multò magis flagrare, vt iam parum quin ad gladios: sed interuenerunt nescio qui, ij summa vi retinere equitem, & aduersarios conati sunt, vicini scilicet, qui clamoribus excitati concurrunt illicò. Eques, qui iam transigendæ rei occasionem non habebat; & adolescentes, qui interuentu vicinorum impediti, ne noti quidem, inde discedunt, sed interminati, fore vt vlciscerentur seipsos. Diuersas igitur vias ingressi, nescio quomodo post mediam multum noctem, iterum plateam conuenerunt in vnam, qui vbi nouerunt seipsos, vtraque pars clamare, hic locus & tempus vlciscendi. Educuntur gladij, ab vtraque parte, fit impetus vehemens,

vehemens, clamor interea fit in plateâ ſtrepituſque exauditur armorum, & ictuum viciſſim inflictorum crepitus & creber & frequens, nec tamen, quia media nox erat, & omnes cubabant in lectis, tam citò exauditur, quòd ferè iam per aliquod ſpatium gladijs decertarant inter ſe. Pro ſe quiſque manus afferebat: vexatur eques ab ſcholaſticis, qui numero plures erant, & gladij vtendi non inſcij, & cùm duo equitis comites leuiter ſauciarentur in turba, ſcholaſticus item vulneraretur; eques tandem accepto graui vulnere concidit, queſtus lætalem ſe accepiſſe plagam. Hic Prætor Salmanticenſis, neſcio quo caſu, obiens, vt ex officio facit, vrbem, in plateam accedens, audire viſus ſtrepitum clamoremque turbæ, accelerat. Atque ſcholaſtici, qui nouerunt Prætorem & ſatellites, diffugere cœperunt veloci curſu, qui vellent Prætoris manus effugere, & equitem mortuum putabant, & Confeſſionem efflagitantem audierant. Aduolare Prætor, & incitare ſuos ſatellites ad capiendos auctores cædis; ſcholaſtici accelerare magis fugam, properare non minus velociter Prætor & ſatellites, & iam iam patum à comprehendendis auctoribus cædis abeſſe: reliquis deflectentibus, & neſcio quibus deuerticulis euadentibus, duo ſcholaſtici comprehenduntur, & auctor cædis. Deducuntur in cuſtodiam vrbis publicam, & vinculis mandati, manicis compedibuſque vexantur, atque adeò detruduntur in neruos. Quid hic tumultus exortum in ciuitate, dum effertur brachijs nonnullorum totus ſanguine manans eques, & qui nondum illatus in domum, ipſo in limine egiſſe viſus eſt animam, ſine expiatione conſcientiæ, nullis Sacramentis exceptis. Qui fletus hic domeſticorum, qui ploratus puerorum, qui ciulatus vxoris & mulierum! omnia luctibus perſonabant. Neque quidquam miſerius, nihil luctuoſius, quàm exanimatam coniugem videre, humi proſtratam per multum tempus, ore, vultu, voceque ablata mulierum effigiem ſpirantium mortuam. Interea cæde totâ vibe diuulgata, & ſcholaſticorum comprehenſione, cuſtodiaque Academiæ filios perturbante, videres amplius mille ſcholaſticos aduolare in carcerem, & omnes armatos obſidere ex omni parte, cædere ictibus ianuas vehementer, depoſcere comprehenſos, & quia ſuæ iuriſdictionis non eſſent, nec ad Prætorem pertinerent, diplomatibus Pontificum Romanorũ, Regijs ſanctionibus, Prærogatiuis, & immunitatibus Academiæ Rectori reddẽdos reſtituẽdoſq; depoſcere. Iterare & ingeminare voces

cuncti, ni redderent, & statim frangendas portas, perrumpendos aditus, & ad minimum ligonibus, falcibus, machinis alijs & instrumentis ferreis euellendas deiiciendasq; portas omnes. Hæc ante custodiam publicam, in plateâ verò maximâ, vbi ædes Prætoris erant, non minores motus, tumultus maximi. Oppidani vocabantur ad arma, vt auxilio iam & subsidio Regi venirent iussi. Rector excitatus, magna turba comitatus primò petere carcerem pacandorum & sedandorum scholasticorum causa, deinde domum Prætoris: suis polliceri comprehensos se repetiturum, & suo iure efflagitaturum, nec capturum interuallum requietis, quo ad ij redderentur. A Prætore reddi sibi comprehensos efflagitare, quòd ad se pertinerent, quòd comprehendere ille iure non potuisset. Rogare, nollet vrbem in discrimen adduci, tantos motus concitari, sanguine redundare loca omnia, nosse naturam, ferocitatem, consuetudinemque scholasticorum, quos volens & maximè contendens continere non posset, ius esse Rectoris, quando Rector nunquam oppidanos, ne Prætor scholasticos vinctos constrictosque habere vellet in custodia. Se hoc cunctis audientibus Rectorem indicere Prætori, præmonere, vt si quid postea mali, vrbis moderatoris culpam omnem esse nossent omnes, eâ carere Rectorem, qui pacem, qui quietem, qui nihil vellet præter ius suum. Commotus metu Prætor & Rectoris officio, tantaque vrbanitate, metuens etiam perniciem vrbi impendentem, & feros mores, flagranteque animos adolescentum, adijt custodiam publicã, cunctis lætantibus & exultantibus oppidanis, & Academiæ scholasticis, & restituit comprehensos Rectori, prædicens præmonensque in scholasticos occisores, tanti equitis habita quæstione cædis, animaduerteret. Rectore ea, quæ sequuta fuit die, quæ fuit proxima Calendis Iunij quæstionem habere cœpit de cæde: nam reliquos, nihil erat, quod comprehendendos inuestigaret, ac quæreret, quòd abierant ex vrbe, & quò ille nesciret, neq; quisquam indicare poterat; sic eadem nocte, inscijs omnibus, & repetendis scholasticis comprehensis omnes occupati fuerant.

Quæ virtutes in priore narratione spectandæ sunt, has non minus perspicuas reddidit posterior consequuta narratio.

DE

DE EPILOGIS AB ADIVNCTIS.

EPilogi non petuntur ab adiunctis, sed à partium distributione per enumerationem, cùm amplificatione non vtaris. Sed quoniam vrgere posset quis, coacervationem hanc, seu summam rerum, decursis breuiter capitibus, in adiuncta cadere; Huic non obsistam magnopere, dummodò à trito & Regio Doctorum artis oratoriæ itinere non deflectamus. Vt illi tamen faciam satis, vnum subijciam exemplum, quod nihil mea, vel adiunctorum frequentatione, vel enumeratione constare dicat aliquis, dummodò contra Rhetorum præscriptiones non veniamus. Exemplum ducetur ad absoluendam orationem ex adiunctis corporis, fortunæ, & animi perductam ad exitum vsque suum.

Peroratio Orationis ex adiunctorum frequentatione.

QVamobrem, doctissime vir, si nobilitate generis, si patriæ claritate viges, si patrimonium iam lautum & copiosum accepisti, & illius reditus, ad literarios sumptus, & ad pietatis opera contulisti: si magna eloquentia, liberalium artium cognitione, si sacra cœlestisque disciplina, si varia multiplicique rerum scientia præditus es: si is es, qui ad suggesta celebriora, ad magnas Ecclesiæ dignitates aspiras, si hoc tempore lauream Doctoris tantò plausu, & Academiæ totius acclamatione accipis, si cunctorum oculi in te coniiciuntur, & honorifici priuatim & publicè de te sermones habentur; exple cunctorum animos, spes & expectationes maximas, quas cuncti de te habent, laboribus, vigilijs, virtutibus tuis, magnis in Ecclesiã meritis, maiores, & ampliores redde. Quò te præconia superiora, quò tot decora & ornamenta vocant, quemadmodum adhuc fecisti, solita celebritate perge. Cùm id præstiteris, te maioribus tuis, te tot laudibus congestis, te claris Ecclesiæ sedibus, te, quod caput est, Christiani Doctoris nomine, & honore dignum putabis, & similem quidem eorum, quos Principes Ecclesiæ magnos ex hac Academia florentissima prodijsse multi sciunt, & recordantur. Neque enim quod tuis laboribus, quod tuis ornamentis clarius

& illustrius tibi comparare valeas, boni vnquam nobilitatis, sapientiæ, virtutis æstimatores inuenient. In hoc enim est elaborandum, hoc bonis omnibus & illustribus viris, sapientissimisq; Doctoribus perficiendum, vt Rempub. vt Ecclesiam, vt Deum immortalem pulcherrimis suis in actionibus sibi omni loco ac tempore proponant, & hoc itinere cursus faciant, ad Beatorum gloriam progressione mirabili comparandam.

DE GENERE, ET FORMA.

PARTIVM distributionem genus sequatur & forma, quòd ad illius similitudinem amplificandi ratio conferatur, cùm primum genus ipsum, vel aliquid loco generis proponatur, inde dilatetur oratio, partibus aliquot, quæ sint veluti formæ, vel formis ipsis nonnullis amplificationis decursis: sed amplificationem antecedant generis vel formæ præceptiones.

Genus igitur est, quod duas aut plures partes, sui ipsius communione similes amplectitur, quæ formæ dicuntur. Vt virtus genus est, continet in se iustitiam, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam. Ars est genus, continet in se Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam. Animal genus est, amplectens hominem, equum, leonem, & alia animalia. Locus est genus, Asiæ, Europæ, Africæ, regionis, ciuitatis, pagi, domus. Tempus est genus, temporis præteriti, præsentis, & futuri, anni, mensis, hebdomadæ diei, horæ: item ætatum hominis, infantiæ, pueritiæ, iuuentutis, virilis ætatis, senectutis.

Triplicia sunt genera: summa, vltima, & media. Summa genera dicuntur, alio nomine cathegoriæ: ea autem sunt, supra quæ nulla alia genera sunt, eaque sunt decem, quæ his vocabulis nominantur: Substantia, qualitas, quantitas, rela-

relatio, actio, perpessio, vbi, quando, situs, habere. Vltima genera sunt, quæ solum dicuntur de individuis, vt homo de Socrate, Platone, Aristotele. Media, seu interiecta genera sunt, quæ inter summa, & vltima continentur, vt inter substantiam & hominem, est corporeum, corpus animatum, sentiens, animal.

Species verbum priscum est, cuius composita tantùm extant, & hæc deriuata, specula, speculator: solebant enim prisci Latini ex edito saxo, cui specula nomen erat, obseruare, quid procul agerent hostes. Inde species pro re visa, vt facies pro re facta, dicitur: ipsa igitur imago, quæ in aspiciendi instrumentum reciperetur, species fuit vocata. Quæ à Rhetoricis forma dicitur. Nobis hoc loco species, siue forma, est pars generi subiecta, vt Dialectica, Rhetorica, Prætura, Consulatus, Tribunatus. Vt quod iustitia est, vtique virtus est.

Rationes amplificandi à genere.

PRima ratio amplificandi à genere, nihil aliud est, quàm cùm à genere proposito dilabimur in species, vt si virtutem laudes in formas aliquot descendens à genere.

Laus virtutis à genere.

QVidni commendemus virtutem, quæ nobiles habet, & cœlestes ac diuinas filias, fœtus suæ dignitatis vberrimos ac præstantissimos? Age enim laudares iustitiam, ius suum vnicuique tribuentem; laudares fortitudinem, res arduas ac difficiles aggredientem, nulla pericula formidantem, omnia constanti robore ac virtute perficientem, nisi virtutis laude niteretur? laudares temperantiam, in libidines, ac non rectos animi motus, firma & moderata dominatione tenentem imperium, nisi virtutis laudem & decus consectaretur? Denique num prudentia rerum gerendarum rationem & vim obtineret, nisi gubernacula tractaret ex virtutis rectis maximeque deuinctis vinculis, & aptissima suauissimaque lege constrictis? Nisi Dux & Princeps præfineret, quid in quacunque re agen-

dum, quò progrediendum, quo quidque exitu terminandum esset? Inde quidem iusti nomen iustè deportarunt: fortes nunquam abiecerunt excellentiam animi sui ad res sordidas & abiectas, nihilque fractis & angustis animis fecerunt. Ipsi verò temperantes homines, sic modum & finem tenuerunt, vt nullos vnquam fines transilientes, naturæ leges seruauerint, mandata Dei coluerint, humana diuinaque iura integra & inuiolata conseruauerint: Prudentes ipsi quasi gubernaculum manu tenentes, flatu secundo semper vecti, portum pacatum & tranquillum tenuerint, sine vllo, quo sæpe homines pereunt, matia periculosa ingressi, naufragio facto.

Altera exercitatio de eodem genere in formas distributo.

SI laudantur artes ingenuæ & liberales; quæ ingenuos, & honestos homines reddunt suis inuentis & laudibus eximijs, quæ laus Dialecticæ, quæ Arithmeticæ, quæ Geometriæ, quæ Rhetoricæ laus tribuetur? hæ omnes artium numero magnarũ contentæ suis omnibus numeris absolutæ explentur. Qui enim Arithmetica numerorum rationes; Geometria, terrarum situs, & dimensiones; Dialectica, verum à falso disiunctum, ac diiudicatum; Rhetorica, tantam elegantiam & ornatum, tot insignia & lumina protulisset ad vsum & ad splendorem humani generis clarum & illustrem, nisi artis viam & rationem sequeretur quælibet facultas & ars enumerata? Quidquid, Auditores, numeris deuinctum, dimensione definitum, veritate comprobatum, & luminibus illustratum orationis legeritis, & audieritis, ab artis excellentia ductum ac profectum putate; quæ rem suam, munus, & institutum prouehit in tantam amplitudinem, vt ab illa omne suum decus & gloria proficiscatur.

Secunda amplificationis ratio, præposito aliquo generali, quasi genere, vnde vis omnis emanet ad amplificationem.

ET enim; Auditores, cùm omnibus me virtutibus natum esse cupiam, tum id vehementer appeto, vt gratus sim, & dicar, & videar. Hæc est enim vna non solùm virtus magna, sed fons & origo bonorum sine dubitatione maximorum. Quid enim pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni ciues,

nisi

nisi qui de patria bene meriti sunt? qui fortes milites, qui magni Imperatores, nisi qui fortitudinem acceptam à Deo in Reipub. ac patriæ defensionem contulerunt? qui verè Reges, nisi qui Regiam potestatem à Deo tributam, Deo ipsi tribuunt sacram tuendo Religionem? qui vero magis sapientes, quam qui Academijs meritam gratiam referunt? Illâ vero hominis ratione, quâ cognoscimus Deum principem & auctorem rerum omniũ, eidem summo, præpotentique Domino gratias agendas intelligamus, & tanquam parenti, cui omnia debeantur, tribuendaque sint, grati ac memores nostras actiones, fortunas, vires corporis, studia literarum, sapientiam omnem, vitam, summa demissione exhibeamus. Quis enim mortalium vel paululum intelligens, cui non veniat in mentem, si qui sumus, si qui fuerimus progressu temporis, si quidquid habuerimus bonorum aut felicitatis, id in fontem bonorum Deum, à quo cuncta profluxerunt, vt in mare flumina debere suo quidem iure redire; ipsiusque Domini sic omnia esse, cuncta sic Deo celsissimo deberi, vt non ingrati solum, sed impij debeant appellari, & sane re ipsa fuerint, qui non in illis gratam diuini numinis memoriam prosequantur. Denique sic se ingratos homines habere certo sciant, atq; latrones nefarij, prædones impij, qui ex direptione viuunt, & aliquando prædas non facturi mortis interuentu, tam ingrati animi labem Luciferi diuinam gloriam præripientis supplicio, tandem aliquando in inferiorum sedibus luituri, & nulla vnquam pœnarum intermissione maxmarum recreandi.

Altera exercitatio, aliquo prapositio generali loco generis, in partes excurrens instituto conuenientes.

O Fallaces hominum spes! O cogitationes inanes! O miseram ærumnosamque fortunam, & in medio cursu, tum, cùm minus opinamur, deficientem & opprimentem homines clarissimos, insperatæ & inopinatæ mortis interuentu! Omnes modo mortem excellentissimi Domini Ioannis ab Austria lugent. Lugent Hispani, quorum sedibus patrijs natus fuit: lugent Granatenses, à quorum ceruicibus gladios Agarenorum hostiles & impios depulit: lugent Itali, cuius fortitudine ac fœlicitate superatam Turcarum classem, & maiore quidem ex parte submersam & obrutam, vrbibus & prouincijs propinquioribus imminentem recordantur: lugent Flandri, quo im-

peratore impetus hostium retardatos, tot victorias consequutas, Religionem Christi Iesu defensam nunquam obliiscentur: lugent fortissimi viri, quo mortuo fortitudinis tantum propugnaculum amissum dolebunt magis in posterum: lugent Heroes & Principes Hispaniarum, cùm decus & lumen Hispaniæ tam præter opinionem, ac subito extinctum aspiciunt: luget frater illius Philippus, secundus hoc nomine Rex Hispaniarum, qui similem illius nunquam adipiscetur ad metum hostibus injiciendum: luget Romanus Pontifex, tantum fidei præsidium, tantum columen & robur, terra marique Religionis hostibus formidatum animaduertens è viuis ablatum: lugent cuncta Regna Hispaniarum, & Indiarum, quod tanto lumine fortitudinis & Religionis clarissimo orbata se vident: lugent postremo vrbes nostræ, prouinciæ, regna, & in sordibus & squalore iacent, quæ tantum defensorem & propugnatorem rerum suarum alienis in sedibus, tamque remotis mortuum acceperunt, vt illius saltem cadauer habere non merita fuerit Hispania, vbi pro meritis sepeliretur, & ossibus ornaretur decoraretur que patrium solum, de tanto Principe gloriandi nunquam finem facturum. Obijt enim diem suum in Flandria, quanquam sui generis Principibus, & Hispaniarum id temporis Philippo Regi fratri subiecta: tamen quantis sumptibus, qua magnificentia, quo superbissimo & magnificentissimo, ac prope Regali Hispaniarum incolæ cunctis in vrbibus exequias ad mœrorem luctumque omnem acerbissimas, qua sua patientia, maximoque in tantum principem amore celebrarunt?

Tertia ratio amplificandi à genere.

CVm de re aliqua priuatim loquimur, & in genus excurrimus, egregia amplificandi ratio proponetur, vt Sex. Roscium parentem à filio non occisum fuisse ex parricidio generatim amplificato probat orator, ita nos eloquentiam hominis, & priuatam virtutem ex eloquentia & virtute commendatâ generatim copiosè ornateque celebrabimus. Commendamus B. Sebastianum Martyrem, B. Petrum Principem Apostolorum, ex Martyrum, ex Apostolorum laude magnam vim & copiam ostende-

ostendemus, omnibus eloquentiæ fluminibus redundantem. Proponamus igitur laudandum Beatum Laurentium, excurremus in Martyrum laudem insignem, tanquam in genus.

Laus Beati Laurentij ex Martyrum laude.

LAudaui, & merito quidem, grauitatem suppliciorum, patienter fortiterque perferentem, ingentem Laurentium: celebraui flammas tanquam rosas suaues ac iucundas Martyri inuictissimo visas, læto hilarique animo aditas, atque toleratas: commendaui Heroa fortissimum in cratem, tanquam in equum ingentem, siue in currum deauratum impositum, & verba homini nequissimo facientem, parui habentem ardores flammarum accensos, cõtemnentem cruciatus omnes graues & exquisitos, & prouocantem tyrannum ad carnes assas, & affectas iam ad esum, prandendas deglutiendasque illa sua insatiabili, inauditaq; sanguinis hauriendi cupiditate. Deniq; ostentaui equitem fortissimum, victoriam insignem deportantem, & agentem ex hoste deterrimo triumphum clarum & glorioſum. Qui cùm ex flammis his & cratibus inflammatis Martyris gloriam adepturus, in sedes Beatorum celsissimas euolauit, quam nobis dignitatem, quam inclitã, quàm honorificam, quam omnibus ornamentis redundantem ostẽdit? Ille purpurâ fulgenti clarissimus sedẽ habet cum Sebastianis, cum ipso Principe Martyrum celsissimo. Qui vero sunt Christi Martyres, alij, nisi Heroes Christianæ Religionis, Principes cœlestis aulæ glorioſi, & ex Magnatibus diuinis atque cœlestibus locum excelsum obtinent in militante, triumphantique Ecclesia? Qui sunt, nisi lumina terræ, cœlique clarissima, quorum lux suppliciorum acerbitatibus magis nitere visa est, & collucere clarissime? Sic equidem Gedeone, & militibus hydrias in castra portantibus, ipsis multo fragore confractis, continuo latens & abdita lux fulgere visa est: quæ luminum clarè micantium conspicua lux, quos alios potissimùm, nisi Martyres præfert, diuinæ claritatis magnitudine fulgentes? Contemplamini, quæso, lucem, quam Beatus Stephanus Protomartyr lapidum grandine terrificâ, nimboque concrepanti crudeliter appetitus & obrutus, lucem clarissimam diffudit. Quid enim in honorifica lapidatione, tum maxime, cum magis ab hostibus Fidei

pe-

per summam crudelitatem impeteretur, fecit? Quæ verba inuicto robore ac magnitudine animi proloquutus? O diuinam lucem! O cœlestem amoris in proximos claritatem! pro se preces adhibet, stans; pro inimicis, in genua procumbens! Quis non seuerum, vehementem, & atrocem putaret, animo ferreo & indomito sanctissimum Stephanum id temporis, cùm hostes Christi teterrimos, durâ & indomitâ ceruice, animis obstinatis, & pertinacibus auribus occlusis, diuini Spiritus sanctissimis cogitationibus aditum obstruentes, & tanti numinis sanctitati resistentes, similes parentum suorum, ab omni pietate prorsus abhorrentium, feros & immanes appellauit? Cùm parentum diritatem obijceret, cùm pertinaciam & feritatem generis opponeret, cùm eos ob facta crudelia maiorum vestigijs insistentes repeteret, & ingeminaret, nonne durus, inhumanus, ferreus mortalium oculis & iudicio videretur? sed fractâ hydriâ, lapidibus appetitus, horrifico nimbo fractus, disruptis ac dilaceratis carnibus, tot apertis & patentibus toto corpore, brachijs, collo, capite, omni reliqua membrorum parte fenestris, quàm incredibilem, & planè celebrandam mansuetudinem ostendit? Quid? Ipse Iob, nisi robore ac magnitudine animi exploratâ, tot documentis fortitudinis inuictæ datis, amissis bonis omnibus, filijs & coniuge carissimâ, tot plagis ac vulneribus affectus, ingenti vermium scaturientium multitudine coopertus, sanie multa, fœdissimaque manans, ab amicis derelictus, & omni humano subsidio destitutus iaceret in sterquilinio, opificem & molitorem huiusce vniuersitatis Deum extollens, tantâ patientiæ fuisset commendatione celebratus? Omitto cæteros Athletas. Quid de socijs & comitibus Christi Iesu dicam, quorum celsitas, & antiquitate, & dignitate cæteris omnibus præit? At illi suam hanc gloriam & honorem amplissimum, Martyrum inuictissimorum laude decorarunt. Alij fuerunt telis confecti, alij gladio traiecti: Bartholomæus pelle exutus, Ioannes in olei feruentis dolium immissus, Iacobus notus omnibus fuste peremptus, Andreas sublatus in crucem, illa duo Ecclesiæ lumina, Doctor Gentium gladio caput à ceruicibus tradidit abscindendum, Princeps Ecclesiæ Petrus spiritum vltimum exhalauit actus in crucem. Atq; illi omnes imitati fuêre præceptorem suum. Tu mi Christe Iesu numeros huiusce tam excelsæ Martyrum dignitatis omnes & absolutos ostendis tuis discipulis, & generi Sanctorum vniuerso. Itaq; Princeps Martyrum, Antesignanus & Dux

horum

horum Athletarum insignis & excelsus, præire societatis tuæ consilijque celsissimis Principibus voluisti tot supplicioru genericus excruciatus. Quæ quàm multa in tuo corpore sanctissimo crudeliter exercita fuerunt? Quis enim poterit adumbrare iniurias factas, contumelias impositas, risus & ignominiæ maculas inustas, cum à nefarijs satellitibus comprehensus, indignissimis tractatus modis fuisti, cùm virgis cæsus, sentibus redimitus, in crucem actus, mortem pro humani generis recuperandâ libertate subijsti primus, & Martyrum principatum in aula cœlesti gloriosus & triumphãs obtinuisti? quis dicat, quanto splendore, quanta gloria Martyrum dignitatem illustrissimã tua cœlesti, præcipuaque laurea prouexisti? tibi proxima fuit, & secundum te laureæ tantæ decus immortale Virgo virginum consequuta fuit; à qua meritis & gradibus suis distincti cæteri Ecclesiæ Martyres gloriosi in locum eundem altissimum ascendêre. Sic vidêre est cœtus fortissimorum Martyrum glorioso⁹, purpura fulgenti ornatos, agno de collo pendête speciosissimo, diademate splendenti decoratos, proprijs insignibus fulgentes, immortalitatis gloria circunfusos, cohonestare palatia Beatorum amplissima: eorum agminibus ornatissimis splendidissimisque præesse Ducem ingentem glorioſissimumque Imperatorem Christum Iesum: illi proximam Virginem Mariam decus & honorem eisdem Athletarum maximorum sedibus afferre quàm immensum: proximos comites & socios Christi Iesu, Prothomartyrem Stephanum, cæterosque illustrissimos Magnates magno quidem ornamento huic nobilissimæ dignitati semper esse, & inter hos decus Hispaniarum, gloriam Martyrum cratibus suis insignem diuinum Laurentium.

Amplificatio à toto integro, & partibus eius.

Sic à toto integro possumus amplificare præclarè satis oratio-nem. Totum integrum est, quod comp nitur ex partibus integrantibus, de quibus non dicitur in nominandi casu, vt domus in tectum, parietes, pauimentum: nec dicimus, tectum est domus. Corpus diuiditur in suas pa tes: nec dicimus, caput est corpus humanum. Partes integrantes sunt, è quibus totum integrum componitur.

Ampli-

Amplificatio ex toto & partibus & humani corporis fabrica.

COnsidera humani corporis elegantiam, & hanc tanto artificio ad vsum omnem, & venustatem à Deo formatam fabricam tam admirabilem. Atque intuere caput supra collum in altiore loco positum, & illud suis sensibus ornatum, tam appositis ad varios vsus & opportunitates, & ad necessitates passim incidentes. Aures valent ad audiendum, ad sonos omnes percipiendos, ad voces accipiendas in tam variâ multiplicique rerum diuersitate. Oculi speculatores officijs funguntur suis, plurimis, & longo interuallo distantibus, & circumactis, & coniectis in diuersas partes, sublatis in cœlum, demissis in terram, & lætis, & tristibus, & placatis, & minacibus. Nares fenestris suis patentes percipiunt suauitates odoris, qui fertur in sublime; & ad odoris fœditatem sentiendam & fugiendam commodæ sunt & opportunæ. Ore gustatus ipse continetur, qui est sensus ex omnibus maximè voluptatibus, quique dulcedine præter cæteros sensus commouetur: dulcia, amara, acria, affecta ad esum, neque esculenta solum, sed poculenta gustat. Manus ac pedes, quemadmodum partes suas tuentur, & ad diuersas functiones habiles sunt, & opportuni? Corpus medium, inter crura & caput interiectum, quàm cum hominis fabrica congruit ad omnem elegantiam, si in eleganti homine ac bene à natura formato conspiciatur? Circumspice omnia, laudabis opificem & Architectum tanti operis Deum immortalem, & quantum brutis animantibus, pronis, & ad pastum capessendum deiectis semper in terram, præstet, non desines admirari, videns hominem recto & excelso corpore, & ad cœli aspectum, in quod creatus est, vtramque oculorum aciem erigentem atque tollentem. Tanta est conformatio humani corporis, tantus ex omni parte concentus, & mirifica consensio.

* * *

DE

DE PROPRIO.

INest *in proprio magna vis ad amplificandum. Quod sic definitur:* Proprium est quiddam simplex, quod speciei soli, & omni, & semper conuenit. *Vt hominis proprium est ridere posse, loqui, ratiocinari posse, rationis & disciplinæ capacem esse, equi hinnire, Leonis rugire, bouis boare, virtutis reddere bonum hominem, in quo est. Denique omnes propriæ affectiones, rerum animatarum, & animæ expertium, virtutum, scientiarum, huius sunt loci.*

Amplificatio à Proprio.

MIraris alienigenam diuersis in locis tam acutè disputantem, colligentem multa, & ratiocinando nihil non efficere, quod probandum & ostendendum curauerit, siue in perystilio cum doctis hominibus disputauerit, & rem huc atq; illuc traxerit suis argumentis, & veritatem extorquere conatus fuerit. Intueri in gymnasio, & quidem in disputationibus publicis comparantem se ad argumentandum: Primum vt aperto capite propugnatorem tentare volens, tentat vocem mittere, & oratiunculam habere ad aditum sibi patefaciendum ad argumentum suum: erigere hic se Auditores, prospectare de suis locis, animaduertere quò tendat comparatio, & aditus factus ad ingenij specimen præbendum: subridere aliqui, & non quidem hominis contemnendi causa, sed admiratione, & audaciâ hominis prospectâ, quæ in loco tam celebri, & minimè quidem noto, vellet facere periculum in literis sacris, vbi tot essent Doctores, tot Professores sacræ Theologiæ, tam clari & præstantes Magistri, de totâ sane Academiâ nimium exquisiti. Sed ecce qui primo risus aliquos mouere videbatur, adducet breuiter cunctos auditores in admirationem, acutè nimis & ingeniosè sæpe ac sæpius obijciens, & in horam ferè integram trahens & producens argumentum. Vsque eo vt propugnator labare videretur, & in angustias adductus, nisi pro se suo tempore responsa subministraret. Hinc sermones multorum, apparere literarum capacem, & ad res literarias affectum & propensum mirificè, & quod proprium docti sit, summâ cum præstantiâ munus obijsse suum.

Altera

Altera amplificatio in B. Pauli laude ex proprio.

QVæ facultas orationis, quod tantum, & tam incredibile genus dicendi cogitari potest, quod non dicam exornare, sed enarrare B. Paule tuas præclaras virtutes possit? Hoc affirmo, & hoc pace dicam tuâ, nullam in tuis ornamentis esse laudem ampliorem, quàm eam, quam Vincti cognomento consequutus es. Soleo sæpe mecum tacitus cogitare, & assiduis vsurpare sermonibus traductionis tuæ primordia, tot itinera facta, tot conciones habitas, tot gentes ad Christi Iesu fidem tuis concionibus traductas, caritatem illam ingentem & inflammatam ad nationum cunctarum multitudinem infinitam ab Idolorum cultu traducendam, infinitas alias laudes & virtutes innumerabiles, quas noua semper accessione cumulasti, atque his omnibus video Vincti pro Christo Iesu Pauli laudes eximias & admirabiles præstitisse. Cognomentum enim Vincti ita magnum est, vt illud nullius mens, nec cogitatio capere possit. Atque alias plurimas B. Pauli laudes possumus communicare cum alijs Heroibus Christi Iesu, maximè cum socijs & comitibus tanti Domini, ne propriæ sint duntaxat B. Pauli: Et certè itinera facta, conciones habitæ, fides maxima, caritas incensa, traductio multarum gentium, & alia quidem ornamenta communia sunt tanto Principi cum Apostolis ipsis: At vero istius cognomenti gloriæ, Pauli Vincti, honoris socium habet ille neminem, totum hoc, quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum est B. Pauli, & ille propter excellentiam tanti cognomenti decus eximium notum omnibus planè immortale deportauit. Hoc & literis multorum & sermonibus Christianorum, cognominis honore decoratus est. Ita quotiescunq; Vinctum audimus, omnes & intelligimus & re cognoscimus B. Paulum. Nihil sibi ex hoc cognomēto Sebastiani, nihil Laurentij, nihil Stephani, nihil omnes Apostoli decerpunt. Quin ēt ille Princeps Ecclesiæ, Vicarius Christi Iesu Petrus, in istius cognomenti gloriam se non offert, tibi cedit B. Paule, tuam esse istius cognomenti gloriam, & præcipuo Christi Iesu munera tibi delatam tributamque fatetur, vt propriam & peculiarem. Comparasti equidem tibi maxima virtutum ornamenta, illustres admodum & excelsos signorum gradus, & alia decora & lumina donorum cœlestium clarissima: sed ea detulisti, quæ & alij

Magnates

Magnates cœlestis aulæ detulerunt: verùm Vinctus dici, Vincti nomine appellari, istius cognomenti honore Paulum intelligi, atque recognosci magnam habet in te laudem: hoc qui deportauerit præter te cognomen, agnoscis profecto neminem. Sic etiam Beatissime Paule alia propria sunt tibi cognomenta, clara & illustria præ alijs Magnatibus Ecclesiæ celsissimis, illud Doctoris cognomen, quod cunctas gentes & nationes tuis cõcionibus institutas, & luce veritatis illustratas ostendit, tibi nouum præ cæteris honorem peperit. Alij multi fuerunt Ecclesiæ Doctores, qui laboribus, qui vigilijs, qui monimentis ingenij, qui doctrinâ Christi Iesu diffusâ, & aspersâ in orbem terrarum vniuersum, Doctores dicti & habiti sunt, & illos hoc nomine & honore celebrante Diuino Spiritu afflatâ Matre Ecclesiâ: sed qui cunctarum gentium Doctor prædicans fuerit, vnus fuit solum & habitus & commendatus sanctissimus Paulus. Illa vero etiam Apostoli prærogatiua, vt cum Apostolum dicimus, intelligere opus sit B. Paulum, quantum in tanto Principe laudis habet & honoris amplissimi? Cum Oratorem dicunt Rhetores, & audiunt mortales omnes, Ciceronem intellectum & prædicatum volunt: Idem de Virgilio, idem de Homero, vno Latinorum, altero Principe Poetarum Græcorum, fatentur omnes, Poetę solum audito nomine, præterito proprio. Alia multa priuatim tibi, proprieque debentur, nullo cum alio Ecclesiæ Principe communia, cùm tuba, tum buccina diuini verbi, diceris, non expresso Pauli nomine. Quæ omnia gloriam tantam tibi, & in his terræ infimis, & in altissimis cœli sedibus comparaverunt, quam nulla facultas oratoria pro sua magnitudine poterit adumbrare dicendo.

DE CONIVGATIS.

IN hunc locum incidunt coniugata, quæ dicuntur vulgo abstracta, est vox eiusdem significationis alia, quæ ab eodem abstracto tanquam à suâ causa deriuatur: vt à sapientiâ sapiens, sapienter. sapere.

Nomen abstractum est causa reliquorum, vt iustitia est causa, cur Aristides sit iustus, & sic nominetur, & iustè iudicet. A Cicerone definiuntur coniugata, quæ sunt generis eiusdem, id

est primogenita, & deriuata: Hinc illud Ciceronis: Si pietati summa tribuenda laus est, debitis moueri cùm Q. Metellum tam piè lugere videatis.

Triplicia sunt coniugata. Quadam significatione & voce, vt sapientia sapiens, sapienter, sapere: quadam significatione, & non voce, vt virtus, probus. Alia sunt voce, & non significatione, vt somnus, somniculosus: differunt coniugata ab etymologia. Coniugata enim deriuatione, etymologia significatione continetur.

De exercitatione coniugatorum.

Amplificatio coniugatorum vna quidem est, cùm à deriuatione occasionem rei augendæ videor arripere, vt si laudes iustitiam hoc modo: Si laudanda iustitia est, quidni laudetur Aristides, qui iuste omnia faciens, iusti nomen est adeptus.

Ad superiorem modum vituperabis aliquem: Si iniustitia exterminanda, quæ iniustos reddit homines, cur hominem iniustè leges & iura perfringentem, è Repub. velut infestum gentibus humanis, ipsi Deo inimicum non expellemus?

Hinc describendo rem amplificabimus. O iustitia, quæ merito nomen habes huiusmodi, & à qua iusti nominantur, iustè facta omnia facientes. *Hinc suadendo rem quoque amplificabis:* quidni igitur, si Philosophiæ operam damus, Philosophos sequemur, è suæ disciplinæ descriptionibus philosophantes?

***

Accedunt

ACCEDVNT exercitationes descriptionum in locum adiunctorum asscribendæ, quòd ex adiunctis descriptiones maximè petantur. De quibus præcepta nobis tradenda non sunt, quòd duo APPARATVS volumina, tertium etiam DEMONSTRATIONIS ad multitudinem varietatemque rerum describendarum, nihil & ad vsum, & ad splendorem spectans prætermittendo, retulerimus. Hæc in volumina quidquid collibitum fuerit descripturus bonus Rhetor, & concionator diuini verbi se conferre poterit. Quas descriptiones etiam multas & varias in hunc locum retulimus, eas multò aliter expressas idem intelligat. Hic enim & sermoni, & Rhetoricæ artificio adiuncta sequuti statuimus inseruire. Adiuncta igitur vel personæ, vel brutorum animantium, vel generis cuiuscunque rerum spectent, quæ hic sequimur, descriptionem absolutam consummatamque cupientes.

ANIMALIA.

Catelli Melitenſes.

AGgredimur deſcriptiones ex adiunctis, & deſcripturi Animalia rationis expertia, inſtituimus eas à Catellis Melitenſibus.

Catelli Militenſes paruuli ſunt, ac delicati, in magno pretio matronis habiti. Qui ſi membris omnibus puſilli, & graciles fuerint, quadrato corpore, capite inſtar murini, roſtro paruo, auribus non maioribus cuniculorum, cruribus breuiſſimis, pedibus anguſtis, cauda oblonga, magnopere commendantur. Maiore autem digni commendatione, cum collum longiuſculis pilis ad armos vſque veluti iubatum ſit, partes cæteræ tonſis ſimiles. Qui mites & blandi, delicatuli præterea, huc illucque ſaltitant, colludunt, in matronarum gremium inijciunt ſeſe. Suſpiciunt, & intuentur ſuſpenſo intentoque ore, expectant manus illarum, & tenue ſputum, quod inhianti ore, & exerta lingua excipiunt. Gaudent ſe attrectari, demulcerique manibus, leniter latrant, & mordentium ſpeciem præbentes, minime quidem mordicant. Illi mundi eſſe ſolent, qui præter oblatum tangunt aliud nihil. Atque in pedes erecti, anteriores non raro porrigunt inſtar manuum, motitant, &, quod vulgo dici ſolet, ſeruiunt. Quod ſi matronæ procul ab eo loco, in quo conſident, aliquod proijciant, quod ore, præcipiant, reportandum, continuo imperata facientes, læti & hilares celeritate mirabili roſtro reportant, & offerunt, quaſi morigeri & obſequentes dicto mulierum præcipientium. Quamobrem mirum non eſt, in tantis eos delicijs haberi, ſic enutriri diligenter & ſtudioſe, vt catellorum iſtiuſmodi cingulo ſerico collum exornetur, cupreis campanulis circumſepto, vt quacunque domum peruagentur, perſentiri poſſint, & internoſci, & vocati ſuo nomine, confeſtim accurrant. Hoc eſt elegans & pretioſum catellorum genus,

genus, & quod magni venit. Alij sunt hirsuti admodum longioribus pilis, alij breuibus, & glabri propemodum.

Canis venaticus.

CAnis venaticus, qui maximè venatoribus probatur, celer & mediocriter robustus esse debet, qui cùm incredibili sit ad inuestigandum sagacitate narium, simulatque odoratus fuit, sagacissimè feram latratu statim excitare possit, aduolantem mirâ celeritate persequatur, neque desistat, quoad á venatoribus incitatus magis, ac magis ad insequendum, currat & inuolet vsque eo, quoad consequatur, cuniculum ore capiat, & ex illo deferat pendentem ad herum, nullo modo affectum. Quod si valentissima fuerit, & robustissima fera, vt capere non possit, morsu vrgeat, premat, defatiget, quoad cursu desistat, & venatores comprehendant occisam venabulo, vel adigant in retia. Hic autem animaduertere libet canem hunc venaticum post captam feram, quasi in contentione superiorem, & adeo victoria præcellentem, exultantem, & quasi triumphantem in præda facta, tanta lætitia gestientem, vt præmium, si per dominum sibi licuerit, eam spectet, quam mandat, & deuoret. Quod si non licere sibi agnoscit, continet sese, bestiam asseruare satis habet, & ducit præmium maximum ad venatoris vsque aduentum, vt quod sibi collibitum fuerit, pro arbitratu suo statuat. Quod si ceruum, vel aprum confecit, abstinet à præda in oculis & ore posita, nec attingendi quidem cùm facultas detur, vel minimum facit, quod suum non est facere, nec ad se pertinet, faciundum officio fungentibus relinquit, ne alienis se rebus admiscuisse videatur, vt se virtutis æmulum & studiosum à natura fuisse facile sit omnibus agnoscere, neq; tam carnibus voluisse explere seipsum, & famem saturare suam & auiditatem ferinam appareat, quam victoriam in pugna periculosa, tamque aperto discrimine sitienter expetiuisse. Quod videre licet magis in lepore, quem insequutus fuit, quem occisum discerpere, & illius sanguinem lambere gaudet. Sin, quod persæpe fit, cursu confectum aut spiritu, quantum supererat, extrema contentione exhausto, defessum currendo, & deficientem in medio cursu, plane exanimem assequatur, prorsus non attingere videas canem hunc, astare tamen duntaxat gesticulantem, quasi non culpæ, sed virtutis ergo certasse velit. Sed quid non facient canes hi, qui à teneris annis sic alti & educati

sunt, sic assuefacti equis venaticis, vt agiles, fortes, sagaces, celeres cunctis hominibus fuerint blandi, solis infesti feris, non faciles ad latrandum, taciti admodum in venatione, præsertim inter vestigandum, ijs omnibus præditi signis bonorum canum, atque adeo, qui læti semper, & alacres fuerint, & animo magno ad inuadendum, qui aures deinde mouent, & frontem versus dirigunt, qui circunspectant vndecunque & ferarum tractus, & halitus sequuntur, & olfaciunt. Inde videre est canum inter venandum continentiam, obedientiam, sagacitatem, egregiamque fidelitatem. Qui tantâ disciplinâ spectantur laudabiles, vt videas parere domino, nunquam eos ab illo discedere, illius insistere vestigijs, suspensos expectare eiusdem aduentum, & copiam, & facultatem factam persequendi signo suis temporibus dato, comprehensam feram seruare, vel ad dominum deferre fideliter, & egregiè satis.

Secunda descriptio canis venatici.

NOn omittam profectò, quamuis molestus esse videar, canem tibi magnum ostendere, qui Mastinus nobis vocatur, ferocissimum imprimis ad quæcumque animalia inuadenda, capiendaque audacissimum, atroci vultu, & capite maximo, labro superiore super inferius dependente, acutis dentibus, collo tumente, amplo pectore in leonum horrificorum speciem ac similitudinem, magnis pedibus, discretisque digitis, duris & cruris vnguibus, vt loco magis inhærere possit, quò valentior feram prosternat conculcetque. Is canis, hac horribili forma atque figura, simul atque leonem emissum vidit, valentissimam bestiam appetens, horrentibus per totum corpus villis, ingenti primùm latratu intonuit, mox ingruit assultans, contraque belluam exurgens hinc & illinc artificij plenissima dimicatione, versutia calliditateque maxima infestare, & deuitare visus est, vsque eò, quoad assidua rotarum vertigine afflixit, ad casum illius tellure concussa: Quem fractum ac debilitatum iacentem viderunt omnes, techna mirabili, machinationeque canis ad leonem superandum adhibita: Qui se dedere canis continuò visus est, & præda illius dentes fugere apertè non potuit, neque carnificinam declinare. Porro canis hoc in valentissima bestia fecit, vt à venatoribus emissus in vrsos, in cervos, in damas, sagax odore, latratu horribilis, importunus latratibus feram insequeretur, cogeretque ad lassitudinem,

nem, quoad in venatorum manus iniecerit, & quam iussu signoque venatorum assequi cœperat feram, non relinqueret, etiam si in alias multas incideret, currens & aduolans per rura, per campos, per syluas, per valles imas, per montes accelleraret, nullum insequendi finem faciens.

Tertia descriptio canis venatici.

QVæ fagacitas canum in leporibus inuestigandis? sic inuestigant, vt à vijs, à tramitibus recedant, capita terræ obliqua admouentes, ad vestigia subrigunt, aureſque demittunt, & faciles subinde oculos per singula voluere nunquam intermittunt, caudis blandientes multis in latera orbibus, per vestigia simul omnes progredientes. Qui simul atque ad leporem ipsum accedere, & iamiam prope esse videntur, id venatori planum faciunt celerius progrediendo, pergendoque significando vehementius animo, capite, oculis, gestu multo corporis, aspectum oculorum modò in leporem, modò in latibula dirigentes: diuerso tamen impetu, recto, aduerso, obliquo, & vere iam arrigendo animum, gestiendoque, quòd propinquiores lepori sint. Vehementius tamen premere, ac persequi leporem accelerant, nec remittere certum est illis plurimo vehementique latratu cum lepore quoslibet saltus, dumeta, saxa, locaque omnia alacritate mirabili velocitateque transmittendo, amissis nunquam vestigijs, & quando è conspectu leporem amiserint, prosequantur indicijs alijs, neque facile ad venatorem nisi cum præda reuertantur.

Quarta descriptio canis venatici.

SI superiora iucunda fuerunt, multò tibi iucundiora fore credo, quæ sequuntur. Nam propono tibi canem fagacem, longè venatoris vinculo alligatum, silentio maximo odorantem, inuestigantem & venatori præeuntem, atque præcurrendo quem ad pergendum attrahit, atq; allicit. Qui vbi vestigia deprehendit, & feram acerrimo narium sensu assequitur, hic subitò consistere cernitur, nec se commouere, & præsagiens non procul ab eo loco venationem esse, gaudere ac lætari incipit, & blandiri venatori, qui proximè accedens, & osculatione pedum, & complexu inuitatus ad prædam, ad institutam venationem

incumbere perseuerat, & pedetentim vsque eo procedere, donec ad cubilis locum peruenit, quem vltra non progreditur significatione venatoris notissima. Id temporis iacere venatores retia, canis latrare, excitare feram, lepus vero perterritus apparere, conari ac velle fugere, sed retibus præclusa fuga in casses incidere, & comprehendi confestim. Quo capto canis instar hominum, quasi victoriam expugnatam deportauerit, exultare lætitia, triumphare gaudio, & modis omnibus gestire, denique quasi vitulari.

Quinta descriptio canis venatici.

CAnes sagaces ex odore maxime probantur, qui neque opimi multum, neque magni, sed parui sint & fortes, Agasæi propter alacritatem dicti, vnguibus probè armati, & multis dentibus acuti, odorandi indagandique principes maximi, tum ad vestigia deprehendenda, tum ad notandos aeris halitus idonei maximè. Quocunque venator deducat, præsto sint, seu recta, seu oblique, siue ad dextram, siue ad sinistram procedentes, scrobes quascunque & latebras laterum indagent, & vbi odorati fuerint, apparentibus vestigijs, anxij & soliciti discurrant, & obuia quæque perscrutentur, lapides, colles, vias, arbores, vites, sepes, areas, tandem deprehenso aeris tractu per omnes ruris ambages sequantur, donec in ipsum leporem incidant. Quorum si in ipsa venatione opera velit vti, ij esse debebunt, qui cautè vestigia ponant, qui tacite & insidiosè accedant, qui præ corporis exiguitate facilè inter vites, aut inter arundines lateant, sagitta autem excitati è latibulo, serpentis instar, mira alacritate prædam inuadant, qua partim vnguibus acutis, partim dentibus subacta, illam ad venatorem referant, qui lætus accurrens canem vnà cum lepore à terra sublatum gremio reponit. Horum canum similes Britannia ferre dicitur.

Vltima descriptio canis venatici.

PRobat Xenephon canes illos, qui immittantur in ceruos, lepores, damas: qui corpore sint longo, valido, non admodum aspero, oblongo, auriculis paruis, tenuibusque membranis, collo procero, pectore robusto & lato, pedibus anterioribus brevioribus, & rectis, crutibus longis & rectis, scapulis latis, costis laterum obliquis, lumbis non pinguibus, sed moderatione quadam,

quadam, denique caudâ longâ & astrictâ, id est, solidâ & virium ac neruorum plurimum habente.

Canes pecuarij.

CAnis pecuarius robustissimus valentissimusque, ore ferocissimus, nigro fuluoque colore, nunquam non ringens, simulatque aliquem aspexit præter pastorem, quem longè prospectum agnoscere solet, & eidem occurrere, colludere, blandiri caudâ, admouere se cruribus, lingere nonnunquam manus, & frustulum obiectum capere. In ouium custodia positus, quia natura est & ingenio versutus, fraudulentus, clandestinus, taciturnus, non se commouet, nisi cùm lupum appropinquantem videt, & impetu facto, multum diuque pugnans aut vincit, aut mille morsibus saucium fugat, vel in pastoris oculis ab eodem inflammatus prosternit, & impressis dentibus suffocat. Sæpe circuire videas gregem vniuersum, obseruare custodire que latratu multo, vt lupi arceantur longiùs, disturbentur, dissipentur; feræ immaniores, nec vllo modo audeant accedere. Quid cum accidit, vt ouem media nocte, tum cùm pastores quiescũt, lupus abstulerit, sentiens canis pecuarius, aut ouem balare audiens, quanta lupum celeritate persequitur, quanto quamque vehementer latratu vexat, & premit, quoad fessus & defatigatus currendo balantem ouem perferre non possit lupus, aut ex illius ore ac faucibus abstulerit? Quamobrẽ canis hic robustus est, & ad cursum promptus & strenuus, & ad rixam & pugnam comparatus, cùm insidias lupi depellere, & raptorem fugientem consequi, & ex ore ac faucibus prædam extorquere debeat.

Secunda descriptio canis pecuarij.

QValem oportet esse canem ad pecoris custodiam, talem tibi describam. Ille non strigosus, neque pernix, similis eorum, qui damas, cervos, & velocissima sectantur animalia, nec tam obesus & grauis, vt non sit egregius pecoris custos. Robustum ergo, promptum & strenuum volo, quoniam ad rixam, & ad pugnam & cursum comparatur. Cùm & lupi depellere insidias, & raptorem ferum consequi fugientem, prædamque ex ore, ex faucibus eripere debeat. Ad hos casus magis habilis est, quàm breuis, quàm quadratus, villas custodientium similis, generosus admodum, & magno corpore, vegetis viribus, animo non

deiecto, graui latratu, atque formidoloso, quique in adeuntes, non temerè, nec frustrà insiliat; sed vires in suum tempus, conatus & impetus opportunos reseruans. Vbi lupum viderit, inuadat vehementissimè acutis dentibus, prædam faciat insignem & egregiam. Vt autem nihil ille capiat detrimenti collum corio crudo circumuentum habebit, quod guttur, & totas fauces, muniat, & ab eodem corio surgentibus ferreis aculeis erectis, ne quam harum partium attingere audeat fera, quam attingens ad canem proculdubio accedens, & reliquas corporis partes mordens, vulnerare poterit, non tamen occidere. Sic etiam nihil feras, nihil lupos canis exhorrebit, gutture atque collo veluti ferratis thoracibus clauisque acuminatis, & tranfixis septo. Quò tutiór autem sit, & à luporum morsibus defendatur, aculei duorum tantum digitorum latitudine distabunt.

Descriptio canis villatici.

CAnem villaticum, villæ custodem, & eorum, quæ villæ proxima sunt, magis opimum & grauem, quàm, ecuarium aspice, vasto canoroque latratu; vt prius auditu maleficum, deinde conspectu deterreat, & nonnunquam nec visus horribili fremitu fugetinsidiantes. Qui colore nigro fuerit, siue luce clara fur venerit, terribilior conspicitur; siue nocte, nec cernitur quidem, propter vmbræ similitudinem, & ob eam causam noctis tenebris tectus, niger tutiorem habet accessum ad furem: maximè si fuerit quadratus, capite non ita magno, vt corporis occultetur pars maxima, deiectis, & propendentibus auribus, nigris aut glaucis oculis, acri lumine micantibus, amplo villosoque pectore, latis armis, cruribus crassis, & hirtis, cauda breui, vestigiorum articulis, & vnguibus amplissimis, qui neq; mitissimus sit, neque rursus crudelis ac truculentus. Ille enim furibus quoque adulatur, hic etiam domesticos inuadit: sed seuerus & blandus, vt nonnunquam etiam iratius intueatur. In custodia vigilans esse debet, non vagus & erians, frequens & assiduus, cautus valdè, non temerarius, neque præceps. Quippe nihil nisi certum indicet. Non vano strepitu, & falsa suspicione concitatus villam terroribus compleat inanissimis. Atque cùm naturâ bonus sit, siue domi natus, siue emptus, his moribus, his institutis formandus. Nec multum refert villaticus canis corpore grauis sit, & parum velox: plus enim cominus, & in gradu, quàm eminus, & in latissimo cursu facere debet. Nam semper

circa

circa septa, aut intra vallum consistere, neque longiùs abire, neque aberrare debet. Quando enim melius fungitur officio, nisi cùm aduenientem sagaciter adoritur, & latratu deterret, neque patitur propius accedere, vel audacius, & constantius ad propinquantem inuadit vt lacessitus, & seipsum fortiter & constanter vindicat?

Canes ædium custodes.

CAnes domestici egregiè fideles esse debent, neque aspectu horribiles, sed re ipsa fungentes officio suo, vt domum latratu defendant, cum opus sit, inuadant; prò foribus excubias agant, & dominorum rem tueantur. Qui nunquam admittant in ædem quenquam præter domesticos, agnoscant neminem: lapidatione factâ hominem alienum latrare nunquam desistant: licet etiam illos allicere conetur aliquis, panem, & offas canum illecebras obiiciens, semper tamen se implacabiles, semper inexorabiles præbeant, vt illorum latratus & impetus perferre nemo queat, præter dominum, cui blandiores erunt, auribus, & caudâ eidem fauebunt, & illius manibus caput subiicient, & dorsum. Multò autem acriores & vehementiores sentientur, si in hunc modum tractentur, vt quò ferociores sint, interdiu semper includantur, ligati vinctique teneantur, & noctu soluantur, qui leuissimum propter motum experrecti, officium suum faciant. Nam illos in ædium custodia positos, & totos dies domum peragantes, & statis prandendi, cœnandique temporibus ad mensam accurrentes, & ita comparantes sese, vt vnum in ianuam, alterum ad domini manum porrigentis, & obiicientis aliquid oculum coniiciant, parum hominibus boni custodes probantur.

Mimici canes.

CAnes dociles experietur homo, qui voluerit illos aliquos iudicris modis instituere, & ad ludos diuersos, & ad mimica opera præsertim assuefacere. Nihil non iussi facient: ibunt, quo iubeantur; redibunt statim, vt reuocentur; quam voluerunt, deferent, referentque rem dentibus apprehensam ex collo pendentem. Ludere hos videbis, transilire palum transuersum, in duos se pedes erigere, molliter ad Symphoniæ cantum mouere sese, denique morigeros se præbere, & instar seruorum, sæpe mandata quæ fuerint, celeriter exequi.

Descri-

Descriptio vltima canum.

LIbet voces ipsorum canũ breui descriptione persequi, quos latrare modò audias, impetum facere volentes in aliquem, vt illorum sæuo latratu tota domus personet. Quid cùm lamentantium similes, lugubrem quandam & querulam vocem edunt, nonne vlulare dicuntur? cum os in rugas diducunt, torquent nares, ostendunt dentes, truci vultu, rictu terrifico ringere videas, quasi parare se velint ad inuadendum. Præsertim cùm aduersi fuerint sibi, & infesti duo canes, & ambo ringentes & rixam ad pugnam inflammantes.

Caprarum descriptio.

CApræ non longo admodum corpore, longa, & acuta habent cornua, frontem robustam, eis oculis sunt, qui in tenebris splendent, lucemque eiaculantur. Superiores dentes non habent, præter primores geminos. Spirillo eiusmodi sunt, vt dependeat ex omnium mento villus, qui aruncus vocatur. Hoc si quis apprehensam è grege vnam trahat, cæteræ stupentes spectant. Sensu illæ sunt audiendi acerrimo præditæ, & auribus & naribus respirare dicuntur, aluntur herbis & arborum ramusculis, quos ore possunt attingere in montibus & conuallibus, ita vt pascentes loca crebrò permutent: summaq; tantum contingant, sese duos in pedes erigentes, si propter altitudinem ore sublato contingere non possint. Idque cùm facere possint propter celeritatem, qua donatæ à natura, nihil mirum, quod locis montanis, & excelsis gaudeant. Quamobrem magister pecoris huiusce acer, durus, strenuus, laboris patientissimus, alacer, atque audax esse debet, qui per rupes, per solitudines facile vadat, non, vt alterius generis Pastores, sequatur, sed plerunque antecedat gregem. Atque capellæ dum dumeta pascunt, capris cedunt: quæ cedit, cohiberi debet, ne procurrat, sed placidè, lentè pabuletur. Vt largi sit vberis, & non strigosissimi corporis, in capra etiam requiritur.

Cuniculi.

CVniculi dicti sunt, quòd sub terra cuniculos facere soleant, vbi lateant in agris. Illi enim natura timidi quærunt antra in collibus terreis, & solertia sibi à natura data adæquant puluere, ne deprehendantur. Atque in specus inferunt & intru-

dunt

dunt sese, quos multos foderunt receptacula commorandi, intra quæ delitescunt totum diem, neque egrediuntur vnquam, nisi manè aut vesperi, cùm tutos se putant, & ab hominum insidijs liberos. Quid si hominem vident, vel strepitum audiunt minimum, continuò sese referunt in receptacula sua, vnde non extrahuntur, nisi venandi cupiditate homines viuerram immittant, quæ ex latebris suis eos exire cogat in apertum locum, & in retia compellat. Paruo sunt corpore, multoque leporibus minores, caudâ etiam breuiore, exiliore capite, & minima carne præditi, sed candidiore corporis colore speciem habent venustiorem, & iucundiorem, quàm reliquorum leporum multitudo. Quamuis non candidos solùm, sed atros, fuscos, sufflauos, rubros, & alijs coloribus insignitos aspicies, & rursus vel totos colore vno præditos, vel vario distinctos; sed inter alias causas placendi magis hominibus hanc exiguitatis vnam non exiguam puta. Parua nescio quomodo longe oribus iucundiora sunt & gratiora generi mortalium, vt pueri magis grati sunt, & iucundi, quàm adolescentes, quamuis habeant speciem & formam elegantem, & valdè expectatam.

Echinus.

ECHinus terrestre animal est, cuniculi magnitudine, sed specie porcinâ, aculeis vallatus, ore, pedibus, ac parte inferiore rara & minime perniciosâ lanugine opertus, qui aculeis erectis & acriter pungentibus ab iniurijs & malis illatis seipsum tuetur. Nam cum serpentibus & herinaceis mutuo odio flagrat, qui si fortassè in latibulis occurrant, Echinus in orbem se contrahit, vt præter spinas nihil emineat, quas erigit & attollit horrendum in modum: irruens verò in eum serpens, & spiris implicans, frustra mordet & premit, nam malo suo grauissimo, quò arctius circumuoluta premere perstat, eo magis ipsa sibi aculeos imprimit, & findit, vulnera faciens, & sanguinem exprimens plurimum, quibus cùm afflicta, non remittit tamen, quoad moriatur, mortem sibi ascisens, dum in aduersarij necem incumbit. Sæpe ambo eo conflictu pereunt: aliquando Echinus euadens, serpentis immortui corpus aut carnes aculeis infixas gestat.

* * *

Elephan-

Elephantus.

ELephantis magnitudo, & tota ſpecies ſtupenda quidem eſt, plurimos autem & maximos India fert, robore & magnitudine præſtantes. Quibus ſi natura opitulata fuit, ad necem arcendam in eâ corporis mole, tantaque vaſtitate multum opis & auxilij tulerit. Elephas totus niger eſt, glabrâ cute ſine pilis, obſcurum eſt, & durum admodum dorſo tergus, venter mollis, ſetarum nullum tegumentum, nullum in caudâ præſidium ad abigendas muſcas, ſed cancellata cutis, ad quam inuitatur id genus animalium odore. Cùm ergò aperti cancelli vim & multitudinem illarum receperunt, concluſi, compreſſique enecant & conficiunt examen moleſtiſſimum & infeſtiſſimum proceritati, vaſtitatique Elephantis horrendæ. Hoc enim datum eſt illis pro cauda, pro iuba, pro villo: ſed inter alia dentes ab vtraque parte quatuor habet Elephas, quibus conficit cibum, & in farinæ ſpeciem molit. Duo præterea prominent grandes; quos mares grandiores, reflexoſque habent, fœminæ rectos, atque pronos. Atque cùm tam vaſtum & procerum ſit animal, linguam tamen habet exiguam, in ore latentem adeò, vt vix oculis videri poſſit, ſed talem tantamque narem nactus eſt, vt ea manus vice vtatur. Quippe qui nonniſi ad os illam admouens, & bibat, & edat, ſuoque rectori eam erigit, atque offert, qua arbores maximas proſternit. Quoties autem immerſus per aquã ingreditur, ea edita in ſublime, reflataque reſpirat. Proboſcidem habet pendentem, anguſtam, & longam, ad terram accedentem, intus concauam, ſuillique labri ſpeciem præbentem, quam ita rebus apprehendendis accommodat, vt ne minima quidem numiſmata eum fugiant. Sublatâ proboſcide terrificus videtur, barrire quaſi volens, aut barriens, ſi opus eſt. Hæc præcipuè, cùm ad alia donata ſit promuſcis, & ad cibos capiendos, & ad alia opera ſtupenda, tum ad bellum gerendum, & ad pugnam acerrimâ contentione committendam. Quid magis ſtupendum, quam Elephantem promuſcide proſternere arbores, & ramum arboris, quem viri quatuor & viginti fune trahentes ad terram flectere non poſſent, ſemel, iterum, ac tertio motum ab Elephanto tractumque fuiſſe: palmas celſiores fronte proſternit, vt iacentium fructus capiat. Quanto autem cum ſtridore, quàm horribili pugnas Elephantes ineant, teſtes ſunt exercitus,

exercitus, illorum horrifico barritu sæpe in fugam coniecti, sæpe perturbati, & ad internecionem deleti. Sed cæteras corporis partes accipite. Crura priora multò posterioribus longiora, pedes ipsos maiores etiam, rotundos, equinorum similes, digitos leuiter discretos inuenietis. Quâ de causâ ad natandum parum habiles sunt, cùm ad fluuios, ad aquam accedunt, aquam turbidam bibunt & sordidam, neque claram oculis intueri possunt, nec ad bibendum adduci. Quamobrem illam pedibus perturbare solent, vt bibant; faciem enim suam, & molem corporis vastissimam oculis cernentes in aquis, exhorrent mirandum in modum. In quo illud est mirabile, tantâ odorum & vnguentorum suauitate permulceri, vt flores offerantur eis, & in prata ad flores legendos agantur, qui odoratu flores internoscentes colligunt, collectos in calathum inferunt, quem eorum rector sustinet. Quem postquam floribus compleuerunt, lauatione statim tanquam homines lauti delectantur, abluti autem, quasillum, quem floribus plenum reliquerunt, expetunt, in eum locum, vnde discesserunt, redeuntes. Quòd si non afferatur statim, barritum edunt, neque prius cibum sumunt, quàm flores collectos videant, quos de quasillo tollentes, illis sui præsepis labra exornant. Quam odorum suauitatem cibo comparantes, stabulum, vbi diuersantur, qui indulgere volunt, herbis ac floribus sternunt. Inter cætera tamen à naturâ Elephanti donata, tam acerrimis sensibus est, & odoratu maximo valent, vt antegredientes subsequentesque, cùm herbam odorati fuerint humanis calcatam vestigijs, eam primus euellit, & ei, qui à tergo proximus est, olfaciendam tradit, is rursus alteri, qui post eum stat, ac deinceps per omnium quasi manus contrectatur, donec ad illum, qui extremum agmen ducit, peruentura fuerit. Is simul ac olfecerit, barritum vastum edens, quasi signum fugiendi dat. Fugere statim omnes in valles imas; aut in loca concaua, & palustria: vel si minus id concedatur, in nemora lucosque remotissimos, ab eo loco iter auertere, prorsusque se amouere ab eo loco, quacunque frequentes homines iter facere solent, quod ab hominibus, tanquam ab animalibus sibi infestissimis, timeant. Consulere denique hac fugâ & omni itinerum declinatione ab insidijs, à periculis imminentibus vitam incolumitatemque seruare perguntur. Atque cùm hac corporis horrenda specie sint, sunt tamen mites & mansueti, vt ad hominis rationem propius accedant.

Quippe

Quippe qui si vagabundum hominem, & errantem per desertam solitudinem viderint, ad notum & directum iter deducunt. Si verò confertis pecoribus occurrerint, imbecilliora manu dimoment, ne quod animal obterant imprudentes, & ad progrediendum planum & expeditum iter relinquunt. Neque verò hominibus nisi lacessiti nocent vnquam. Atque summum pœnarum illud est, vt ad teli iactum promuscide sublimem iaculentur. Hoc natura, hac virtute præditum est, tantum tamque horrendum animal; vt ab illo mansuetudinem, & misericordiam, qui natura sumus inexorabiles, & implacabiles, accipiamus.

Equus.

CVm in equo quatuor spectanda sint, color, forma, mentum, & pulchritudo. Hi colores præcipui sunt, blandus, aureus, albineus, rufus, murteus, ceruinus, gilbus, scutulatus, albus, niger, pressus, sed varius, nescio quam habeat speciem & elegantiam præstantem multiplici splendore suo, præsertim cum equi maculam præferant albam in fronte. Qui sic excellunt, tantâ sunt pulchritudine, & venustate præditi, vt equestre nullum Calamidis signum spectabilius esse videatur. Fortissimus autem illorum laudabitur magnopere, qui à teneris didicit laborem perferre, altius ingrediens, & reponens crura mollissimè, primus viam inire, reliquis præire, fluuios traiicere tumentes & incitatos, & ignoto ponti committere seipsum audet, nullos strepitus, nullos fragores exhorret. Eâ autem est compositione oris, & conformatione corporis, vt arduâ cervice, arguto capite, breui aluo, obeso tergo, luxuriante thoro, animoso pectore, honestis spadicibus, glauciscque emicet. Si verò datum fuerit signum committendi prælij, & procul armorum horror ingruere visus fuerit, & campi latè armatorum millibus occupati buccinæ clangore personuerint, stare loco nesciat, & in arma, in prælia furens præcepsque feratur, micet auribus, & tremat totis artubus, & compressum conclusumque intus ignem naribus efflet, multiplici hinnitu, horrendoque fremitu complens omnia, densis admodum iubis iactatis, ac dextris in armis recumbentibus, duplici spina, quæ per lumbos agatur ducaturque, fodiat ictu terram, quacunque transierit, vehementi, vbicunque fuerit, solido cornu semper vngulâ personanti.

Descriptio pulli.

CVm natus est pullus, confestim licet indolem æstimare: qualis ille futurus sit equus, è pullo coniectare possumus. Eius bona signa sunt, si cum gregalibus in pabulo contendat, in cursu, aliaque quacumque re, quò præstantior sit, excellat. Si flumen prius traiiciat audacter, gregem præeat imprimis, nec respectet alios. Si hilaris, si intrepidus, si denique aspectu, neque nouæ rei auditu terreatur. Si alacritate lasciuiaque cum æqualibus certet, victor euadat. Si fossas pontemque non horreat, quæ cùm honesti sint animi documenta, mores quales spectabuntur in pullo? Qui sunt mites, & concitati. Quippe qui ad obsequendum reperiuntur habiles, & ad laborum certamina patientissimi, vt qui ex summâ quiete facile concitantur, vel ex incitatâ festinatione nõ facile teneri possunt. Quâ verò formâ, quàm præstanti, quam spectatâ? exiguo capite, nigris oculis, naribus apertis, & ignẽ spirantibus, auribus arrectis, & breuibus, ceruice molli, lataque, nec longâ, iubâ densâ in dextram partem ceruicis iactatâ, lato pectore, pleno & musculorũ thoris numeroso, substrictoque, spinâ duplici non prominenti, latis lumbis, & subsidentibus, clunibus rotundis, feminibus torosis ac numerosis, crinibus æqualibus, atque altis, rectisque, generibus rotundis, vngulis duris, & altis, & concauis, cauda longâ & setosa, crispaque, toto denique corpore venis ita diffusis, & apparentibus, vt quæque qua in parte corporis fuerint, sine difficultate videantur: sic denique corpus vniuersum compositum, sic ex omni parte ad speciem & vsum conformatum erit, vt sit grande, sublime, rectum ad aspectum, agile, & ex longo, quantum forma permittit, rotundum.

Descriptio mali equi.

OMitte equum, quem tibi describam, ac noli, quæso, emere, ni vis ab omnibus iure optimo reprehendi, & nulli aut exiguo tibi vsui videri. Quis enim malè pecunias impensas nõ dicet, in equo, cui vitio dari videas ea, quæ sequuntur? Cuius caput graue, & carnosum fuerit, aures magnæ, rares angustæ, oculi caui, ceruix oblõga, iuba parum pilosa, pectus angustum, & latera parum carnis habentia, lumbi acuti, coxæ asperæ, crura duriora, & tarda ad motum, genua ægrè flexilia, partes mollia, & quæ gressum equi difficilem & periculosum præ-

stant, vt & magis lassetur, & sæpius offendat, ac non rarò (quod vulgò dicitur) cespitet, femora parum solida, tibiæ varicosæ, cynepodes crassi, tenues vngues, & vngulæ plenè carnosæ. Passim deterretur, rerum non modò nouarum, sed frequenti aspectu visarum: inanes vmbras, & quamcunq; aspiciens, consistere, retrocedere, à via discedere cernitur. Mouere se loco non vult, calcitrat postremò, & in itinere, non multum spatij, vel paucas progressus leucas, lassus ac fessus in pulueroleto præsertim loco iacere auet. Cum verò ad oppidulum aliquod, quod est in itinere, accedit, nunquam medium callem præteruehet equitem, sed ad parietes adhærebit, nolens longius progredi, inde calcaribus admotis, & stimulis infixis, & multis fustibus vix euelletur, & persequi cogetur iter legitimum: sic hinnire, sic fremere incipit affectans diuersoria, & ædes quascunque apertas, in quas nisi de industriâ, & vi adhibitâ contentioneq; multa seipsum equitemque intulisset, atque planè intrusisset. Sic opus est famulum habenas sumere in manus, & insidentem ilia perfodere, stimulare, agitare, quoad oppidum transierit, neque domum vllam videat, vt actus habenis, & coactus calcaribus longius progrediatur. Cùm autem sternendus est, opus est vicinos conuocare, qui adiuuent domesticos (neq; enim illi sufficere possunt) vnus caput, duo à dextra, & à sinistra collum, reliqui corpus, & quidē vinculis astrictis pedibus, & fune ad annulum ferreum allegato, difficili negotio, magno labore in scapulas sella iniiciatur, & post multam adhibitam contentionem, fessus iam & fustibus valdè mulctatus eam accipit. Quid dicam de fræno? vt amouet caput? vt retorquet os? multorum opera necessaria est, vt collum, vt aures, vt caput famuli teneāt, vt vnus lupatum per vim maximam inferat, & intrudat. Et cum manticam in clunes imponi sentit, antequam ad sellam funiculis constringendam accedas, & quæcumque alia imponenda vt loculos coriaceos ab armis vel à tergo pendentes ferre nequit, calcaribus mille deiicere ac deturbare conatur: Quod minori vitio verteretur, nisi equitem excutiens, malè æpus afficeret. Nulli equidem, non fræno, non sellæ, non oneri facilem se præbet: denique dominus vendidisset libentissimè, si inuenisset, qui bestiam tam indomitam, tot vitiis laborantem emere voluisset, & multo quidem vilius, quàm ipse emisset. Nam satius est equo carere indomito, & pedibus iter facere, quàm difficilem, tardum, durum, & intolerandum equum habere.

Eques.

Eques.

VIde equitem in equo ferè indomito insidentem, mira venustate, recto corpore, & excelso, & cruribus compositis ad equestrem speciem & elegantiam, cum habenis in manu ad exercendum, defatigandumque equum, quem multo cursu, sursum deorsumque facto equum defatigare vides, & officium facere tanta peritia equitandique scientia, vt laudent omnes, omnes mirentur, veniant spectatum, & sese equites effundant artis istiusmodi cognoscendæ cupidissimi. Quem exu tantem & moderatius excurrentem continere solet & coercere, vt habenas, cùm opus est, adducit? vt remittit? vt versat in omnem partem? vt incitat ad cursum, vt reuocat, & parere lupato cogit? planè videtur ab incunabulis, ad rerum equestrium scientiam institutus. Sed inter alia illa scientia fræno sustinendi equi in præcipiti etiam & lubrico loco, quanto clarior est, cùm refractarium lupatis adeò refregit? quam admiranda illa in equo tractando & in exercendo virtus, expectata laus, quæ indomitum & effrænatum equum in exiguum sæpe gyrum compulit? sed quid non ageret, qui præter equestrem scientiam, præter vsum & exercitationem, ad hunc gyrum agendum atque conficiendum orbem, brachiorum, & manus incredibili robore fuit præditus?

Catus, siue felis.

CAtus animal est velox, & scandendo, reptando, saliendoq; miræ agilitatis, valdè mordax, diuersa murium genera, & aues quoque venatur, & ob eam causam naturæ beneficio in tenebris cernit. Vescitur eisdem, quibus canes, cibis; pisces præcipuè appetit in cibum, & in ventris ingluuiem effusus intemperanter. Cuius rei causa non rarò pericula subit maxima. Fornaces & calida loca diligit, vnde pilos sæpe adurit. Si gelidâ aquâ proieceris in illum, vel pauculis guttis respersseris, quasi æstro percitus, & furiis agitatus, fugit celeriter in eum vsque locum, vbi consistens, excutit sese, & abstergere conatur lingua lambendo. Purè nimis & molliter cubare gaudet, quare in puluinulis, in lectis mollissimè stratis, in tenuissimis mollissimisque vestibus cubantem aspicies. Vnde abactus, eò redit simul atque despexeris, vt fustibus & flagellis necesse sit deterrere, ne malo affectus reuertatur. Domo sua relicta vagatur, & domus & tecta vicinorum peruagans penu quærit, & loca, vbi se exple-

re consueuit, & aliquid prædæ nanciſci. Vbi ſæpè miſer facilè capitur, qua domos ingreditur, per feneſtras, per loca, in foueam, in laqueos comparatos incidens. Mures captat & venatur ſolertia maxima obſeruans, & expectans inuadendi tempus, & dentibus arripiens, ex ore pendentes trahere ſolet ad al quod tempus. Quos aliquando ex ore deiicit, vel leniter humi ſtatuit obſeruans, ſi mus ſe commouere audeat; quem ſpatium aliquod currere permittit, ſed accurrens & capiens iterum magis premit, quaſi volentem ſe ex ore ſuo ac dentibus liberare: & vlciſcitur audaciam, puncto temporis deuorans ac deglutiens, & aliò deinde ſe proripiens prædæ maioris faciundæ cauſa. Denique, vt alia omittam, rixari ſolent duo ſæpe feles, & tanta rabie feruntur incitati, dentes & vngues in omnes corporis partes, maximè in collum iniicientes, vt rictum diducant, exerant aliquando linguam, dentes oſtendant, ogganniant, & cæco furentique impetu inuadant ſe ipſos, & complexi acerrimè conſtringant ſeſe, in mutuam quaſi necem contendentes, ſui plerunque inſcientes adeò, vt ſe ſuſtinere nequeant, ſed de tectis in periſtylium horrifico ſtrepitu ac fragore dent præcipites ſeſe. Fugere ſtatim ambo, & diuerſi & quaſi agitati in tenebras, & in locum abditum recipere ſeſe: ridere præſentes, cachinnari, clamoribus inſectari, & ſæpe lapidibus appetere, donec è conſpectu amiſſi minimè comparent.

Leo.

LEonum ferarum omnium, & belluarum immaniſſimarum Regem eſſe magno ſunt argumento caput, pectus, genua, inceſſus, ſaltus, celeritas, curſus, viſus, iuba, os cataphractum, latera firma, nerui ſolidi, vngues magni. Ille capite firmiſſimo eſt, facie magis quadrata, quàm oſſea. Quam ſpeciem habet frons in medio magis caua, eminentibus decorata ſuperciliis, qui oculos habet charopos, concauos, non admodum rotundos, magnitudine mediocri, aſpectu horribili. Oculi tamē prægrandibus veſtiti ſuperciliis, & pilis quaſi horrentibus timorem incutiunt. Rictus oris amplus, & in tantam amplitudinem labra tenuia, ita vt partes ſuperiores inferioribus ſuperiectæ ſint. Bone Deus, quos dentes habet? teretes & acutos, quàm cerui cem rigentem, & ex vno oſſe conſtantem, nullis vertebris cohærentem! Quamobrem nullis eam articulatis oſſibus, nullis ſpondilis coniunctam flectere nequit, nullam in partem retorquere. Sed quæ ſpiritus magnitudo? quæ celſi-

tas

tas animi in Leone videtur inesse, cùm colla armosq; vestiunt iubæ? quam summa vis & robur in pectore? iis costis, eo dorso valdè firmo munitum est, vt ictus omnes, & plagam omnem illatam perferre possit. Cùm verò crura multum roboris ac neruorum habeant, tum pedes ad incedendum, & sistendum stabiles: sed priores quinis distinguuntur digitis, posteriores quaternis, eo'que habet vnguibus armatos rapacissimis, & ad discerpendos hostes, & carnificinam exercendam aptissimos. Incedit autem tardis & passibus multum distantibus, humeris ad singulos passus commotis, ad militum nostrorum similitudinem, qui in vrbanâ lustratione, numeris quasi in incessu seruatis hastati progrediuntur ad ostentationem, iactationemque superbissimam. Atque vngues retrahunt, ne hebetes, & obtusi reddantur quasi in vaginam inclusos. Quæ si speciem habent maximam, si iactationem & insolentiam ferè intolerandam, quid illud in capite, præcelsum diadema, quasi regiæ dominationis præcellentissimum insigne? Quid cauda illa tracta modò, raptataque, modò in vnum & in alterum latus iactata cùm longitudine sua, tum quassu non pauco, eiusque frequenti verbere se stimulans & inflammans ad pugnam, cùm erigit iubas, cùm rugitu horrendo tonant loca terrarum deserta? Quid præ se fert, & ostentat id temporis cursus, propositi & incessus vsitati immemor? cursu citato fertur, rapido ac præcipiti, sui ipsius quasi inscius & impotens, vt se ipsum retinere nequeat, quò vult, rem transacturus, & exercitaturus carnificinam accelerans & aduolans.

Voracitas Leonis.

FErocissimus quidem est in edendo, nisi pastus & satiatus nunquam quiescens, semper crudelissimus & immanissimus, cibum vt quærat numquam segnis. Quærit anxius ac solicitus, donec prædam faciat: cùm cadauera non degustet, & crudis carnibus satietur, quod viuum comprehendit, suis vnguibus rapacissimis apprehendens, & discerpens, dentibus ferratis, fame intoleranda, crudum & sæpe solidum deglutit, ad ventris voraginem imam detrudēs. Quòd si quid reliqui fecerit, ad illud non reuertitur. Nec deuorandi finem facit, quoad ritu reliquorum syluestrium animalium suam insatiabilem auiditatem, & famem expleat, intemperantia tanta, tanta incontinentia vescendi, vt in carnes sese effundens, plurima deuoret solida, nihil dissecans. Quē postea, quoad concoctæ carnes illæ

fuerint, biduo, triduoque abstinere videas, ad tantam iam expletum satietatem, & interim iacere, cubandoque fouere seipsum. In tantâ autem multitudine carnium, quas deuorare potest, non autem decoquere, vt simiæ, & alia animalia, vomitionibus se purgans Leo insertis in ora vnguibus, & in fauces adactis, quas aluus capere non potest, extrahit, & euomit frusta esculentorum halitum redolentia teterrimum, fœtido illo suo ore, saliuâ iam & humore corrupta.

Alia descriptio Leonis.

DOno ac munere diuino datum est Leoni sic incedere, vt vestigia reddat prorsus incerta venatoribus, neque latibuli vestigium ex impressis pedum vestigiis consequatur. Cùm enim ingreditur, non rectâ iter facit, nec simplex ponit vestigium, sed varium imprimit & multiplex. Modò enim progreditur, modò regreditur, tum rursus procedit, idemque vicissim retrò commeat, modò quasi sursum versus, modò permixtum facit vestigium, deinde partim progreditur viam, partim obliterat, vt ne venatores eius vestigiis insistentes, lustrum, vbi cum suis catulis habitat, inuenire possint. Atque hæc vestigia, quod admiratione dignum est, variè inuoluta obliterat, & incerta reddit, cùm eundo, progrediendoque obliquè, tum cauda confundendo, ne catuli furto substrahi possint: inuolutis semper vestigiis incedit, tanquam vaginâ conditis, intus vnguibus, ne attritis acies retundatur, ac se, & catulos tueri nequeat. Ac ne vestigantibus occasio detur magis aperta venatoribus, qui catulos auferre volunt multitudine canum circumuallati, latratu multo, multo impetu appetitus, ictibus horrificis telorum, & omnis generis armorum sauciatus, illos defendit inter tantam vim & armorum, & hostium multitudinem, oculis in terram defixis. Nec ille venabulorum fulgorem, nec horrorem pertimescit, sed impresso semper vtroque vestigio pro catulis acerrimè pugnantem videre quantam admirationem affert! Præclarè contemnit factam saxorum lapidationem, & crebram missionem telorum: neque infinitis vulneribus, inuicto animi robore, & incredibili magnitudine omittit eos tueri ac defendere, priusquam hac contentione, susceptaque catulorum defensione, extremum spiritum exhalans, occumbat. Non enim sanè suâ tantopere morte mouetur, quàm ne ab antro sui catuli abripiantur: quos si rediens aliquando leæna

vidit

vidit subtractos, quemadmodum se afflictat? miserabili voce non aliter exclamare solet, plorareque, quàm eiulare solent mulieres, cùm patria armis vastatur, diripiuntur ædes, cædes fiunt indignissimæ, & crudelitate in omnium funeribus exultante deterrimâ, ignis ardore deflagrat.

Descriptio Leporum.

OMnes corporis partes in Lepore mirificè ad celeritatem compositæ sunt: siquidem ea, quæ insunt, cernuntur in corpore. Caput agile est, breue, rotundum, pronum, & acutum terminatur, aures sublimiores, collum angustum, molle, oblongum, scapulæ rectæ non arctæ, sed laxæ, solutaque ad motum faciliorem crura leuia ac solida, exiguo interuallo distincta, posteriora magis distant, & diuaricantur, pectus non graue, nec carne multa obductum, costæ leues, aluus carnosa, ilia tenera, fœmora longa, & solida, pedes anteriores summè flexiles, longi, molles aliquantulum, posteriores solidi, duriusculi, angusti, recti, lati, nulliusque vtrimque non contemptores asperitatis, posteriora crura prioribus multò longiora, parumque procurua, breuibus villis leuibusque notata. Quæ compositio, conformatioque totius corporis, quantam vim habeat ad agilitatem summam, nemo ignorat. Atque cùm cauda ad currendum non multum emolumenti habere videatur, ne illa possit cursum retardare celerem, auribus maximè ducitur in cursu. Quia verò timidus est admodum, terram proximè aratri vomere perstrictam quærit, ibique nonnunquam stratus, nulla alia re abditus, venatores canesque ipsos prætereuntes, sagaciter propè omnia perquirentes, coloris tantùm beneficio, quia dorsum pullum est, latet. Cùm verò lepores alij montani, alij campestres, alij palustres sint, velocissimi sunt primi, proximi verò minus, tardissimi sanè postremi, qui loca omnia pererrant, in cursu molesti sunt. Sciunt enim compendia viarum, currunt per aduersa vel plana maximè, per diuersa variè, per decliuia minimè: nam faciliùs capientur, cùm per decliuia ferantur, propter pedum posteriorum altitudinem præcipites in caput acti. In accliuibus verò pedum inæqualitas facit, vt corpus æqualiter feratur, cùm quantum locus humiliter subsidit, tantum ipse altitudine crurum erigatur, vt quasi in plano currere videatur: aut quod ad leporem sanè locus videri planus possit.

Sed vbi lepus cubat? In arbustis occultioribus, in densis fruticetis, in foraminibus terræ profundis: quem vagire audias, & quod alij dixerunt, acutam vocem edere. Quiescere scias interdiu, noctu vagari, & nunquam nisi nocte ad pastum progredi, atque in patibula vsque longinqua, natura duce, vt se exerceat, & pedum celeritatem armet. Atque cùm hæc sint in lepore, ille naturâ timidus est, pauidus & fugitiuus, & admodum debilis & imbecillis: qui non prius cubile solet adire, quàm modò ingrediens, modò egrediens, sua confuderit, conturbauerit que vestigia, vt ea struentibus insidias, parantibusque laqueos occultet, ad fallendos homines naturali sagacitate præditus. Neque lepus duntaxat venatorum, sed vulpium insidias cauet, quorum incursiones perhorrescit, vt extimescit auiũ impetus, & exhorret coruorum & aquilarum voces: quibus cùm auibus nullum inire fœdus, nullam pacem facere dictus est vnquam, sed se intrudit in dumeta, in alta fruteta, in cespites, aut cùm angustiis vrgetur, in quoduis aliud latibulum inicit sese. Sed vt alia omittamus, animalia vidêre leporem fugientem vulpeculam, vulpeculam insectantem leporem. Postquam vulpes in leporis vestigium incidit, ex eo sensum percipit, animam continens, comprimensque spiritum sensim, & pedetentim vsque eò vestigiis leporis insistit, quoad in cubili deprehendens, tanquam ex insidiis securum & inopinantem aggreditur: sed lepus non soluto, nec remisso animo somnum capiens, sed sollicito ac suspenso, simul atque vulpem aduentantem sensit, de cubili exilit, properat, ac fugæ se mandat, cursum ad summam celeritatem faciens nullius vestigiis insistens currere non desistit. Lepus vbi longam viam confecit, qui iam longinquo interuallo à vulpe distet, in dumeta, ac fruteta densiora abdens sese, ex longo cursu libenter ac multum quiescere cernitur, & vulpes è vestigio insequi, nec concedit quidem, vt è fuga multum consistat, reficiat, ac recreet sese; sed ad alterum cursum ex quiete leporem excitare properat, statimq; agitare. Lepus rursum fugã capere, & quàm incitato cursu, à tergo abscessu longiore vulpem relinquere properat, iterum requietis interualla capiens, ex cursu magis defatigatus, ac vix respirare valens. Vulpes accedens frutetum, in quod ille se coniecerit, vrgere pergit multum, valdeque excutere. Leporem non consistere magis videbis, sed procurrere, & prouolare, vulpem non minùs insequi: imbecillus & infirmus lepus longius procurrere non potest. Itaque cedere vulpi cogitur, labori succumbere. Vulpes verò inuadere cernitur

tur, & longinquitate temporis, captioſaque inueſtigatione currendo feſſum leporem comprehendere.

Deſcriptio venandorum Leporum.

DEſcribam venationem Leporum, qui incolæ ſunt, & habitatores montium. Qui non tam veloces ſunt, quàm qui in patentibus camporum æquoribus verſantur, niſi quando traiectus habeant ad radices montium in planiciem explicatos, quò ex montibus decurrant. Hos vbi venatores excitarunt, & inſequuntur, fugere ſcias, & vt reliquos properare & accelerare fugam, quantum poſſunt. Cùm autem non procul abeſt, vt capiantur, campeſtris viæ breuitatem illi declinare, in altiores locos, & montes ſe conuertere, in ſuas ſedes feſtinantes euadere ſtudent id temporis, & inſperatam ſalutem aſſequi. Canibus enim & equis itinera ſunt infeſta montium & inimica: quamobrem pedes illis obteri ac debilitari neceſſarium eſt, & eo acerbius vexari canes, quippe quorum pedes carnei ſunt, & minimè ad ſaxa perferenda reſiſtentes. Lepores ob pedes pilis conueſtitos diritatem & aſperitatem locorum facilius pati poſſunt.

Deſcriptio Leporum aliorum.

MVltò diſſimiles ſunt Lepores in crebris dumetorum frequentium locis commorantes, qui laboris inertiâ ſegnes, non ad curſum velocitate valent, ex pedum tarditate ad fugiendum laborantes: quos capi facilè videas à venatoribus. Opimus enim illorum habitus, & ceſſatio torpere facit, & currendi inſuetos, & ad proficiſcendum longè imbecilles. Quamobrem quam facilis ſit eorum venandorum ratio, vel ex eo potiſſimum cernes, cùm frutices Lepores videas per paruulos, & minimè continenti crebritate denſos permeare, denſiores verò, qui tranſiri non poſſunt, tranſilire, vbi fruticeum aliud ex alio nexum latiſſimè continuatur, corporis grauitate parum ad ſaltum valentes, ſanè quàm citò laborare ac ſuccumbere; canes verò ab eis ipſis primum aberrare, quòd non eos per minutarum arbuſcularum frequẽtiam vident. Et verò per frutices ſalire properant odoris ſenſu illecti, deinde viſos tandem aliquando inſequi pergunt, de contentione currendi nihil remittentes. Sic Lepores ipſos partim ex continuatione ſaliendi ad fugiendum rẽmolleſcere, & viribus deficientes comprehendi neceſſe eſt.

Tertia descriptio Leporum campestrium, venandorum.

LEpus, quem canes & equi insectantur, si Campestris fuerit, celeriore concitatioreque cursu, quàm Montanus, viam conficit, propter corporis exiguitatem & tenuitatem. Cùm gracili habitu sit, ipsum celeritate præstare, vero proximum est. Primùm à canibus, à venatoribus excitatus, exiliens saltu fertur, dumeta virgultaque densiora præterlabitur, herbas quamuis altas & frequentes transilire potest, ex illis facilè explicare sese atque elabi, aurium robore ad cursum incitatus, fugiens eas retorquet, eisdemque ne à currendo retardetur, tanquam stimulis concitatur. Currere igitur leporem scias, nec eundem tenere cursum, rectum atque directum: sed huc & illuc se versare, à recto cursu deflectere, vt exterreat canes, & ad id circũuenire diuerticulum, quò vult iter conuertere, aurium alterutram intorquere, atque inflectere, & ea quasi moderatrice cursum dirigere. Neque verò improuidè vno eodemque tempore omnes sui corporis neruos contendere visus est, sed impetum insequẽtis obseruare, & si ad insequendum tardus & segnis ille, sic non omnem suam celeritatem profundere. Sed canes duntaxat antegredi maturans, sese integrum seruare, & ex viribus suis gerere, non omnem suam currẽdi vrgere facultatem, ne ex incitato cursu deficiat. Penitus enim cognoscit sese cursu lõgè multumque excellere, & videt impensius, non esse opus nimiâ celeritate cursus. Quod si pedum celeritate canis ad conficiendum interpellet, id temporis omnibus reuocaris viribus lepus quàm maximo cursu fertur. Cum longè multumq; canibus anteuerterit, & longo pòst se interuallo venatores, & equos reliquerit, in aliquem tumulum properat ascendere, & in posteriores pedes sese erigens, tanquam ex aliqua specula, tantum certamen prospicere gaudet, & vt coniicere licet, quasi rationis particeps, more hominũ, vt debiliores ridere venatores & canes. Ex quo tempore omnibus in rebus se superiorem videns, quietem & tranquillitatem adeptus, ex lassitudine gratè libenterque dormit.

* * *

Vltima

Vltima descriptio.

CVm exeundum est ad venationē, diluculo fiat, ne inuestigatione venator priuetur, si mora fiet, & vt leporē canes inueniant, & vestigium maneat, quod singulis horis euanescit. Stolam custos retium, leuem indutus retibus diuerticula claudit fragosa, decliuia, caua, obscura, riuos, aquasque perennes: hæc enim præcipua sunt leporum perfugia. At quâ ratione diuerticula, biuia, vias, vel semitas latas, & angustas præcludit? hastilia figit supina, vt cùm adducantur, contendi possint, in ijs summis laqueos æquales subijcit, pariterque fulcit in medio reticulum, oblongum lapidem, magnumque suspendit, ne rete, cū leporem cœperit, reducere possit. Vbi casses in opportunis locis obiecerit, circumiens cautius obseruat, leporem iam incipit agitare, insequi cum clamore, ad retia adigere. Cùm in rete inciderit, canum iram, non pulsando, sed leniendo refrænare, venatori clamando dicere captum esse, aut hac illacue laporē transcurrere. Venator, qui cum neglecta tenuique veste, & calceo venatum exijt, manu baculum gestās, saltum adire, canes inuestigandi peritissimos, capiendique cupidissimos dimittere, illi leporem insequi, vrgere, premere, venatori significare toto cum caudis corpore micantes, hostiliter insultare, certatim præterre, studiosè concurrere, repentè cōsistere, diuulsi rursus inuadere, postremò ad leporis cubile peruenire, & in ipsum tandem incurrere. Quid de Lepore? Lepus subitò è latibulis erumpens, canum in se latratum & clamorem fugiendo cōuertere, d scurrere Lepus & canes, hos venator clamans animare, Io canes, Io segnis, bene O canes, sequi nec perturbare ob oculos positus, sed ab oculis propiens refugere, & loca vbi primùm inuenitur repetere, pro more clamare, & loqui cum retium custode. O puer, heus puer, ha puer, ehe puer, captusne lepus? vbi custos significauerit, vel inclamauerit captum esse leporem, reuocatis canibus, alium inuestigare pergit, vel incitare canes, & currentes inclamare: Euge, euge, O canes instate, vrgete, premite, capite, deferte, date in manus, bellè canes, bellè O canes mei, optimi, belliſſimi.

Lupus

Lupus.

VIde prægrandem & atrum Lupum, eumque ferociſſimum, ouibus infeſtum, quarum carnes appetit, in ſpeciem & ſimilitudinem canis, ore & dentibus valens, rigenti collo, humeris latis, hirſutis femoribus, vlulat horrendum in modum, & toto impetu fertur illo rictu ſuo ampliore, os quàm maximè diducens, vt maiore vi mordere queat, inuadit in feras voraciſſimus & propè inſatiabilis, pilos & oſſa deuorat, & multa ſolida. Feroxadeò eſt, & inſidioſus, audax, & doloſus, vt eorum rapax natura fert. Vbi caulas intrauit, non ſolum interficit quòd ſatis eſſet ad ventrem, ſed magnam partem gregis iugulat. Sed quomodo ouem capit? inſidiari incipit, ouile circuire, canis ſomnum ac paſtoris deſidiam vel abſentiam explorare, caulas intrare, aut incidens in gregem ouium interficere, tranſglutire multo commanſu, & ſeſe explere ad ſatietatem vſque, deinde numerum ouium ingentem iugulare, exercere carnificinã maximam, & niſi balatu multo, excitus occurriſſet, interuallo longo diſiunctus Paſtor cum canibus, periiſſent ferè oues omnes à lupo, qui Paſtoris ope fugatus, cædem reliquam intermittit. Sed quid miraris lupem hunc truculentum adeò, & ferum in oues natura imbecilliores, qui in bouis vitulum, in oculis & ore bubulci non audentis opem ferre, audacter inuadit, & arrectis naribus trahere conatur, quamuis vitulus viſus fuerit retrahere ſeſe, & permulta interim pugna fiat, dum ille vitulum expugnare, hic reſiſtere conatur: adeò pugnaciter reſiſtentẽ perſpiciens vitulum obtinentem non remittit, ſed ex vi retrahendi, & tergiuerſandi in ſuum dorſum recidere compellit, & continuò impetu facto ventrem illius lacerare, & diſtractum exedere, ac conficere pergit. Neque hoc etiam mirabere, cùm lupi naturâ ſint crudeles & immanes: vt homines, inſidias moliuntur. Circumagi ſcias illos, in orbes conuerti plures, deinde excurrere, donec ex vertigine currendi, & caligine eorum aliquis lapſus eſt, quem illicò ſtratum humi cæteri omnes impetu facto dilaniant. Sed calliditatem iſtiuſmodi fame dominante minus admirabere, ſi videas lupum cùm tauro callidate contendere, contra quem lupus ire, & ſimul eum à fronte adoriri nõ audet, cornua extimeſcit, & illorum mucrones oppoſitus: pugnare tamen calliditate ſua non deſinit, & quaſi aduerſus pugnam cõmittere paratiſſimus, minas iacere, & illius oculis crebrò ſeſe obijcere,

objicere, deinde se retorquere, in dorsum insilire, & celerrimè ad illius perniciem incumbere, quoad eum, naturæ versutiâ debilitatem suam compensans, tandem expugnat.

Descriptio Muli.

MVlus naturâ suâ asinum magis quam equum refert: quamobrem asini vocem edit, & illius multa propria ac peculiaria habet, auriculas longas, pedes exiguos, corpus macilentum, reliqua verò habet, vt equus nigranti tamen plerumque colore, magnus & caudatus est, ceruix tamen illorum non erecta, vt equorum, etiam si longa sit, sed proiecta protensaque. Hordeo herbaque vescitur; sed maximè potu pinguescit, atque inter bibendum, extrema duntaxat labra videas immergere. Sed cum nati sint ad onera perferenda, clitellas eorum dorsis muliones imponunt; quibus detractis rudere incipiunt, gaudere, indulgere voluptationi, vt à lassitudine recreentur, denique exurgentes extergere sese quassu multo totius corporis, & ad pastus corporis statos iam se comparare.

Ouis.

OVis ea debet esse laude prædita, quæ corpore amplo, multaque lana sit & molli, & villis altis & densis toto corpore, maxime circum ceruicem & collum. Ventrem quoque habebit pilosum, sed & cruribus erit humilibus, cauda longa, nec colore vario distinguetur; cornibus tamen caret, quibus valet aries ad sui defensionem. Balatus earum tenuis est, & remissus. Mitis tota est, & mansueta, quæ radicitus herbas carpit, & arboribus obest, plurimis plantis morsus est exitialis. Pascua tenuia & vberrima debent esse, vt lanam ferat molliorē. In pascendo ruminat, vt quæ superiorum dentium ordine careat. Illa verò pabuli vbertate saturatur, tum verò longè pascitur à sentibus, quæ lanam diminuunt, & corpus incidunt. Quæ pinguis ac nitida fit ex potu, illa quamuis debilis sit, capris valentior fiet. Est enim algoris patiens, quæque hybernis temporibus pruinam, quam suscepit, sustinet: quæ minus virium habet, parum præ sua imbecillitate constans, discutit corporis motu: contenta autem, si à caudis glaciem excutiat. Cùm autē mitis sit, & natura sua maximè quieta, & aptissima est ad hominum vitam, & ad parendum admodum facilis. Pastoribus enim

obedit

obedit, & canibus obtemperat, & capras sequitur, tamen ouile genus amens, & moribus, vt dici solet, stultissimum est. Quippe quòd omnium quadrupedum ineptissimum, repit in desertam solitudinem sine causa, hyeme sæuiente ipsum egreditur stabulum, & obductum niue, nisi pastor compulerit, redire non vult, sed petit deuia, nisi mares à pastore ducantur, quos reliquus grex consequitur: sed oues tanto se amore prosequuntur, & caras habent vicissim, vt afficiantur dolore maximo, si viderint aliquam earum imbecillem. Atque id temporis hoc facere solent, vt soli pro ea se obijciant, & vmbram eidem obtendant. Quid memorem ouium vtilitates, quas afferunt hominum generi, quæ ad cibum, lac, caseum, & carnem; & ad corpus vestitum, & pelles attulerũt. Quamobrem præmoneamus pastores, vt prouidi sint ac vigilantes in custodiendis pascendisque ouibus, vt eas mansuetudine clementiaque moderentur, & in cogendis recipiendisque ouibus acclamatione, ac baculo minentur, nec vnquam telum emittant in eas, nec ab illis longius recedant, nec aut recubent, aut considant: nam si procedunt, stare debent. Grex enim, quod aliud custodis officium, nisi sublimem celsissimamque veluti oculorum speculam desiderat? vt neque tardiores & grauidas, dum cunctantur; neque agiles & fœtas dum procurrunt, separari à cæteris sinant, ne fur aut bestia hallucinantem pastorem decipiant.

Tonsura Ouium.

ADest iam tempus tondendarum ouium ineunte Iulio, vel vellendarum, quod prius factum fuit. Id tempus expectatur, vt oues neque frigus, si lanam detraxeris; neque æstum, si nondum detonderis, sentiant. Sed officio fungentes huiusmodi, vt pedibus ac manibus deuinctis inter duo crura interijciant ouem vallantem & pronam modò, modò resupinam, obliquam & à lateribus iacentem detondent paulatim forcipibus in vasa proxima illatis, ad abstergendas, vt credo, sordes inter tondendum susceptas. Interim dum tondentur oues, vt gaudent illæ, vt conticent, & sese commoueri patiuntur, & in vtrumque conuerti latus, nonnunquam breui contentæ balatu, quo se demulceri quasi gaudent, & gratificari videntur tonsoribus. Tonderi omnes partes [illegible]dent, quia mole vellerum & grauitate leuantur, nudæ quasi & spoliatæ amictu, quia ad frigoris vim depellendam à naturâ datus est, vellere crescente exurgenteque ad iustam densitatem. Detonsas

vngi

vngi vsitato medicamine, & imbui necessarium est, & delibuto tergore triduum manere, vt oues medicamina istiusmodi perbibant: neque hac indulgentia solùm recreantur oues, sed si mare, si flumen proximum est, ad littus mergendę deducuntur, vel aquâ cœlesti cum sale paululum coctâ pecudum istiusmodi tonsa & vncta membra diluuntur. Hac curatione oues scabræ fieri non possunt, atque lana mollior & prolixior renascitur. Videas conglobatam lanam, velleraglomerata, post tonsuram in sua loca deferri quoad in saccos amplissimos & longissimos inferenda detrudendaque sint, quibus complentur, & infertiuntur, magno quidem ad vsus hominum, ad vestes præcipuè conficiendas, emenda.

Rhinoceros.

RHinoceros Elephanti similis, longitudine par, breuior cruribus, cornu in nare habet, in quo id est peculiare, vt quamuis alia singulis animalia cornibus conspiciantur, vt Oryx, onager, cæteris tamen à mediâ fonte, huic vni è naribus promineat. Cuius fiducia aduersus elephantem pugnare non metuit, cuius duo cingula tanquam draconum volumina cernere est à dorso in ventrem vsque tantum animal circumeuntia, vnum iubam versus, alterum ad lumbum. Frons illius est ornata pilis, & leuiter rufa, dorsum flauo spectatum colore, & maculis distinctum purpureis. Pellis tamen tanta firmitate munita est, vt ægrè iaculo penetrari queat: nam prædensa cernitur, ceu crustis quibusdam squamarum compacta, colore & figura tectũ referente testudinis. Cornu autem illud, quod vnicum est, in hanc formam figuratum est, vt reptãdum sit, idem modicè reflexum, breue tamen, & acutum instar ensis, & adeò valens, vt quidquid impetierit, aut ventilet, aut perforet, ferrum etiam & saxa traijciat: quod contra Elephantum pugnaturus saxis exacuat & leniat, postea congrediens eo acuminato elephanti crura toto rictu subitus, aluum petit, quam scit esse molliorem, & suis ictibus peruiam, eamque discerpit: sic valentissimam bestiam vincit, & fuso sanguine exanguis procumbit Elephas. Vis scire causas pugnandi? pugnat pro pastione, pro qua tuenda multi dicuntur occumbere. Atque in aluum fertur toto impetu Rhinoceros: Nam si non præoccupauerit, sed in aliam Elephantis partem aberrauerit, proboscide feritur, ac dentibus laniatur, quorum vis dirissimam illius, & saxi similem cutem & iaculo superiorem penetrat.

Simia.

Simiæ.

SImiæ dictæ sunt, quòd simæ sint & naribus depressis, vel quasi mimæ & imitatrices, fœda sanè facie, & deformi cernuntur. Quæ quanquam hac deformitate fuerint, & fœditate præditæ, tamen hominis faciem referunt, sed rotundam. Quæ tam prona, quàm supina sui corporis parte totæ pilosæ sunt, & crassiore pilo vestiuntur, longeque hirtiores in omni loco. Cõgruunt cum homine facie, vt nares, aures, dentes tam primores quàm molares hominis more habeant, habent brachia hominũ more, sed hirtiuscula, quæ, vt homines pedes, inflectunt, ad hæc manus, digitos, vngues hominis similes, verùm omnia rudiora, efferatioraque. Adde lacertos & femora breuia, proportione cubitorum & tibiarũ. Sed illa corporis pars superior est, quum inferior sit more quadrupedũ. Degunt plus temporis pronę quã erectæ, caudis sunt, sed non longis. Natura autem præditæ sunt ridicula, quãobrẽ in diuitũ ædibus ludicri ac ridiculi spectaculi gratia catenis alligatæ nutriuntur. Simia enim quemuis ludum docetur, natũ ad imitationẽ animal. Sed vitia potiùs, quã recta facta hominum imitatur, tristis, fraudulenta cernitur, nunquã ita mansueta, vt veterem omnino feritatem exuat. Rabie agitatur aliquando, facit impetus cæcos & vehementes. Sed ludendi studiosa delectatur ludendo cum pueris, cum canibus: fistula canere videas, saltare, scribere, & alia agere vniuersa, conantem mandere instar hominum vna manu. Nucem accipiens cortice primùm nudare cernitur, deijcere deinde, extrahere nucleum, & in os inferens, edere sensim vtraque malâ. Cùm sit animal saltationis auidum, saltare cupit, & numeros in saltatione seruare: si quenquam viderit induentem, hunc imitatur. Si lauãtem aspexerit, lauare faciem, abstergere postea, se ablutam & quasi nitentem proponere viris, mulieribusve præsentibus spectandã. Quin fucata, cerussataque cernitur, vt fuco cerussaque illita candorem, ruboremque falsum comparare possit, & rugas & formæ vitia occultare, quasi deformis anus, fucata tamen, & meretriciis culta lenocinijs. Illud autem quantũ risum concitat? non ridere solum, sed cachinnari coguntur homines, cùm se ad speculum intuendum, suamque aspicientem formam adeò fœdam, adeò deformem, mille gestus agere, & quasi placere sibi videtur. Ad corpus verò purgandum, & pediculos præsertim detrahendos, cùm os, cùm manus adhibet, cũ explorare

partes

partes corporis, cùm perſcrutari pediculos, cùm illos ex intimis quaſi corporis partibus latentes extrahere viſa eſt, ex vtraque manu digitos vſitatos ad comprimendos attenredoſq; admouere, quaſi pro malo, & pro morſu referat gratiam debiti & dignos iudicet, qui pro malis illatis talia ſubeant. & patiantur. Denique pro ridiculo ac delectamento ſimiæ iſtiuſmodi maximè habentur, cùm ad hominum morem veſtiantur & ornantur ſæpiſſimè, quò parum attentos, aut imperitos fallant, proq; homine ſalutentur nonnunquam: aut ſi deprehenſa fuerit ſpecies ac diſſimulatio, res magis videatur ridicula, & ſpectatorum cachinnis excipienda.

Sphinx.

SPhinx monſtrum Thebarum deterrimum, cuius caput eſt & manus puellæ, corpus canis, alæ auis, vox hominis, vngues leonis, cauda draconis. Hanc in Phincio monte ſedentem ænigma propoſuiſſe ciuibus fabulantur Poëtæ, ſoluere neſcientem interemiſſæ; cùm verò id Oedipus ſoluiſſet, ſeſe ipſam ex monte deieciſſe. Vnde ab aſtringendo dicta, vel quòd cogeret tranſeuntes conſiſtere, dum ænigma proponeretur, vel quòd homines ſuis quæſtionibus ita conſtringeret, vt ſe expedire non poſſent: vel quia ſic omnium mentes ſuis propoſitionibus ligatas conſtrictaſque teneret.

Sus.

SVs eſt facie deformi, capite paruo, anguſtâ fronte, planaque, oculis cauis, profundiſque, amplitudine roſtri notiſſimâ ad terram faciliùs infodiendam: nam mollium & radicum appetens eſt. Quamobrem os à naturâ latum eſt, latum anterius, in cuius medio inter nares additum neſcio quid quaſi acutum habens angulum, quo terram fodiat, cauetque. Atque ex inferiore malâ dentes prorumpunt exerti ad robur & auxilium, quibus armatur his in ſublime ſpectantibus, illis deorſum retortis. Collum ſuis, craſſum, & ceruix rigens corio duriore tecta, procerum corpus, ſetiſque horrentibus rigens, vngues biſulcæ, cauda non longa, quàm facilè, cùm vult, intorquet. & inflectit. Appetens eſt luti, cœni, ſordium, quibus ſe oblectat & voluatur auidiſſimè, ſpecies & adumbratio libidinoſorum. Vbicunq; fuerit grunniens prodit ſeſe, & non aſpectus agnoſcitur. Glandibus & furfuribus infertus pingueſcit: in ſterquilinijs roſtro, rictuque ampliſſimo verſat, & prouoluit ſordes omnes,

odorum suauitatem omnem tanquam venenum fugit. Naribus enim crassis interceptisque vim hebetem olfaciendi habet. Itaque tetrum & intolerabilem odorem percipere nequit omnino. Sed istius animalis saginandi, quanta cura est mortalibus, vt carnibus, quarum gustatus est suauissimus, macris, pinguibus, & permixtis vescantur? Quæ cura deinde adignem indurandi, ad escarum delicias? Nullum conuiuium celebratur, in quo non apponantur carnes suillæ carnibus a ijs permixtæ, qui ius & ius sapere, & perfici dicitur & absolui. Quid de pernis integris vino decoctis æstimare licet, quibus nihil suauius, nihil iucundius, nihil conuiuis magis appetitum, nec expectatum, vt si tardari videant, nec inferri suo tempore; efflagitent statim & importunis & magnis vociferationibus? Hinc boleti, hinc lucanicæ, hinc farcimina, hinc ventres faliſci, hinc lumbi, hinc succidia, hinc isicium, tomaculum, sumen, omasum, hinc costæ, quibus non parum hyeme iugulandorum suum tempore replentur inferciunturque domestici. Quoniam autem animal voracissimum natura existit, & lanij rarum esse suem aiunt, qui non aliquo vel hepatis, vel pulmonis, vel alio vitio laboret, cùm potissimùm splene laboret, danda est aqua bibenda, qua canales repletæ sint, & sitientibus admotæ: quippe ligni succus medicabilis potus, intestinorum tumorem compescit.

De Subulco.

SVbulcus vigilans, impiger, industrius suum, quas pascit, rationum habere debet diligenter, suem præcipuè vt obseruet enitentem, includatque vt in hara fœtum edat; denotet, quot & quales sint, & curet maximè, ne quis sub nutrice aliena educetur. Nam facillimè porci, si euaserint, hanc, miscent sese, & scrofa, cùm decubuit, æquè alieno ac suo præbet vbera. Atque officium maximè obibit, cùm vnamquamque maximè cum suo fœtu clauserit. At si nescit internoscere, vel memoria est imbecilli, præclare succurret, si diuersis notis signauerit, si numero distinxerit: quamuis id magnum habet laborem in gregibus amplis præstare. Meminerit haras ita fabricari, vt limen earum in tantam altitudinem exurgat, quantum possit nutrix euadere, lactens autem supergredi non possit, ita nec alienus irrepet. Suam quisque matrem locus expectat, qui tamen non debet amplius octo capitum numerum continere. Atque eæ, quibus

bus partus submittitur, cocto sunt hordeo sustinendæ, ne ad maciem summam perducantur, & ex ea ad aliquam perniciem. Curæ etiam sit, vt frequenter su le conuerrat, & sæpius haras. Quamuis istud animal in pabulatione spurcè versetur, mundũ tamen admodum cubile desiderat. Illa pars maximi quoque officij præstanda, vt per porticus haræ fiant, quibus aut à partu, aut etiam prægnantes includantur. Nam præcipuè sues, cateruatim & inconditæ, cùm sint pariter inclusæ, super alias aliæ cubant, & fœtus elidunt. In quo nõ obliuiscetur iunctas parietibus haras construere in pedum quatuor altitudinem, ne sus transilire septa queat. Nam contegi non debet, vt à superiore parte custos numerum porcorum recenseat, & si quem decumbens oppresserit, cubanti substrahat. Neque gregatim claudendæ porcæ more aliarum pecudum: sed in his omnibus illud caput, vt sues omnia faciant ad buccinam, ad quam assuefactis suibus, laboris magna parte porculatores leuabuntur.

Pretium & æstimatio carnis suillæ.

AVrelianus porcinam carnem populo distribuit, quæ hodie quoque diuiditur. Carnem suis nondum vetuli minutatim concisam cum lardo testatim inciso, & columbis, & perdicibus, & alijs, & pastillo vulgò dicto inclusam nostri decoquunt. Porcellus verò Troianus, gulæ veteris irritamentum, totus appositus, differtus intus varijs animantium generibus, quas mensas, quàm splendidas, quàm refertas honestauit? Inferebatur discus argenteus non modica crassitudine inauratus, tantus, vt porcum assum caperet, qui supinus in eo positus erat, eminenti ventre varijs carnibus. Inerant simul assa, turdi, vuluæ, fidiculæ plurimæ, oua super infusa, ostrea, pectines, quæ adhuc feruida singulis conuiuis cum orbibus distribuebantur. Sed cum superioribus, illud quoq; Athenæi accipe. Porcus illatus fuit in mensam semel, dimidiâ parte diligenter assus, & dimidiâ tanquam ex aquâ molliter ac tenerè elixus, mirâ coqui industriâ ita paratus, vt quâ parte iugulatus esset, & quomodo varijs delicijs refertus eius venter, non appareret: Inerant enim turdi, & aliæ auiculæ, & suminum porcinorum, vuluarumque partes. Item ventriculi Gallinacei cum vuluis, & isicia, grana piperis, carnes minutatim concisæ, & granis piperis conditæ. Ex suillis delicijs botellus genus farciminis erat, è carne suilla à bolis, id est, frustulis carnis dictus,

Fiebat enim ex vitellis oui coctis, nucleis pineis concisis, cepa, iure crudo, cum pipere, liquamine vino, sicque fartum intestinum coquebatur: sed nostri intestina sanguine farta, cerebro etiam & lardo conciso farciunt, & aromatibus condiunt, cepe, & alias res addentes, quæ ad ignem durata, assa, vel decocta in mensas inferuntur.

DE ANIMALIBVS GENERATIM nonnulla.

QVamuis speciatim de animalibus egerimus in hoc argumento prædicta concludentes, plura tamen adiungam, ne quid obliti fuisse videamur, quod scribentibus & Latinè agentibus necessarium sit: Quodam enim modo laudamus Deum optimum maximum, in multitudine tantâ & diuersitate creatorum animantium.

Ex quadrupedibus equidem aliud amphibium, aliud aquatile, aliud altile, aliud natatile, aliud reptile, aliud volucre videbis. Ex his verò, quæ terra procreat, ex quadrupedibus pecuarium, & armentum reperies, bestias alias ex feritate æstimatas, morsibus, vnguinibusque sæuientes, belluas immanes & efferas, ac planè formidolosas, quasi minimè bellas, feras verò horribiles ac truculentas, ad omnem immanitatem armatus, nimirum feras immanesque naturâ: sed ex mansuetis, & condocefactis iumentis, quoad hominum operas adiuuandas, aut vectando, vel arando, illud clitellarium, seu sarcinarium est, ad onera ferenda, sarcinas vehendas, cui quidquid oneris imponas, id feret, quod immigrantes in domum aliquam, sarcinas componentes facere solent, & milites castra mouentes, sarcinas colligere consueuerunt, & in mulos sarcinarios imponere, aut si nõ habeat, fasces compositos itinere toto requietis aliquot interualla capientes comportent: aliud est iumentum plaustrarium ad currus & plaustra ducenda, in quibus quæ comportantur, palàm cernuntur omnia. Atque hunc honorem olim matronis ob munificentiam habitum accepimus, vt plaustro, seu pilento ad sacra, ludosque carpentis festo, profestoq; die vherentur. Aliud iumentũ est pistrinense, seu molarium, cuius opera molæ ad frumẽta igni torrentur, & in pilas missa pistillis tunduntur, torrenturque. In his animalibus cernere præcipuè est

estarmos & iubam in dextram siniſtramque partem iactatam, totoſque armos pulcherrimè veſtientem, terga pelle veſtita, ad onera ſuſtinenda, vngulas, & in alijs ſolidas, in alijs ſciſſas, hoc eſt biſulcas, aut bifidas, in alijs faculam, id eſt, aduncam vngulam. Vngulę autem ortum habent à corona; chelidon autem, id eſt, concauum vngulæ ad veſtigium imprimendum ſolea ferrata munitum ſuam habet opportunitatem. Cauda verò non minus eſt equorum ornamentum, ſiue ad abigendas muſcas, & ad motus declarandos, & ad ſpeciem & ornatum valdè idoneum & præſtans. Quamobrem tractantur ab hominibus & curantur, iumenta, muli, equi ſummo ſtudio ac diligentiâ: vt ſi ex languore aliquo ad maciem perducti ſint, aut ſudantes in opere rigeſcant, aut ſi ſub onere pluuiâ madefacti fuerint, aut coriagine, quæ bubulo pecori infeſta, laborare videantur, ſi auribus micent, oculis caligent, & girent in circuitum, tanquam ad molas (ſunt enim applosi id temporis) ſi etiam tetano morbo laborant (tetanici enim ſunt muli, cùm muſculi ſecundùm ſpinam ita rigent, vt ſeſe inflectere non poſſent. In hunc modum aliæ corporis partes afficiuntur, vt ſi pectori mentum annectatur, caput ſcapulis adhæreat. Horũ animaliũ alia corijs tecta ſunt, alia villis veſtita, alia ſpinis hirſuta, alia pluma, alia ſquamis obducta, alia cornibus armata, alia habent effugia pennarum: quæ omnia data ſunt à natura ad ſuorum corporum & vitæ defenſionem. Atque in cornibus quanta diuerſitas aſpicitur? cùm cornua in ramos ſparſa ceruis natura tribuerit, ſubulonibus ſimplicia, platiceroti in palmas efficta, capreis ramoſa, arietum genetii in anfractum cõuoluta, tauris infeſta, rupicapris in dorſum adunca, & damis in aduerſum erecta, & rugarum, quaſi litarum ambitu contorta ſprepſiceroti. Inter hæc palearia boues, roſtra ſues, promuſcis Elephãtos, arunci capras, vellera oues notant & deſignant inſigniter. Nonnullis animantibus quædam ſnut, quæ ad noſtram vtilitatem valent plurimum. Illæ animantes, quæ in ſuperiore mandibula dentes primores non habent, pabulum ad tempus in rumen demittere ſolent, indeque rurſus ad os reuocare, vel in medijs camporum æquoribus iacentes, vel æſtatis tempore frigora captantes herbas ruminare ſolent. Vtiles ſunt hæ omnes animantes, & habent ſpeciem pręclaram, in hoc duntaxat intolerabiles, quòd illæ fimo ſuo, aliæ ſuccerda ſæpe profectò perferri non poſſunt. Vis recordari nomina comminium quadrupedum & notiſſimarum. Accipite agnos, & cordos, & ſubrumos,

rumos, arietes, & admissarios, mutilos, capros, verueces, & inueruеces, sextarios, hircos, hædos, capras, capreas, boues, equos, & admissarios, calcitrones, refractarios, sternaces, pauidos, cespitatorem, succussatorem, cernuos, suspirioſos, desultorios, ephippiatos, meritorios, helcyarios, tolutarios, equuleos, manuos, veredos, quæ omnia in equis, vt quibus equis vtantur, homines animaduertant. Equum enim vitijs omnibus detractis emere quis non velit? Admissarij ad sobolem procreandam valent: calcitrones calce feriunt, & mordere solent, vnde mordaces dicti: refractarij ore duro sunt, nec facile frænum accipiunt, obsistunt, nec coerceri possunt, obstantia quælibet refringere conantes. Sternaces sessorem nō patiuntur, excutiunt, & in terram dejciunt. Pauidi ad quemuis sonum seu clamorem pauent, & vmbras inanes fugiunt, consistere id temporis, retrocedere, nolle videntur progredi, nisi calcaribus ilia vehementer fodiantur, & adhibitis stimulis sanguine sæpe expresso. Cespitatores passim pede aliquid percutientes, in cespitem, seu in lapidem impingentes, eò ruere & ferri videntur, quos habenis erigere solent & sibilo, vel clamore equites sustinere, ne prolabantur, & proruant. Quòd si iumentum sit, quod offendendo ceciderit, sæpe multorum ope ad extollendum, & subleuandum adiuuare opus est, vel onere leuare, ni iacere velis, & eum onere opprimi. Succussatores duriore gradu procedentes sessorem concutiunt succussu frequenti molestissimoque torquentes. Cernui in faciē cadunt, & nisi eques præuiderit, capite dejcientur, si stapedis pedes id temporis extractos habuerit. Suspirioſi, id est, anheli, spirandi difficultate vrgentur, & angustijs maximis. Desultorij, sine ephippijs, ex quibus facilis desultus detur mira celeritate, quod olim vsitatum fuit equitibus exercitatis, qui altero de via fesso, transultare possent in recentem agilitate velocitateque mirabili, inter pugnandum etiam. His ephippiari opponuntur, sellis strati ad molliorem vecturam, vel dorsualibus regminibus & stragulis, quæ ephippia dicebantur. Meritorij quæstu locantur, strigioſi, graciles & tenues, & præmacie restricti vehendis minime hominibus apti, dorso semper eminenti prolatoque foras præ macilento corpore. Helciarij helcio ab armis pendente molas per machinulam annexas versant, & curricula per temonem trahunt: helciariorum similes, qui in naui onera funibus moliuntur, vel naues deducunt, subducuntque, ad officia vicissim adhortantes, vt vno connixu patiter conspirantes admoliri totis viribus possint, quod singuli nequeunt,

nequeunt. Scutulati, qui pedes ad scutularum similitudinem habent: tolutarij, qui asturcones, & gradarij dicuntur, qui sic alterno glomeratu pedes tollunt, & crura explicant, vt commodam admodum sessori præbeant vectationem citra vllam succussationis molestiam, tolutim semper grodredientes. Veredi velocissimi, quibus principes vtuntur in venatione, & dursores mutatis ad celeritatem equis ad cursum celerius conficiendum. Sed inter hos equuleı quam lepidi ac venusti? manni, seu mannuli, quàm manſueti, qui manum sequuntur, & se demulceri & tangi patiuntur, quos calceare laboriosum non est, sponte ad ferream soleam inducendam tollentes, & præbentes pedem. Nec de his amplius, cætera animalia, boues, tauros, vitulos, & hoc genere natos, suis in locis videre poterit. Eloquentiæ studiosus adolescens.

AVES.

Accipiter.

ACcipiter auis rapax, ab accipiendo nomen tulit, quæ quondam in auspicijs accepta, grataque fuisse dicitur. Accipiter pascitur auibus, præsertim aquaticis, quæ tardiores sunt ad volatum, & plus carnis habent ad escam. Elegans autem auis est, valido corpore, dorsi colore fusco, vel subnigro, capitis fusco dilutiore, pectore ventreque varius, oculis splendentibus, adunco rostro, aspectu hilari, pedibus crassis, vnguibus longis, & ad prædam aptissimis. Atque ille nullas fruges exedens, neque conficiens, sed carnes vorans, & sanguinem exorbens, ijsdemque suos alens pullos, primùm prædatur aues domesticas, vt gallinas, anates, quas etiam deuorat. Capit etiam cornices: sed capiendi dissimilitudinem, cernite. Capiens lepores, sinistrum pedem terræ infigit, & dextro prædam tenet, tum quàm primùm potest, oculos eruit, & interficit. Cicuratus magnus inuadit aues, audaciam sumens homine adiutore, nempe gruẽ, anserem, ardeam, & absque negotio rapit anatem maiorem, & mergum, & fulicam. At quemadmodum capit columbas? Illæ cum inani quadam iactatione & ostentatione efferantur bicoloris sue formæ, quasi gloriolam aucupantur, & ex volatu plaudere sibi videntur, varieque totum aera sulcare:

Quâ in ostentatione accipiter latronis instar speculatur, & implicatis strepitu pennis minimè soluto volatu velociores rapit. Atque aues non in eodem loco capit, sed has ex terra ipsa, alias circa arbores, alias sedentes in sublimi, alias volantes in aperto. In perdices verò cum immittitur cucullo detracto, quàm celeriter aduolans currendo aduolandoque vsque eò persequitur, quoad fessas defatigatasque capit. Sed quid non faciet, qui quamuis corpore exiguo sit, adeò tamen magnanimus est; qui magis animo, quàm vnguibus armatus in aues inuadit; qui sic velocissimè volat, tanto fertur impetu, vt primos impetus habeat vehementes, & prædam faciat, quam si non fecerit, auem persequi desistit, & in arborem se recipiens aliquam, tanta insidet iracundia, vt ad dominum reuerti recuset, quasi affectus pudore, quasi se inertiæ ignauiæque condemnans, ob amissam è manibus prædam? Hunc ad rapiendum propter terram, quantum potest, volitare ferè semper aspicies, ne ab auibus, quibus insidiatur, videri possit: Et solus quidē absq; socio volat, quòd prædæ participē admittat neminē: quemq; omnes aues tanquā raptorem maximū instinctu naturæ cognouerunt. Vbi vident, aut sentiunt, garriunt, fugiunt, & quantū possunt, occultant se, & à locis in quibus nidos construunt, ab arduis, & saxosis discedunt: Vident enim illum in asperis, & altis rupibus, inter vepreta, quandoque in arbore altissima, in quercu, fago, abiete, atque pinu sedem habere. Hunc verò accipitrem qui cicurare voluerit, & ad prædam instruere, caueat ne quomodo lædat, vel minimū offendat eum: Sed cùm viderit paratum & volantem super manum, vel super virgam, suauiter tangat ipsum; & eleuet, si pendet; & quantum potest consideret morem, & voluntatem eius, & nulla in re non eius voluntatem sequatur. Sunt enim accipitres iracundi, implacabiles, sui ipsius impotentes. Mœrentem accipitrem ad aucupium ne emittat, nisi viderit prædæ auidum, & auium appetentem, neque nimis è magno interuallo. Cùm enim auem assequi non potest, sæpe iratus & cum dolore vehementi recedens, & in arborem conferens sese non vult ad dominum redire. Atque cùm fessum non mittet, tum victorem & exultantem tam multiplici præda: ex præda sua pascet, vt sibi suam venationem profuisse sentiat, & ad venandi amorem incitetur. Atque illud vellem dominus animaduertat, cautionem adhibendam esse in accipitre gestando, & ad canes assuefaciendo. Ille melius dextra gestatur, quàm sinistra, & facilius dextra ad volatum proijcitur, vnde leuior ac pernicior fertur ad volandum,

landum. Quid quòd descendente domino tutior erit in dextra, quam in sinistra. Ac ne in manu parum quieta cùm fuerit, volitare velit, reficiendus erit leniter ac placidè, vt cognoscere dominum familiariter & amare discat. Neque capitium dementi in accipitris faciem inspiciendum est. Inter equitandum gestanti prouidendum diligenter, ne in portis & ad parietes eum lædat: canibus assuescat, & eos sequatur, non refugiat. Quamobrem curandum est, vt ante oculos suos versentur, & accipitrem circunstent dum pascantur. Cautio tamen summa est adhibenda, vt reuocatorio assuescat. Quapropter donec ad aucupium volatu rectè vtatur, non soluendus est, donec etiam ad manum redire, & cibum super ea capere consueuerit. Quin ipso reuocatorio in mediam hominum turbam proiiciendus, vt homines sequi, non fugere discat: neque emittatur iuxta fluuios, aut loca inuia, aut vbi illum sequi non liceat, cùm plerumque amittatur. Sed absoluo iam descriptionem accipitris, collocans accipitrem in dextra, in qua eum dominus placidè tractabit, cum poppysmo siue sibilo, & partes corporis demulcens, indulgebit eidem plurimum, emittens solemniter manu porrecta, cum blanditiis & adhortatione, vt animosum reddat, & vocem eò magis intendens, quò longius insequendo distabit. Voce enim familiari, & consueta, auribus hausta audacior fit, & promptior ad persequendum.

Descriptio capiendarum perdicum.

PRæter superiora, quæ de accipitre scripsimus, separatim vellem accipitrem perdices capientem videas. Nonne vides auroræ albenti exeuntem, & circunspicientem locum, qui non omnino planus, & resupinus sit, sed è riuo aliquo irrigetur, & fruteta habeat, non illa quidem continua, sed longiusculis interuallis disiuncta, & qui non inæqualiter partim accliuis, partim decliuis sit, nonne vides hunc locum deligentem accipitrem? Quippe auibus, quas accipiter insectatur, conducit, & perfugia eis suppeditat, & eidem accipitri. Continuò sursum deorsumque volatu & laborem auget, & audaciam minuit, & aduersus aues ignauiorem facit, ipsius denique aucupis gloriam imminuit. Nactus igitur idoneum locum, nondum à perdicib. conspectus, humi subsidet, perdicum cantus auscultatur. Non ipsas aues audis vocem placidam edere? non has sequutum aucupem locum maxime propinquum occupare, &

leniter enuntiare ea, ea, ea, quarum vocum sono perdices capita inclinant deorsum, & non turbari, cùm illum, qui non placidè vocat, conspexerint? Non aspicis propius accedere aucupem, & eandem vocem blandè ac leniter repetentem, & simul obseruantem, ne paularim dilapsæ è cubilibus perdices sibi venatoribus inquirendi negotium exhibeant? Non intueris etiam his ritè peractis ab eo, qui perdices tranquillat & cohibet, venatorem vnà cum socio canes venaticos vinctos tenentem, intelligentem perdices quiescere, locum fruticosum & densum circunspicientem, qui ad latebras petendas aptus sit? Non vides illic socios venationes statuere, & ritè diligenter progredi eos iubere, & voces mittere consuetas, & sibilis vti, & virgis, quas de more venatores ferunt, ramos obuios quosque ferire, item terram, herbas, & si quid aliud obuium fuerit, virgis confractis lapides proiicere, aut glebas terræ, quarum sonitu continuo perdices exturbentur? Id temporis, qui accipitrem gestat, perdices euolaturas expectare pergit, & cùm vocem exturbantium audierit, oculos in accipitrem coniicere, videre an tunc primùm; vel antequam aspexit perdices inuolare in eas accipiter queat. Hic quidem vix eum tenere possit, non soluere tamen debet, sed auertere tantùm, ne videat, donec transuolarint, tum demum emittere eum properet demonstratis perdicibus, vt recta à tergo eas persequatur. Accipiter persequitur emissus blanditijs solitis, & adhortatione, quibus plurimum animi capiens, celeriter aduolat: auceps eò magis vocem intendere studet, quò longius ille progrediatur: accipiter verò plus animi capere visus est, atque continuo volatu perdices defatigare, & à canibus adiutus, & inflammatus, auceps magis clamare pergit, clamore vrgere, & sibilare, & lapides, cum opus est, in perdices mittere; accipiter eò vsque à volatu non desistet, quoad vnam ex his fessam defatigatamque ceperit: festinare videas hic aucupem, & ad eum progredi, & placidè accedere, & blandâ voce & consueta vti, oi, oi, oi, & ore sibilantem assidere, manu altera contos apprehendere, altera caudam complanare, demulcere, & prædam pro arbitrio gustandam offerre, eaque vt incitatior fiat ad reliquam venationem satiare libentem, gaudentemque permittere. Sed vide, quæ adnectuntur pedibus tintinnabula, cum orbiculis argenteis indice circunscriptis, vt si amissus fuerit, & repertus ad dominum referatur: sæpe enim vagari longissimè & sublimis altius ferri solet.

Acanthis.

Acanthis, spinus, siue ligurinus.

QVamuis Acanthis colore viridi, sed obscuro, non splendido sit, vertex tamen nigro colore probatur, & alarum pennæ eodem colore præditæ sunt, sed quæ viridi insignitæ distinguuntur. Cum cardueli communia quædam habet, pectore luteo, rostro longiusculo, tenui & acuto, duas habens maculas, nigram alteram in fronte, alteram sub mento: ad carduelis suauitatem accedens cantillat non insuauiter. Hæc capitur non passim, sed in montibus præcipue, ijsque nemorosis, in quibus per ætatem nidificare ac degere solet, gregatim volat obstrepera & clamosa.

Alauda, siue Galerita.

ALauda, quam alio nomine Galeritam dicimus, à crista, quã gerit in capite, perdici similis, rostro & pedibus, secundum quosdam, rubeis, colore fusco, neque plumis despicienda. Hæc in segetibus, in agris, non in syluis habitat, frumento & seminibus cerealibus victitat. Quamobrem in vijs passim obuia viatoribus obuersatur, in arbore numquam consistit, sed humi, & huc, & illuc circunspectat subsistens. Non multum euolat, & cum euolare conatur, statim procumbit, ingenio est ad cantum docili: quamobrem suauissimè cantillat caueis inclusa. Nam mira alacritate pennis exertis in aere, vocis modulatione sereno tempore & aperto maximeque patenti cœlo plaudit tum gestu alarum, ijs expansis, tum voce. Nam pluuio nebulosoque cœlo vix aut nunquam canit, ac neque humi, sed inter ascendendum ascendit paulatim; subito vero, & instar lapidis descendens cantillat. Atque masculus in hoc genere musicæ valde laudabilis est, ob multam & suauem modulationem, qui æstatem primus inter aues prænuntiat, & cantu suo diem anteluca-no prædicit, pluuias & tempestates exhorret: cantat ascendendo per circuitum volans, & cùm descendit primò quidem paulatim id facit, & tandem alas contrahens in modum lapidis subito decidit, quo tempore cantus edit. Auis verò hæc cicurata inter cantillandum alas mouet, hoc veluti gestu ad liberum aerem redire deposcens: quod si diu capta incluſaque teneatur, aspectu priuari dicitur oculorum.

Calandria.

Calandrio.

CAlandris auis est parua, similis fere alaudæ, colore fusca, plumis despecta, sed vocis modulatione audientes mirifice delectat, & cunctarum voces auium imitatur, & mirifice exprimit: quin etiam capta inclusaque, carceris & suæ seruitutis oblita, vix vnam diei horam sine cantu præterire potest, adeoque per diuersos auium cantus euagari solet, vt de cibo solicita non sit.

Anas.

ANas auis est lato dorso, minor ansere, & maior pullo aquatico, gallinæ magnitudinem æquans. Mas caput & collum viridis coloris habet, rostrum vero latum, pedes rufos & latos, ad natandum aptos. Quædam anates candida tanquam zona cinguntur ex pennis albis, sed talem in medio collo circulum anas fera maior rem habet. Lingua in plerisque anatibus vtrinque videtur quasi plumas habere, & interius gula tota ampla est & lata. Rostri autem latitudo apta est ad fodiendum, & quasi euentilandum lutum. Aquis fluminum gaudet, difficileque sine his viuere potest, maximè cùm cibis se siccis ingurgitat. Annatum marium vox rauca est, & grauior, fœminarum argutior. Atque anates rostro fodiunt cœnum in aquis, vbi reperiunt radices herbarum, & semina plantarum aquaticarum, & vermes, piscículos, lumbriculos, lacertas, araneos. Solæ, quæ sunt eiusdem generis, in sublime sese protinus tollunt, atque è vestigio cœlum petunt, & hoc etiam ex aqua; atque in foueas, quibus feras venantur homines, delapsæ solæ euadunt. Anates imitantur ciuilitatem hominum gregaria societate, & defensione communi. Quamobrem facilius deprehenduntur ab aucupibus, positis sui generis auibus ante oculos, aut auium istarum specie simulationeque, ad quas cùm vniendi quasi gratia accesserint, retibus includuntur. Sed quemadmodum defendunt se mutuo aduersus accipitres & aquilas? Nam visa aquila, conuenire simul solent, & cùm illa impetum fecerit ad rapiendum, demerso capite, aquam aspergentes in aquilæ faciem, accessum illius prohibent: aquila inuolante aliquando sese submergunt protinus, & infra aquam natantes ad alia loca euadunt, vnde eminent, aquila prorsus delusa. Quòd si illuc incumbat aquila, si properet, & instet, iterum demergunt sese, atque tandem sursum deorsum commeant, dum

aqua

aqua submersa pereat, aut discesserit ad aliam prædam ; cuius hostis metu liberatæ ad summam aquam elatæ rursus natant. At anates cùm sint naturâ anserium, & eodem modo nutriantur: nosotrophij enim cura similis est, vt anserum, sed maior impensa est. Nam clausæ pascuntur anates, ad quod locus planus eligitur, isque munitur alta pedum quindecim maceria, deinde clathris superpositis, vel grandi macula, retibus contegitur, ne aut euolandi sit potestas auibus domesticis, aut aquilis aut accipitribus inuolandi. Atque ea tota maceries opere tectorio leuigatur interius exteriusque, ne feles, aut vipera perrepat. Media deinde parte nosotrophij lacus defoditur duorum pedum altitudine, spatiumque longitudini datur, & latitudini, quantum loci conditio permittit. Ora lacus, ne corrumpantur impetu restagnantis aquæ, quæ semper interfluere debet, opere signino consternuntur, eaque non in gradus oportet erigi, sed paulatim cliuo subsidere, vt tanquam è litore descendatur in aquam. Solum autem stagni per circuitum duarum partium iapidibus inculcatis & tectorio muniendum est, ne possit herbas euomere, præbeat nantibus aquam summam puram, & limpidam. Media rursus terrena pars esse debet, vt collocasijs conseratur, alijsque familiaribus aquæ viridatibus, quæ inopacant auium receptacula. Neq; ob hanc causam totus ille locus syluescat, sed per circuitum vacet, vt sine impedimento, & aprico die gestiant aues, nandi velocitate concertent. Nam quemadmodum desiderant esse, vbi irrepant, & vbi delitescentibus fluuiaticis animalibus insidientur: ita offenduntur, si non sint libera spatia, quà permeent extra locum. Deinde per vicenos vndique pedes gramine ripæ vestiantur; sintque post hunc agri terminum circa maceriam lapide fabricata & expolita tectorijs pedalia, in quadratum cubilia, quibus nidificent, eaque contegantur interfitis buxeis, aut myrtetis fruticibus, qui non superent parietum altitudinem. Atque statim perpetuus canaliculus humi depressus constituatur, per quem quotidie commisti cum aqua cibi decurrãt: sic enim pabulatur genus istud auium.

Anser.

ANseres Aquilæ magnitudinem adæquant, qui albi & cinerei enhydroque varij, & in nostra Hispania multi sunt oloribus candidiores, capite tamen rubeo, rostro lato, gula ampla, omnes clamosi, circa lacus & amnes versantes, gaudent herbis

herbis riguis & frigidis. Veloces . ura sunt, à volatu vix cessantes, quem extento collo suscipiunt & conficiunt. Naturâ calidissimi lauationem frequenter appetunt: etenim natare gaudent, cùm congregari cupiant, & cohortes quasi constituant gregatim progredientes: si qui fessi progredi nequeant, proferuntur ad primos, & à proximis impelluntur, ne deficiant. Atque illi custodes ponebantur, vt clangore suo proderent hostium, aut furum aduentus; id quod Gallis ascendentibus in Capitolium, & canibus id temporis dormientibus, fecerunt, vigilias excitantes. Præstant plumas, quæ autumno vellebantur, & ætate media, quibus culcitræ farciebantur, vt delicatorum ceruices melius recumbant. Neque culcitræ solum ex his, & ceruicalia, sed totos lectos facere mos erat, vt mollissime cubarent effœminatissimi. Sed gerunt sua bella, quos ex cohorte non aquilæ solum, sed vulpes, & lupi rapiunt, sed nihili faciunt canes, & magnos struthiones: Accipitrem tamen vel minimum reformidant. Sed quæ illorum verecundia? quanto pudore afficiuntur, ne turpe aut vorax animal sit? cùm superbia aliqua, vel metu afficitur, solet hiare, sicque progredi per multum tempus, & semper inhians, & crebro gingriens: vnde gingriæ tibiæ, quæ licet breuiores, subtilibus tamen modis lugubrem & flebilem sonum edebant.

Aquila.

EX auibus omnibus, quas nouimus, Aquilæ maximus honos tribuebatur. Hanc multi Reginam auium esse volunt, non profectò quòd Regem imitetur, sed propter tyrannidem, quæ vim omnem infert. Illa colore fusco, capite rotundo, naso adunco, à fronte plane discreto, rostro magno, oblongo, & curuo, pedib. magnis & flauis, alis magnis, elatis potius, quàm longis & acutis, oculis croceis, & supra modum ardentibus: Ita quidem vt albumen oculorum topazium fere exprimat, & pupilla ad sapphirum nigrum perlucidum conculcatæ nigredinis accedat. Oculis autem est cauis & profundis, & videndi acie in eis ita melius collecta, vnguibus longis ac validis. Tanto robore prædita est, vt declarant ossa durissima crassissimaque, quibus & medullæ minimum inest. Montium vertices editos & conspicuos incolunt Aquilæ, siue cum a venatu ad quietem se recipiunt, siue soboli nidos construunt, & raro ad campos apertos, & patentes rupibus delicti, descendunt, sed ferè

semper

semper è speculis suis cœlum prospectant. Modestæ quidem sunt, neque petulantes: quippe quæ neque clangant, vt vultur, neque murmurent: Tanta autem oculorum acie vigent, vt oculis solem aduersum intueantur, atq; e ad pullos ingenuos ac legitimos explorandos, eos solis radijs obiiciunt. Quòd si solem minimè perferre possunt, vt nictatione oculos obnubant, nido expellunt, & tanquam adulterinos abdicant. Nihil enim magis aquila curat, quàm vt generosos fœtus alat. Illa verò violentum animal non modò ad victum necessarias rapinas facit, sed etiam vsu carnium delectatur. Nam ad se explendam lepores, hinnulos, anseres ex cohorte, & alia pleraque animalia rapit illis aduncis vnguibus, & rostro rapacissimo, quæ ad lapidem acuens acutiora reddidit, & ad prædam apt ora. Tanta autem volatus magnitudine prædita est, vt ad æthera vsque conscendat, ex oculis hominum omnino subducta. Quamobrem consecrata Ioui, & Regem maximorum & Imperatorum stemmata, ac sepulchra decorat propter præstantiam & magnitudinem suam.

Ardea.

ARdea, quasi ardua petens dicitur, quæ colore cinereo, longitudine rostri, colli, crurum, quibus ciconias referunt, sed collo magis inuoluto, ternis digitis, & longis & membranis modicè iunctis prædita est. Corpus pro sua magnitudine non amplum est, sed leue, & exile. Atque in capite aliquæ Ardeæ cumulum pennarum, veluti comam gerunt oblongam. Circa aquas & lacus piscosos degit, venationi piscium interdum operam dat. Sed quanquam in aquis cibum suum quærat, in syluis tamen & altis arboribus nidum constructi. Alta autem petit volando. Vnde Ardea, quasi ardua petens appellatur: falconem enim fugiens, in sublime euolat. Atque ad capiendas Ardeas duo falcones pariter relaxantur, quorum vnus summa petit, alius terræ vicinus inuolat, vt ille volantem Ardeam impulsu præcipitet, hic præcipitem actam arripiat. Cùm multa sint Ardearum genera, vna Veneri, altera Minervæ consecrata fuit, quam Vlysses, Diomedique Minerua, tanquam bonum cœlitque augurium, socijs & comitibus ad bellum Troianum proficiscentibus misisse dicta est.

Bubo.

Bubo.

BVbo à sono Bu inditum nomen habet. Auis autem est curuorum vnguium, & acuti curuique rostri, plumis varia, fuluas alas, caput magnum, grandia lumina, longos & aduncos vngues habet, nocturnarum auium magnitudinem superans. Bubo cùm ab alijs auibus, quæ luce delectantur, oppugnatur, resupina pedum vnguibus se defendit ac tuetur. Veteres auem habebant mali ominis, & cùm appareret, bellum ac famem portendentem, funebrem, maximeque detestabilem, deserta terrarum loca incolentem, nec tantùm deserta, sed dira & inaccessa. Nostis monstrum, nec cantu aliquo vocis, sed gemitu priuatorum domib. insidians, plurimis habitum ferale.

Carduelis.

CArduelis dictus est, quòd spinis, & carduis vescatur, auis parua, croceo in corpore, rubeo in capite colore decorata: dorsum tamen habet cinericium & fuscum, alas croceo colore nigroque vicissim distinctas ab ijsque notatas maculis, verticem nigricantem; rostrum niger color ambiens, hunc miniatus miniatum cæsius circundat. Cùm spinas & tribulos appetat, pascitur eodem loco seminibus carduorum, vermem, & quoduis aliud animal edere aspernatur. Edit etiam semen papaueris, & rutæ, & cannabis, & quæcunque semina, quæ cortice nudat, vt pura præcipue medulla vescatur. Atque carduis insidens suauissime canit, huc & illuc inflectens capitulum. Facit imperata, nec voce tantùm, sed pedibus, & ore pro manibus vtitur. Carduelium tamen genera omnia, cùm carduis insident, adeo sunt stulta, vt frequenter vna post alteram laqueo in virgæ extremitate ligato per collum attrahatur per foramen parietis, post quem auceps latet, non fugientibus cæteris, qui dum virgis viscо illitis inhærent, & perstrepentes alij euolare non possunt, simulatque inhæserunt, accurrendo capiuntur, & in caueas includuntur, vbi vescuntur seminibus in canaliculo sparsis, & potu sitim sedant, suis temporibus canentes suauissimè.

***

Ciconia.

CIconia auis notissima, vel amœnum & iucundum tempus generi mortalium prænuntiat. Quæ frigoris vim, & niues, ac pruinas, cum perferre nequeat, calidiora loca petit, frigoris iniurias fugiens, vt mutatione soli solum vertere, ac rursus, hyberno tempore exacto, ad patriam sedem remigrans cum illos, tum hos, sicut homines domum, nidos probè recognoscat, & repetat. Cæterum ciconiæ abituræ Aquilonis secundum flatum expectant, qui simul atque secundus flare cæpit, iam ceu lege prædicta die, abitum maturant. Sed priusquam mare traiiciant, omnes in locum quendam conuenire cogique dicuntur, ibique quasi concionum publicarum speciem præbentes, commurmurare, exercitum lustrare, cognitionibus diem vnum, aut alterum traducere, iudicia grauiter exercere, & tardam atque segnem, inertiæ desidiæque damnare, communibus sententiis disiungentes, tanquam societate indignissimam occidere. At quemadmodum collecto agmine pulcherrimo iter laboriosum, & nocte luna lucente ingrediuntur, & illæ in turribus celsissimis nidos construunt? Glotorant sono, quem rostro quatiente edunt. Cùm verò sint procero collo, & cruribus pro ratione corporis, volatus cursum pedibus, tanquam gubernaculo nautæ, moderantur, porrectisque in caudam, quæ breuior illi contigit, pedibus, per magnum aera contendunt: vno autem tantum pede dormientes inituntur, & caput humero alteri imponunt. Eas videre est primò protinus aduentu cum nidum repetunt, quem si saluum & incolumem inueniunt, collectis hyberno situ sordibus statim repurgant, instaurantque: si verò sæuiore aliqua ventorum tempestate deiectum cernunt ramentis illico vndique ex agris, paluslrique vlua comportatis, possessionem sedis nouo nido occupant. Pomœria primum rotunda, schiotherico valde simila, figunt, mox ædificant, deinde constabiliunt, postremò si quid minus rectum, inflexum, & distortum horrent, admirabili quadam solertia & industria, ope rostri ipsius, dirigunt, & componunt: illæ verò ad se alendas, pullosque suos, stagna & prata adeunt, variaque & multa animalcula, sed præcipuè omnis generis ranas, aliasque pratorum pestes capiunt, lacertas, chersydros, maximè cæcos serpentes, quibus maximè delectantur: sed vt ranas comprehendunt, mirâ celeritate comprehensam ranam

iactu statim quopiam non fallente in fauces deiiciunt, deiectas stomacho recondunt: sed pulli à ciconiis enutriti tales euadunt, quales à parentibus instituuntur, qui parentibus senio confectis gratiam referentes alunt in nidis. Sed teneras adhuc considera ciconiolas. Ciconiolæ simul atque in pennas integras excreuêre, iamque alarum firmiore ope, leniter spirante aurâ, nido se tollere, mox proxima nido tecta circunuolare audent, deinde libero etiam cœlo sublimes ludere sustinent, postremò finitimas Ciconiarum ædes obuolitantes, ad alarum facienda pericula euocantur, moxque ipsæ euolant, ac reuolant liberrimæ.

Columba.

NOta sunt duo columbarum genera: vnum agreste, quod habetur in turribus, & summis villarum vastigiis, vnde appellatæ columbæ, quæ propter timorem à natura insitum, summa loca in tectis captant, quò fit, vt maxime agrestes sequantur turres, in quas ex agro reuolant sua sponte, ac remeant. Alterum genus est mite ac mansuetum, quod cibo domestico contentum, intra ianuę limina solet pasci: quod genus maxime est album. Illud alterum agreste vario colore distinctum: sed apud nos columbæ reperiuntur aliæ niueipsa candidiores, aliæ atræ totæ, aut reliquo corpore præter caput & pedes, aliæ cœruleæ ferè, aliæ capitibus cristatis modice, aliæ cruribus hirsutis ad extremos vsque pedum digitos. Iuxta aquas quiescere gaudent, vt sitim sedent, quarum hoc proprium est, ne collum, cum bibant, efferant, nisi satis hauserint, & sitim iam suam expleuerint. Omnes autem bibunt demisso capite, & non erigunt, vt aliæ aues, tum vno tractu bibunt: nam collum earum breue & amplum est, multæ aquæ capax. Quæ mites ac mansuetæ sunt, cum hominibus degere solent, seque ad horum pedes huc & illuc magna mansuetudine facilitateque versant. Atque in locis, vbi ab hominum frequentia solitudo est, societatem hominum minime expectantes, fugiunt: in cœtu verò multitudineque hominum confidentiores sunt, seque nihil ibi graue passuras plane sciunt. Vbi aucupes, venatoriaque instrumenta versari vident, non amplius ibi, metu pauoreque percussæ degunt. Specie sua pulchitudineque delectantur mirum in modum, instar pauonum, qui circumspicere se solent, & quasi ostentare pulchritudinem, venustatemque suam, & in

colli

colli pennas intuentes volando sibi gratulari videntur, colores varios circa collum admirantes, & alarum plausu, rostro plumas fulcire, & ad volatum accuratiore cultu pennas comparare. Cùm auolant, fallunt cæteras motus pernicitate. Cum sedent, nihil mitius, neque simplicius, neque quidquam habent quo se tueantur aduersus miluos & accipitres, præter alarum celeritatem. At quemadmodum aucupes capiunt? exoculatam columbam in reti ponunt, quæ suffulatas cæteras columbas alliciat.

Columbarium, seu peristereon.

COlumbarium locus est columbis alendis accomodatus; verùm ab aliis columbaria capiuntur pro nidis, & loculamentis, & cellis, in quibus singula paria fœtus edunt & pariunt. Hoc genus columbarum minore tutelâ pascitur longinquis regionibus, vbi liber egressus auibus permittitur. Quoniam vel summis turribus, vel editissimis ædificiis assignatas sedes frequentant patentibus fenestris, per quas ad requirendos cibos euolitant. Peristereon, in quo columbæ includendæ sunt, vt testudo, magna camera tectum sit, vno ostio angusto, fenestris Punicanis, aut latioribus, reticulatis vtrinque, vt locus omnis sit illustris. Neue serpens, aliudue quodcunque animal maleficum introire possit, intrinsecus quàm leuissimo marmorato toti parietes & cameræ oblinuntur, & extrinsecus circum fenestras, ne mus, aut lacerta, adrepere ad columbaria possit. Nihil enim timidius columba. Singulis paribus columbarum fiunt rotunda, in ordine crebra columbaria: ordines quamplurimi fieri possunt, vt à terra vsque ad cameram columbaria sint, & os habeant, quo introire & exire possint. Intus ternorum palmorum ex omnibus partibus sub ordines singulos tabulæ factæ, vt sint bipalmes, quo vtantur vestibulo, ac prodeant. Aquam puram esse oportet, quæ influat, vnde & bibere, & vbi se lauare possint: permundæ sunt enim hæ volucres. Itaque pastorem Columbaria quotquot mensibus crebrò oportet euerrere: Est enim quòd inquinat locum, appositum ad agriculturam, ita vt hoc optimum esse scripserint aliqui; siue, si columbam quid offenderit, vt medeatur; si qua perierit, vt efferatur: si qui pulli idonei sint ad vendendum, promantur. Item, quæ fœtæ sunt, vt certum locum diseiusum ab aliis reti habeant, quo

transferantur, è quo foras euocare possint mares. Quod quidem duabus de causis fit, vt si fastidiant, aut inclusæ consenescant, libero aere, cùm exierint, in agro redintegrentur, & propter illicium. Ipsæ enim propter pullos, quos habent, sanè redeunt, nisi à coruo occisæ, aut ab accipitre necatæ. Non in plano loco, nec in frigido sed in edito fieri tabulatum oportet, quod aspiciat hybernum meridiem. Eiusque parietes continuis cubiculis excauentur, vel si ita non est necesse, pasilis adactis tabulæ superponantur, quæ vel loculamenta, quibus nidificent aues, vel fictilia columbaria, quæ è viminibus etiam non improbantur, recipiant, præpositis vestibulis, per quæ ad cubilia perueniant. Totus autem locus, & ipsæ columbarum cellæ poliri debent albo tectorio: quoniam eo colore præcipuè delectatur hoc genus auium. Nec minus extrinsecus leuigari parietes, maxime circa fenestram, & ea, vt maiore parte hyberni diei solem admittat, habeatque oppositam satis amplam caueam retibus munitam, quæ expectat accipitres, & recipiat egredientes ad aprica tionem columbas, nec minus in agros emittant matrices, quæ ouis vel pullis incubent, ne quasi graui perpetuæ custodiæ seruitio mœrentes consenescant. Nam cum paulum circa ædificia volitauerint, exhilaratæ recreantur, & ad suos fœtus vegetiores redeunt, propter quos nec longius quidem euagari, aut fugere conantur. Columbarium potest accipere sublimis vna turricula in prætorio constituta, leuitatis ac dealbatis parietibus, in quibus à quatuor partibus (sicut mos est) fenestellæ breuissimæ fient, vt columbas solas ad introitum exitumque permittant. Columbarum denique plausu multo, crebroque personare fere semper columbaria.

Pulli.

FRuctus columbarum pulli columbini sunt, quos pluris vendere domini cupientes, secludere iubent. Præfectus columbarii facere statim properat, ac pluma tectos videt, & molli præmanso masticato pane (vt ita loquar) candidoque farcire sibi curæ est: Curat etiam hoc bis hyeme; æstate ter, mane, meridie, vesperi. Qui pennas iam magnas habere incipiunt, in nido relinquuntur illæsis cruribus, & matribus, vt vberius vti cibo possint, obiiciuntur. Eo enim totum diem se & pullos pascunt: qui ita educantur, celerius pinguiores & candidiores aliis fiunt,

fiunt, pulchri & bino colore præditi, & ementur admodum necessarii.

Turtur.

TVrtur in columbaceo genere minima est, cinereo colore rufo, tum campestris, tum monticula, æstate in locis frigidis, hyeme in tepidis agit. Loca fabulosa libenter frequentans, atque semper in summis montium iugis & arborum verticibus commoratur. Gaudet enim locis tutissimis, cœtus & hominum societatem fugit, cursu & peregrinatione lætatur, cum accedentium, tum recedentium suo tempore nulli auium est infesta, & ad omnium incursiones patientissima: non canit, sed gemit; post primum coniugem, secundum nescit; quo amisso, vel capto, solitaria gemens siccis arboribus, aut tristis, insidet, & aquas limpidas & claras turbat: neque adduci potest, vt amisso socio & comite vitæ suæ, virites arborum vestitus, & liquores aquarum perlucidos bibat. Illa frugibus viuit. Ad capiendas tamen turtures, qui aucupium earum tenent, saltare solent, valdeque suauiter concinneque canere, quorum auditu hæ delectantur, saltationisque conspectu permulcentur, acceduntque propius: aucupes sensim ac pedentim eò seccedunt, vbi retium explicatorum positæ sint insidiæ, in quas incidentes capiuntur captæ primum saltatione, & cantiunculis. Turtures etiam capiuntur & sub arbore, cuius ramis turturem alteram allectatricem insidere viderint. Atque capiuntur etiam cùm sitientes ad fontem accesserint, propè quem venator arundinem erigit, pennis ad summum alligatis, quarum motus turtures admodum terret fugatque. Sed alia turtur iam pridem capta in propinquo ponitur, qua conspecta cæteræ aduolant, & retis tractu obteguntur.

Educatio Turturum.

TVrturibus locus constituendus est magnus, si turturum multitudinem alere velis, illeque, qui, vt de columbis dictum est, habeat ostium, ac fenestras, & aquam puram, ac parietes, & cameras munitas tectorio. Sed pro columbariis in pariete mutulos, aut palos in ordine, supra quos tegeticulæ canabinæ sint impositæ: infimum ordinem oportet abesse à terra non minus tres pedes: cibus, qui obiicitur, triticum siccum,

euerterurque quotidie ſtabulum, ne offendantur ſtercore, mundiciem amantes, & bonum odorem.

Cornix.

COrnix auis eſt generis coruini, vnde nomen trahit: illa roſtro, cruribus, & toto corpore nigra admodum eſt, vt præ nigro colore ſplendeat, & vel lucem ebuerſa quaſi indicum colorem, id eſt, nigrum ſub cæruleum referat. Superioris roſtri parte barbulas quaſdam veluti ſetas emittit: circa palpebras, aliquanto etiam inferius, nigra quædam veluti granula habet. Circa vrbes præcipue verſatur, littora petit, & quæ vnda eiecerit, animalia vorat. Vocalem tradunt aliqui cornicem plura contexta verba exprimentem, & alia atque alia addiſcentem. Viuere dicitur longiſſimam degens ſenectutem ad annos vſque quingentos. Cùm baccis oliuarum, & nucibus veſcantur, & illas propter duritiem perfringere nequeant, in ſublime volantes, in ſaxa & tegulas iaciunt, iterum ac ſæpius, donec quaſſatas perfringere valeant.

Ratio cornicum capiendarum.

MVltæ magnæ aues, vt cornices, & corui, capiuntur virgulis inuiſcatis auxilio noctuæ. In iis locis, quos frequentare ſolent aues, truncatur ramis arbor aliqua, quæ ab aliis arboribus multum diſtet. Sed aliqui rami frondibus nudati relinquuntur in ea vel perticæ aliquot ſuper eam ponuntur. His leuiter infiguntur virgulę magnæ, viſco illitę. Noctua in terra ponitur in loco parum eminente, vt facilius ab auibus volantibus videatur: quam cum aues viderint, circùm volitant, & volando defeſſæ in arborem viſco illitam ſe recipiunt, vnde in terram decidunt: eas auceps pertica perſequitur, & occidit. Nam ſi manibus caperet, læderetur ab eis. Eſt & illa ratio cornicum capiendarum, cùm vnâ captâ duobus perbreuibus palaſſolis ad alarum principium annexis in terra firmatur. Clamat illa, & fugere conatur, aduolant aliæ iuuandi cupiditate, ex quibus illa proximam roſtro & vnguibus correptam detinet, quæ ſic detenta facile capitur. Sunt qui vt cornices, & gracculos alliciant, cum viuis allectatricibus carent, pelles occiſarum materia aliqua fartas, vt viuentium ſpeciem præbeant, exponunt. Sed audi garrulam cornicem, terreſtrem, nocturno cantu tempeſtates prædicentem, & propinquam morti littus eminens ſubeuntem (quippe quæ aquis gaudet) aut in fluuios ingredientem, & in aquam à capite in ſummos vſque humeros immergentem

gentem sese, aut etiam totam innatantem. Est enim admodum sicco corpore, & plurimum gaudet humectantibus.

Coruus.

COruus maior est cornice, totus niger, rostro & corpore valens, aquis plurimum delectatur, qui vorax admodum cibo multiplici se complet, omnibus cadaueribus inhians, cunctis seminibus insidiatur, fructus arborum persequitur, clamosus adeo, vt horrendum in modum crocitans, quæcunque præteruolet loca & horrifica commoueat crocitatione, nihil sciens sonare aliud, quàm cras, cras, diuersos tamen sonos formans, ad quatuor, & sexaginta peruenire dicitur. Sic maximè cunctarum auium multos clangores, & varias voces fundit, magna varietate, discrimineque dissidenti. Nam institutus, cum humanam vocem mittit, tum eius vox alia quidem est ludentis, alia longè seriò agentis. Si quod ad Deum pertineat, agit, hic sibi sacrum quippiam, & diuinationis plenum loquitur: circuratus voces hominum imitatur; & cantus auium domesticarum. Gerit bellum cum tauro & asino: sed si quod animal contra vulpem pugnare aduertit, subsidio ei venit, amicitia ductus, quæ illi cum vulpe intercedit, atque vlciscitur; sed bellum magis naturale est coruis cum miluo, quàm cum tauro vel asinis. Coruum miluus oppugnat eripit enim miluus quidquid tenet, & extorquet per vim maximam, quippe qui vnguibus sit præstantior, & volatu.

Coturnix.

COturnix appellatur à sono vocis: nam si iteret voces, vt singulas syllabas nominis toni tractu pronuntiet, & disiunctas ac separatas coturnix auis, vocem te liquidò imitatum cognosces. Sed mas vocem edit exilem, instar ferè grilli, fœmina crassam. Humi nidificat, neque vnquam in arbore considet. Cum ad nos venit, terrestris potius, quàm sublimis est, & pluueris non parum fert secum, currit tamen satis velociter. Milio, & tritico, & aqua pura pinguescit. Coturnices cum volauerint, si serenum est, aut aquilo flat, societatem ineunt, & quietè agunt omnes: Sed si auster flauerit, molestè quidem coniunguntur. Quòd parum volant, humidus grauisq; est auster. Quamobrem qui aucupantur, austrum, non aquilonem obseruent, omninò enim ægrè propter sui

corporis pondus volant : sunt enim corpore grandiore, quàm suis pennis deferri possint, vociferanteſque obeam rem volant. Laborant enim quasi oppressæ onere. Cùm hæc adeunt loca, sine ducibus pergunt: At cùm hinc abeunt, duce ortygometra proficiscuntur, atque etiam cynchramo à quo reuocantur noctu; cuius vocem cùm senserint aucupes, intelligunt parari discessum. Atque aduolant coturnices non sine periculo nauigantium, cum appropinquauêre terris: quippe velis sæpe incidunt, & hoc sæpe noctu, merguntque nauigia. Cotunices perdicibus similes sunt, sed multis partibus minores, vt planè perdices nanas dicas: sic per omnia perdicem imitantur, vt præter exiguum & pressum corpus, nihil omnino differant à vertice in pedes vsque, præsertim in testaceo colore.

Ratio coturnicum & perdicum venandarum.

QVi coturnices aucupantur, austrum, non aquilonem obseruant; capiuntur imitatione vocis fœminæ, sed in hunc modum. Instituuntur ad aucupium earũ canes apud nos vulgò, qui priuatim etiam à cotunicibus denominantur. Reti, quod expegatorium vocatur, satis magno capiuntur perdices, coturnices, & phasiani, & aliæ quædam aues, auxilio catuli ad hoc instructi, qui aues inquirit, quas cum viderit, subsistit, nec ad eas progreditur, ne depellat. Sed aucupem dominum suum respiciens, recto caudam mouet, vnde auceps cognoscit aues esse propter canem, & tunc ipse[q] sociusque rete trahunt, quo aues vnà cum catulo operiunt. Est & aliud paruum rete in capite perticæ præparatum, vt apertum existat, quo vnus solum vtitur auceps, & ad coturnices solum, cum quasi latorio, cuius sonus est similis voci coturnicis fœminæ, ad quem mares cupidissimè accedunt, & sic irretiuntur. Coturnices etiam capiuntur, si fiant laquei multi de pilis caudæ equinæ in funiculo eiusdem materiæ texti, qui tenduntur in sulcis frumenti, funiculo à terra eleuato vltra altitudinem auis, parum decliuis laqueis & apertis, vt auis transiens capite immisso capiatur collo. Atque hoc modo capiuntur pertices in agris, & coturnices ac phasiani in semitis nemorũ per quas transeunt. Coturnices etiam noctu retibus, quas nubes vocamus, capiuntur, clamantibus aliis natu maioribus, iam olim captis, ad quarum vocem dum acurrunt, in sagenas incidunt. Interdiu

diu etiam in terra hoc modo capiuntur, reti extenso aliquis tunicam supra caput erectam calamis vtrinque sustinens mouet, paulatim progrediens. Metuunt illæ sibi, & dum vestis huc illuc nutantis vmbram fugiunt, retium laqueis inuoluuntur.

Ortygometra.

ORtygometram vulgò Itali coturnicum Regem appellant, maiorem aliquanto refert gallinam aquaticam, quam Itali fulicam appellant, quoniam & nigro colore est, & aquam quotidie frequentat, sed longè minus est, & non omnino sic nigra; cum sub alis colore albo variet, & vtrinque ad latera. Cauda eius rufa est inferius, & breuis, & vt in omnibus auibus aquaticis rostrum duos digitos longum. Cum volatu non admodum valeat, cursus celeritatem à natura accepit.

Cuculus.

CVculus maior ex asture & columba componitur, qui rostrum, & vngues, & pedes habet similes Palumbo, reliquum corpus simile est asturi; nisi quod varietas pennarum in cuculo habet maculas nigras fere rotundas, in asture verò sunt lineæ nigræ. Volatu etiam asturem refert. Ille insidiatur nidis auium aliarum debilium, & ideo aues pugnant cum cuculis tempore, quo oua pariunt. Ille à voce nominatur, quam non mutat, sed semper eandem iterat, & ingeminat cuculando. Sed immutatur colore, & vocem minus explanat, cum se abditurus est, quod facere oriente canicula consueuit. Apparere enim incipit ab ineute vere, ad eius syderis ortum: æstate volat, & lasciuit; hieme iacet languens, & deplumatus, ac buboni similis apparet fœdus ac deformis, atque latet in cauis arboribus hyemali tempore, quo plumas amittere dicitur, intratque terræ latibula, vel arborum concauas speluncas. Quisuæ fortunæ non insçius, æstate congerit, vnde hyeme nutriatur.

* * *

Cygnus.

Hispania nostra producit Cygnos plurimos, qui videntur generis anserini esse, tum rostri figura, tum pedum, victuque; qui pugnæ tempore etiam sibilant, vt anseres. Multo tamen maiores sunt, toti candidi, pedibus nigris, & primo quidem anno nigri sunt, post annum verò euadunt albissimi. Caro eorum nigra, & dura est admodum. Rostro sunt parum turbinato ferrato, & falcis instar dentato. Cum dentes habeant in rostro minutissimos, tum collum à pectore longè porrigitur, quod inflectunt, & intorquent facile: fontes, lacus, paludes, aliaue loca aquis redundantia incolere solent, vt stagna & fluuios perennes, qui pacati feruntur & sedati. Craui corpore sunt, nec se cœlo facile committere possunt, herbis & vermibus, & ouis piscium & granis segetum vescuntur. Audire est eos in fluminibus & aquis drensantes, in pugna verò sibilantes, interdum bombos emittere ruditui asinorum non dissimiles, sed breues, & qui longe audiri non possunt. Inter omnes aues suauissimè Cygnos occinere constat, sed morientes voces lugubres mittere ac flebiles, quibus canentibus scopuli vallesque respondent. Quamobrem ob Musicæ suauitatem & dulcedinem Apollini consecrati fuerunt. Nam concinnunt suaui mellitoq; cantu, veluti tibiis, aut citharis adhibitis. Canere autem audiemus eos diluculo ante Solis ortum, tanquam in aëre vacuo, id temporis eorum cantus clarius audiantur, & in hominum aures suauius influant. Nec in aquis solum canentes audiemus, sed in maris littoribus, nisi tempestatibus & procellis maris vehementioribus à canendi dulcedine auocentur: quibus concitatis, & ipsum mare perturbantibus, nec illis suis cantilenis tanta suauitate concinentibus perfrui possunt: sed in senectute summa, morti iam vicina, mirabile quidem est cantus non obliuisci, quos remissiores edunt propter virium imbecillitatem, cum neque ceruicem amplius erigere, neque pennas extendere valeant. Fauonium tunc ad canendum expectant, ignaui iam cruribus, & membrorum viribus destituti. Sed ad moriendum quò secedunt? vbi nulla auis illos canentes audiat, nec olores alios luctu suo interpellant, si qui forte adessent, qui sibi vitæ exitum imminere intelligerent: sic morituri flebiles cantus emittunt, fixâ prius in cerebro pennâ. Neque tamen, vt

Plato

Plato tradidit, canunt ex mœrore, sed potius ex lætitia incredibili, qua appropinquante fato afficiuntur, quòd immortales se putant, & ad suum Appollinem remigraturos. Præbent illi nobis speciem viri probi, & virtutibus maximis præditi, qui morte appropinquante, æquissimâ non solùm, sed lætanti admodum gestientique animâ moritur. Excedens enim è corporis hospitio, vitam cum immortali sæculorum omnium æternitate commutare se videt, & ad Deum, vt illius aspectu sempiterno perfruatur, euolare. Robusti sunt admodum & valentes, qui vim suam in alis habent, quibus & rostris contra aquilas acerrimè pugnant.

Gallus.

GAllo gallinaceo honorem, & præstantiam quandam natura largita est, qui formæ excellentiâ condecoratus, plumis splendidis ac micantibus, & vario sæpe colore distinctus vestitur. Cristam habet in capite rectam & excelsam, sic institutam, vt nec caro sit, nec à natura carnis aliena, spectatissimum profectò insigne, & serrarum, quod magis eminet & spectatur cum è recto collo, huc illucque inflectens, omnia prospectat, & cum iactatione quadam corporis totius imprimens vestigium incedit, flexa à summo cauda, speciem illustrem præbente, & speculis crurum, quibus ad se vlciscendos armatus est, porrectis apparentibus. Gallinarum delectatur plausu mirifico, quibus fauet, & maiorem amplitudinem præfert. Ex cunctis volucribus crebrò cœli faciem suspicit, quem vigilem, & in excitandis ad pensa sua mortalibus, rumpendoque è summo natura genauit. Ternas distinguit horas interdiu canens, nocturna vero spatia non minus astrologorum intelligens crepusculo cubitum tendens, quibus ante mediam noctem horis canit, medio eiusdem cursu vocem iterat; tribus etiam ab intempesta nocte horis similiter canit, quod tempus ob hanc causam Gallicinium appellatur. Sed maxime Galli antelucano tempore, cibo per quietem depulso, & in omnes partes corporis diuiso, canunt naturali quodam sensu Solis ad nos redeuntis, quasi effectorem maximarum rerum salutantes, impulsi, seu caliditate suæ naturæ, & motus vbique capiendi cupiditate. Videre est Gallos pro gallinis, contra serpentes, miluosque dimicantes, atque vt gallinas custodiant, alienos à grege abigentes. Atque mares nonnulli visi sunt, qui cum forte fœmina interiisset,

interiisset, ipsi officio matris funguntur, pullis ducendis, fouendis, educandisque operam dantes: vt deinde neque cucurire, neque gallinas inire appetant, ab omni procacitate cohibeant sese. Quin & matrice gallina extincta iidem ipsi incubant, & pullos ex ouis excludunt, & tunc silentio vtuntur, quòd sanè sibi conscii sint, se muliebre munus obire, & parum viriliter facere. Sed cum luna exoriente nescio quo spiritu afflatum bacchari atque exultare ferunt, orienteque Sole (qui nunquam eum fallit) tum vehementissime voce contendere, semetipsum magis magisque cantando vincere conari. Cùm imperitent suo generi, & regnum, in quacunque sunt domo, exerceant, dimicatione patitur hoc quoque inter ipsos, veluti ad hanc rem agnata tela cruribus suis intelligentes, nec finis sæpe, nisi commorientibus. Quod si palma contingit, statim victores canunt, seque ipsi Principes testantur; victi occultant sese silentes, ægreque seruitutem patiuntur.

Capus.

IN gallinaceo genere villatico capi semimares numerantur, capones dicti a recentioribus: Qui vt euirati, neque vocem edunt, neque Gallinis molesti sunt, sunt enim abscissi galli. Cum gallinis pascuntur, sed non defendunt eas, non cantant neque horam diei, vel noctis discernunt, vnà cum potestate virili crista resecta ad nihil, nisi ad cibum vtiles. Liguritores autem saginare capos inuenerunt, quo lautiùs & splendidius deuorarent. Atque sunt homines, qui capos saginant in hunc modum. Includunt eos angusto loco, & è farina milii turundos faciunt, magnitudine ferè articuli digiti mediocris: è quibus ab initio circiter denos eis in fauces inserunt, & per aliquot deinceps dies quotidie plures, paulatim aucto numero. Hoc postea imminuunt, etiam paulatim, plures aut pauciores dando, quos concoquere valeant, quod tactu explorata ingluuie animaduertitur. Sed sic inserendi in os turundi, vt prius in aquam, aut in lac imitantur, vt facilius descendant, & leniter digitis per collum premendo deducantur. Deficiente milio furfur, cum pauca de frumento farina, in turundos redigetur.

***

Gallina.

GAllinarum generosa præstantia spectatur probro colore, robusto corpore, quadratoque, pectoribus magnis, magnis etiam capitibus, plicatili cristula, & sub hac specie, quàm amplissima, nec paribus vngulis: quæ cum quinos digitos habeant cruribus, non eminebunt transuersa calcaria, ne cum incubent, calcis aculeis oua perfringant.

Gallinarium.

GAllinarium parietibus corbes, id est, cubicula, affixos habebit, in iisque gallinas incubantes. Gallinaria autem constitui debent parte villæ, quæ hyemem spectat orientem, coniuncta furno vel culinæ, vt ad auem perueniat fumus, qui est huic generi præcipuè salutaris. Ab oriente suis illustrentur fenestellis, quæ matutinum exitum præbeant auibus ad cohortem, nec minus ad vespertinum introitum. Sed curandum est, vt noctibus semper claudantur, quò tutiores aues maneant. Intra tabulata constructa, maiores fenestræ aperiuntur, & clatris muniuntur, ne irrepere queant animalia perniciosa. Sic tamen, vt illustria sint loca, quò commodius habitent, auiariusque ipse debet speculari incubantis aut parturientis fœtus. Nam etiam in ipsis locis crassiores parietes ædificabuntur, vt excisa per ordinem gallinarum cubilia recipiant, in quibus aut oua edantur, aut excludantur pulli. Hoc enim salubrius & elegantius est, quàm illud, quod passim fieri videmus, vt palis in parietes vehementer actis, vimineos qualos superimponant: siue parietibus ita cauatis, aut qualis vimineis præponenda erunt vestibula, vt ad cubilia vel pariendi vel incubandi causa perueniant. Neque enim debent in ipsos nidos inuolare, ne dum adsiliunt, pedibus oua confringant. Ascensus deinde auibus ad tabulata per cellam datur, iunctis parieti modicis asserculis, qui paulum formatis gradibus asperiores fiunt, ne sint aduolantibus lubrici: & à cohorte fortis prædictis fenestellis scandulæ similiter iniungantur, quibus irrepant aues ad requiem nocturnam. Maximè autem curabit auiarius, vt hæc auiaria intrinsecus & extrinsecus dealbentur: ne ad aues feles abeant, aut coluber accessum habeat, & similes prohibeantur pestes. Tubulatis insistere dormientem auem non expedit, ne suo lædantur stercore, quod cum pedibus vncis inhæsit, podagram creat. Ea pernicies vt vitetur, perticæ dolantur in quadrum

drum, ne teres leuitas earum supersilientem volucrem nõ recipiat, conquadratæ seratis duobus aduersis parietibus induuntur, vt à tabulato pedalis altitudinis, & inter se bipetalis altitudinis spatio distent. Atque hæc cohortalis officinæ dispositio: cæterum cohors ipsa, per quam vagantur, non tam stercore, quam vligine careat. Nam plurimum refert, aquam in ea non esse, nisi vno in loco, quam bibant, eamq; mundam admodum. Puram autem vt serues, in hunc vsum fabricaueris ligneos, aut fictiles, vel plumbeos canales, quos claudes semper impositis operculis: & à lateribus aperiuntur per spatia palmaria modicis perforata cauis, vt auium capita possint admittere. Nam nisi aperculis muniuntur, quidquid aquæ, vel cibi inest, pedibus euertitur. Neque illud fieri probant multi, vt in superiore parte operculorum imponantur foramina. Nam cum multis casibus exposita sint, tum supersiliens auis proluuie ventris cibos, & aquam inquinat. Nostri auiarii hisce temporibus contenti sunt, si in locis bene munitis, & ab aëris & frigoris aditu tutioribus gallinas educent, in quæ fumus aliquis inferat sese. In parietibus mansiones faciunt, vt in eis oua edant, quas accommodant, paleisque substernunt, ne delarum ouum in durum locum incidens, dirumpatur. Perticas etiam fingunt, in quibus aues pernoctant. Neque tam officiosè sunt studiosi, vt in cellas includant, sed porticus constituant asseribus, & oblatâ fronde, quas vel scandulis, vel si copia suppetit, tegulis, vel quod facilius est, & sine impensa fit, tegunt caricibus, aut genistis, vel palmitibus aridis. Nam illa missa facio, quæ spectant ad puluerem & cinerem, vbicunque cohortem porticus vel tectum protegit, iuxta parietes reponendum: vt sit, quo aues se perfundant, quo pennas, plumasque purgent.

De Ouis.

OVa, quæ auiarius subiiciet, potiùs ex vetulis sunto, quàm palustribus, sed omnium optima sunt ad excludendum recentissima, si Varroni credimus; si verò Columellæ, incubari infra decem dies edita vtilissimum est. Numerus ouorum, quæ supponuntur, obseruatur: nec semper gallinæ istiusmodi, quæ rostra, aut vngues habent acutos, vel calcaribus speculatis armantur, à fouendis ouis arceantur; sed gallinas istiusmodi curat auiarius includendas, vt diem & noctem incubent, præterquam mane ac vespere, dum eis cibus, aut portio datur. Circumit

Circumit idem diebus interpositis aliquot, & vertit oua, vt æqualiter concalefiant. Recludit ostium tum diluculo, tum crepusculo vespertino, illisque pro consuetudine offert cibum & potum, postea occludit. Quòd si aliquæ non ascenderint, vltrò cogit easdem & compellit ascendere. Secreta verò, & abdita cubilia deliguntur, & ab aliis auibus disiuncta, ne matrices incubantes perturbentur. Magna hinc diligentia purgantur, & paleis consternuntur, & iniiciuntur aues in factos concauatosque nidos, & mollissimè striatos, ne ab aduolantibus aut desilientibus euolura decidant oua: oua verò istiusmodi non curator singula in cubili manu componit, sed totum ouorum numerum in alueolum ligneum confert, deinde vniuersum in præparatum nidum transfundit. Curæ verò quantæ gallinis incubantibus iuxta cibum ponere, vt studiosius nidis immorentur, neue longius euagatæ refrigerent oua? Ea quamuis pedibus ipsæ conuertant, auiarius tamen, cùm desiliunt matres, circumire non desinit, & manu versare, vt æqualiter calore concepto animentur. Quin etiam si qua vnguibus læsa vel fracta sint, remouere non obliuiscitur. Sed quid non curabit, qui vsque eò progreditur, vt die vndeuigesimo exploret, an pulli rostellis oua percuderint, & auscultatur, si pipiant? Nam sæpe propter crassitudinem putaminum erumpere non queunt, vt hærentes pullos manu eximat, & matri fouendos subiiciat, idque non amplius triduo facit. Nam post vnum & vigesimum diem cùm silentia oua careant animabus, ea remouet, ne incubans inani spe diutius detineatur effœta. Interim in cunabulis dum parturiunt, studet acus substernere, cùm peperierint tollere substramen, & recens aliud subiicere, ne pulicibus, & aliis similibus repleantur, quæ gallinam conquiescere, non patiuntur. Quamobrem oua aut inæqualiter matureſcunt, aut conseneſcunt.

Ouum.

OVum ipsum in se suum habet discrimen: quippe quod parte sui arctum, parte latius sit. Oui pars acutior principium est, vt quæ vtero adhæserit, quodque durior sit parte obtusa, & posterior exeat, quòd oua quasi in pedes conuersa, animalia verò in caput prodeant. In medio autem intumescit: quippe quod amplius, aut maioris materiæ capacius sit albuginis & lutei. Est enim bicolor ouum intus luteum & album: sed intus membrana tenuissima tegitur, membrana testa

testa duriore, cuius putaminis tanta firmitas est, vt recta nec vi nec pondere vllo frangantur, nec nisi paululum inflexa rotunditate. Tenta ouum pressum vtraque extremitate ambabus ipse manibus frangere, non franges: pressum tamen in latere, facile: per angulos tantummodo suos manibus resistit opprimentibus, pressum per latera parte ampla conflictatur, vt facilè possit destrui. Sed agè iam oua com, ara ad edendum, rupto putamine plura in patinam conijce excreta, & coque igni molli, & continenti, vitelli omnes in medium coibunt, albumina circumdabunt, & quasi sepimento vallantia oras occupabunt. Compara si vis in aqua, vel sub cineribus calidis, vel in sartagine, & liquida vel dura fient pro concoctionis modo: quæ elixantur, vel sorbilia, vel mollia, ac tenera magis, quam dura probantur: oua quæ coquuntur in aqua, quandoque absque testa, quandoque cum testa comparantur, sed quæ testis effusa suis coquuntur, integram in aquam calidam iniecta, vt sorbilia, vel mollia coquenda. Quæ cum testis coquuntur, mediocriter incrassantur, ac ne indurentur omninò, sed succum suum retineant, vas ab igne submouendum. Quòd si ad ignem assentur, torreanturvè, oua separabuntur, antequam indurentur, vt cum tota adhuc liquida sint, tota vel exorberi possint, vel mollibus panis segmentis intingi queat, vt panis segmentis ouo tenero imbutis vescamur paulatim. Si iam densata sunt admodum & igne durata, manduntur & teruntur dentibus, quæ quicumque appetunt, primum testis exuere suis, & in partes aliquot secare, vt alternis & vitelli & albuginis segmentis lances coronent, & partes singulas sale perfusas iucundissimè edant. Sed cum oua in sartagine spissata sint, oleo scilicet, vel butyro fricta (quæ vel in butyro vel in oleo appellantur vel frixa stellata, vel orbicula) si cuiuscunque generis illa futura sint, frangi necessarium est oua, & testis infusa in patellam agitari, versarique cochleari, quoad instructa sint, postea in sartaginem infusa friguntur, quoad coalescant & spissentur ad duritiem, vel multitudinem, quam volueris, vt aut in vitellum frixa comedas, vel secando in suas partes, quod in ouorum orbibus fieri consueuit. Sed in stellatis, cum vitelli in medio constiterint in stellarum speciem ac similitudinem, cernuntur flauo colore, & albumine ex omni parte tanquam muro septa vallataque. Alias differentias ouorum à coquis require concinnatas variis liquoribus & conditionibus appositissimis suauissimisque, dummodo intelligas nullum ius ouis non absolui ac per-

ac perfici mirabiliter, & plurima ciborum genera suauitatem & absolutionem suam ab ouis accipere.

Gallopauus Indicus.

GAllopauus ex orbe nouo deportatus, Indicus vulgò appellatus, eadem est, quâ Pauo, colli proceritate. Quod ipsum simul cum plumis omnino nudum est, tantùm purpurascente pelle obducitur, & tam valde crassum est, vt pellem, quæ antea laxa, & vacua spectabatur, cùm vocem mittit, sic contendat & inflet, vt ad brachij crassitudinem accedat. Vox cũ fragore per collum longè lateque vagans redditur, vt liquorem in dolium infusum diceres te audire strepens, in sua tamen voce quiddam gallinaceum recinit. Eius capitis vertex colore partim albo, partim cæruleo, partim purpureo distinctus crista caret. Quædam rubra appendicula carnea ex eius summo rostro per superiorem rostri accliuitatem tantopere eminet, vt digiti longitudine pendeat infra rostrum ipsum, Quod quidem ipsum eâ superintegitur, vt hoc nisi à latere transuerso videri non possit. Hanc appendiculam cùm pastum capessit, contrahit, vt quæ antea digito longior, quàm rostrum propendebat, modò contracta ad rostri longitudinem non accedat. Huius plumæ cùm accipitris speciem similitudinemque gerunt, tum extremæ albæ visuntur. Cruribus est proceritissimis, & vnguibus aduncis, & distinctis. Corpus rotundum est, & pauonis celsitatem superat: oculorum ambitus cæruleo, purpureoque colore efflorescit, & ob eam causam vt accipitres acri & acuta oculorum acie vigent. Cùm quisnam ad gallinam accedit, totus inhorrescit, continuò plumis, & gradu superbo deterrere accedentes conatur.

Pauo.

PAuo totus, venustissimus ac pulcherrimus est, vario pennarum fulgore conspicuus, tot oculis fulgentibus ac eximiè splendentibus insigniter illustratur. Magnâ ille iactatione corporis, & quasi pompa, erecto collo & inflexo progreditur, cristam in sublime elatam gestans admirabili pulchritudine spectatam: sed gaudet videri, & omnium in se oculos conuerti venustate caudæ, quàm ipse admirari gestit in orbem conuersam, & omnium oculis tanquam pulchram, & spectatu dignissimam videri: destructam in terra trahere solet, vel à terra, vt collibitum,

libitum, parum sublatam, quæ ab aduerso sole collucet ac vibrat aspecta, solis radiis repercussa. Sed cùm in pedes oculos deiicit, verecundatur illos despicere præ deformitate, continuò contrahere & destruere eandem incipit, & pedes quasi fastidire suos, qui crocitans antea, quasi ad corpus, ad pennas, ad rotundum orbem, tamque splendentem caudæ absolutionem spectandam homines vocabat, & inuitabat, præ se quodcunque reliquarum auium genus contemnens, a pernansque.

Graculi.

GRaculi coruini generis sunt, cornicibus similes, rostro rotundo, nigro corpore ac pedibus, qui libenter in locis altissimis nidificant, atque in tantâ multitudine, vt in vnâ sæpe arbore septem paria graculorum nidos constrant. Loquax admodum auis est, minimè canora, sed garrula, obstrepera, tumultuaria, clamosa adeò, vt importuna videatur, vocem primæ nominis syllabæ absurdo & incondito sono semper emittens: vnde nomen accepit, non quòd gregatim volet, nec ab ipsa gracilitate. Aduersus tamen clamosos graculos, venatio istiusmodi instituitur. Virgam oblongam terræ infigito, cui laqueum aut funiculum adde, & in medio, quæ circumactu suo vimina vtrinque sita contegat: in summam virgam oleæ baccam imponito, cui è regione laqueus pendeat, quem vbi contigerint graculi, delabatur, & virga erecta laqueus ita attrahatur, vt auium ceruices inhæreant. Est & alius dolus graculis capiundis accommodatus: illi in vasis labro considunt, & suas in vase imagines intuiti, aliosque graculos esse rati, in oleum resiliant, oleo tamen madidi, ita pennis & membris omnibus grauantur, vt auolare nequeant, eoque statim loco, olei crassitudine circumfusi, sine laqueis, sine retibus constricti tenentur.

Grues.

GRues nigro colore videntur, & aliquando albo, porrecto, ac procero collo, cruribus altissimis, vnguibus aduncis, & rapacibus, plumis crurum cineritiis, quæ quinque digitos supra genua desinunt, infra plumas cortice vestiuntur nigro, sed cùm anterior colli pars, & ad latera nigricet, prona albet, reliqua omnia cinerea præter maiores alarum pen-

pennas, quibus cauda breuis occulitur. Vox gruum rauca est, vnde à propriâ voce appellatæ. Tali enim sono susurrant, Gruere cum dicuntur. In gradiendo pedes præponunt, mollia crura reponentes. Quanta verò, quamque iucundâ societate degunt grues, quam concordes, & mirificè congruentes inter se, nullo dissidio, nullis simultatibus disiunctæ! semper, siue cùm pascuntur, siue cùm volant, nunquam segregant sese, neque disiunguntur. Inde congruere ad homines amicos, & familiares, vinculis acerrimis constrictos tractum est. Volant altè, vt procul prospicere possint, & si nubes tempestatesque viderint, demittunt sese in terram, & clamantes, vociferantesque ducem suum celeriores captare volatus hortantur, & humi quiescunt, quoad ingruens tempestas desæuierit, ac purum & tranquillum aera repetant. Cum autem in Thraciâ nascantur, vbi hyems solet esse atrox, & tempestas perfrigida, medio autumno, salutis ergo suæ, frigoris vim non sustinentes, tanquàm terræ solum patrium, cœli mutationem, temporumque varietatem scientiâ & cognitione comprehenderint, frequentes in calidas regiones, in Ægyptum, Lybiam, Æthiopiam proficiscuntur: sed frigoribus transactis, & veris parte maximâ, in sedes patrias reuertuntur, vbi patriæ studio captæ, æstiui temporis partem iucundissimè ponunt. Sed in volatu, vt facilius aera incidant, & aduersum melius secent, trianguli formam efficiunt. Atque cum ventus est exortus vehementior, & sæuire visum est cœlum, non quomodo cum est tranquillum frontatim, ac lunato globi sinu volant, sed in cuneum momento se traducunt, ne circumflante vento ordo perturbetur, vel etiam de suscepto itinere depellantur. Sic enim ipso mucrone diuidunt ventum circum latera frustra lactantem, sic planè, vt nihil acies turbetur. Duces habent, & eos, qui clamant; sed dispositi sunt in extremo agmine, vt vox percipi possit, ne qua officio suo deesse videatur, & qui cum opus fuerit, gregem contineant. Agunt excubias nocturnis temporibus lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno decidens, inertiæ coarguat vigilem. Cæteræ dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes, dux erecto prouidet collo ac prædicit. Id quod facit etiam cum in terram descenderint cibi gratia, & multum clamat, vt omnes conueniant. Quòd si nimio clamore rauescat, succedit alius. Atque grues in tergo præuolantium colla & capita reponunt, quod quia ipse dux facere

cere non potest, quia non habet, vbi nitatur, reuolat, vt ipse quiescat, & in eius locum succedit alia ex sequentibus, eaque vicissitudo in omni cursu conseruatur. Sed in acie instruendâ, ornandaque itineris scientissimos duces ad volatum constituunt, & natu grandiores: quæ vero proximæ sunt, ad regendum extremum agmen deliguntur: minores natu mediæ sunt interiectæ. Ex quo facile est agnoscere, grues rationem, & rerum publicarum recta moderatione regendorum mortalibus doctrinam dedisse. Sed vt custodes semper ac duces circumeunt, & siue homo, siue fera accedat, gruunt vehementer, & altâ voce insidias indicant, vt reliquæ in tempore fugâ sibi consulant. Quæ omnes cùm ab aquilâ se impeti perspiciunt, in orbem circumsistunt, & contractæ in sinum falcatæque existunt, atque ordinatim tanquam in aciem structæ speciem pugnæ præbent. Quare aquila deterrita regreditur. Sed lapillos, quibus se muniunt ad volatus, recordari debemus: quibus ideò vtuntur, vt de via defessæ, & quia ad multum tempus volauerint deficiant lapides, & ex lapidum lapsu percipiant, supra marene, an terram volent. Nam si ad mare lapides deferantur, iter susceptum facere pergunt, sin ad terram decidant, à volando requiescunt.

De Gryphe.

GRyphem, Indicum animal, audio similiter quadrupedem, vt Leonem esse, robustis armatum vnguibus: quarum collum cæruleis pennis distinguitur. Sunt aquilino ore & rostro, & capite cuiusmodi pictores fingunt, oculis autem igneis: quas cum ætate progrediente nidi capere non possunt, earum pullos capiant. Atque illa loca tenent Scythiæ Asiaticæ, quæ terræ sunt locupletes, quæ tamen non incoluntur. Nam cùm auro, & gemmis affluant, gryphes tenent vniuersas, alites ferocissimæ, & vltra rabiem omnem sæuientes: quarum immanitate obsistente aduenis accessus difficilis ac rarus est. Quippe qui visos discerpunt, veluti genitiad plectendam auaritiæ temeritatem.

Cum animalibus omnis generis pugnant, eaque fundunt, & euertunt. Contra leones autem & elephantos stare non audent.

* * *

Hirun-

Hirundo.

HIrundo auis leuissima est, rostro paruo, gratâ formâ, nigro corpore, albo ventre, rubeo gutture, vestitu multo tecta plumarum, maculis duabus sanguineis pectus distincta, quæ caudam habet longam, & bifurcatam. Vt auiculis omnibus, & hirundini non amplior gula, nec ingluuies, sed ventriculus longior est; pennis prævalet, flexuosos suscipiens volatus veloci celeritate: quâ de causa rapinæ reliquarum auium minimè est subiecta. Hæc sola auium non nisi in volatu pascitur, sola carne vescitur ex his, quæ aduncos vngues non habent. Apibus iniuriam infert, quibus, & muscis inuidiatur, & capit cicadas. Hirundines tam domest cæ, quàm agrestes, hyeme ad loca tepidiora abeunt, si vicina sunt; aut si longè distent, non mutant sedem, sed se in angustis montium locis condunt, atque domos petunt villarum, in quibus confingunt nidum implicito luto festucis, ad lutariæ paleationis normam. Et si quando luti inopia est, seipsas madefacientes, volutant in puluere omnibus pennis. Stragulum sibi hominum more faciunt, duriora primùm subiicientes, deinde mollibus plumis floccisque consternunt, tepefaciendis ouis, simul vt mollis sit nidus infantibus pullis; si verò luti facultas sit, id hirundines vnguibus ferunt, nidumque ex eo fingunt: sed tamdiu hirundines hominum hospitio vtuntur, dum pullos ex se pepererint, & aluerint, deinde ingratæ in desertos recessus abstractæ latent. Cùm verò volucrum pleræque aues à suis vocibus nominentur, hirundines, quæ *densant, aut aliàs trinsant* vagæ, cantu valent, garrulæ quidem, & diem præcinendo nunciantes, veris ineuntis tempus, cùm omnia virent in agris, & amœnissimè florent, prænuntiant. Cantu, pristinis nidis inuentis, plaudere sibi, & gratulari videntur mirificè vario, & quasi articulato, vt verbis etiam quibusdã gaudium suum testari videantur. Eædem hirundines maternæ sedulitatis in filios magnum satis dant, & insigne documentũ. In nutrienda enim prole mira tam mares, quàm fœminæ æquitate commendantur, impertientes singulis pullis cibum, obseruant consuetudine sua, ne qui semel acceperit, bis accipiat. Tanta autem munditia sunt, vt egerant excrementa pullorum, & adultiores circumagi doceant, vt foris saturitatem emittant.

Milui.

MIlui, vt refert Plinius, ex accipitrum genere sunt, sed magnitudine differunt, pennis non dissimiles, quæ rufæ sunt, vngues & rostrum aduncâ similiter, sed alas curuas, & non rectas habent. Rapacissimi semper & famelici sunt, atque carniuori. Insidiantur auibus domesticis, maximeque pullis gallinaceis, & anserinis, & quos incautos viderint, statim rapiunt: sectantur etiam cadauera. Quare circa coquinas, & macella volitant, vt si quid carnis crudæ proiiciatur foras, mox rapiant. Illi cum à nido egrediuntur, perfectis iam alis, aues magnas venantur, cùm verò adultiores fiunt, & valentiores, capiunt debiliores. Tandem cùm ad summam ætatem peruenerunt, muscas, culices, & lumbricos terrestres captant, ac tunc fame moriuntur. Feruntur anno primo adeò audaces esse, vt nihil mortuum gustent: secundo nihil viuum præ metu; tertio fame mori: sic timidi & formidolosi sunt. Lugere dicuntur milui, cum vocem emittunt: vnde multi coniiciunt fictitio nomine dictos, à voce, quam edunt.

Noctua.

NOctua à noctis tempore dicta, quo canit, vel volat: & quãquam multa nocturnarum auium genera sint, hæc vna tamen præ cæteris apud Latinos à nocte nomẽ accepit. Huic magnitudo columbæ, crura & digiti pedum hirsuta plumis albis, imi tamen digiti ad terram nudi sunt, vngues nigri & aduncí, color Capronæ fuscus modico rufo permixtus, maculis albicantibus distinctus, caput ad reliquam magnitudinem prægrãde, iris oculorum flaua, & oculi magni, rostrum breuissimum, & aquilinum, inter oculos & rostrum pennulæ quędam, ceu pili, aut barbulæ rigent, in ventre plus albi habet, quàm cæteris in partibus. Non multum alacres sunt, & interdiu cæcæ, cùm noctu vagentur. Exorto enim lucis splendore plurimum offenduntur, & suorum aspectus oculorum obtunditur, propter siccum & tenuem oculi humorem, non ferentem vim lucis. Venantur mures, lacertas, verticillos, & eiusmodi alias bestiolas, quibus alantur. Verùm non tota id nocte faciunt, sed vespertino, & matutino tempore. Illæ sacratæ fuerunt Mineruæ, quæ

Athenæ

Ἀθηνᾶ dicta videtur ἀπὸ τῦ ἀθρεῖν, hoc est, à videndo. Quippe quæ præuideat, quæ in tenebris latent atrâ caligine circunfusa: & in tenebris obscurissimis noctuam videre scimus.

Passer.

PAsseris nomen quamuis ad omnes ferè maiores aues referatur, priuatim tamen speciem quandam habet ac formam. Auis enim parua est, cinereo colore, capite pro corporis proportione magno. Passerum pulli cum euolare debent, vicini passeres parentes eorum conatus euolantium comitantur, vt imbecilles, si necesse sit, plurium constipatione adiuuentur. Capiuntur autem visco, si virgulæ visco illitæ ponantur in locis, vbi pascere, vel morari consueuerunt.

Pauo.

PAuo, quondam Iunoni sacer, speciem habet, & pulchritudinem venustissimam, colore vario distinctam: auis non solùm pulcherrima, sed pulchritudinis studiosa, cui è volucribus natura formæ dedit præstantiam & excellentiam admirandam. Paruo ille est capite, & quasi serpentino, & longis pennis coronato, quasi cono in sublime elato pulcherrimo venustissimoque, atque illo ad maiorem venustatem rufo. Collum longum est, & sapphiri colore, quocunque se conuertat, & inflectat, nitet, & splendet. Pectus quoque sapphiri colore lucidum, & splẽdens, alæ rufæ, dorsum cinereum, ad ruborem declinans, cauda longa pennis plumosis, & in fine pennarum habet orbes, ex viridi, quasi Chrysolithi splendore, & auri, & sapphiri coloribus distinctos, syderum & astrorum clarissimè micantium fulgorem referentes. Planè ad ornatum, & splendorem, & magnificentiam præ reliquis volucribus pauo datus est, vt nullam auem putauerit Plinius pauone nostro fingi potuisse pulchriorem, tot oculis in caudâ, tam longâ, tamque densâ plumis, tantâ oculorum varietate, tanto nitore, tam delectis etiam colorum generibus, vt albus ac niger (quorum vnus per se tristis est, alter reliquos alios obscurat) colores deuitentur. Atque pauo semetipsum miratur caudæ gemmantibus pennis protegens, orbem efficiens pleniſſimum, tanto tamque illustri splendore micantem, vt nihil supra. Cùm formâ, tum intellectu, quasi pulchritudinis gloriam offert sese, gemmantes laudatus expandens alas, & cum iactatione quadam superbis-

perbissimâ colores ostentans aduerso maximè sole : quia sic clarius vibrant , & collucent , simulque vmbræ quosdam repercussus, cæteris, qui in opaco clarius micant, conchatâ quærens caudâ, omnesque in acervum contrahens pennarum, quos spectari gaudet, oculos: sed alio tempore magis laudatus, quasi rationis particeps, cùm se formosum prædicari audit, auricomas pennas explicat longè lateque , & veluti pratum floribus variis & pulcherrimis stratum & distinctum erigens ostentare gaudet, & oculis ipse lustrans, in orbem circumducere. Adeo cauda ei tamquam stellata nitet : cumque magis ac magis aliquis pulchritudinem laudauerit , ambitione maiore se gerit, captans illarum laudationum gloriolas. Si verò reprehenderit, caudâ statim reconditâ, quasi calumniatorem odio sibi esse testabitur. Cùm verò pauo ex auibus pulcherrimum se esse non ignoret, & vbi formæ sita sit pulchritudo , præclarè teneat, eâ elatus , non modò caudam tot stellulis distinctam , & oculis collucentem ostentat ; sed etiam ceruicem iactat, & ex pennis, quæ ei non mediocrem ornatum afferunt , decus & ornamentum capitis, lumẽ & insigne decoris & elegantiæ maximæ maximos spiritus sumit, & insolentiæ plenissimos. Nocte experrectus , cùm se in tenebris iacentem in atrâ noctis caligine videre non possit , clamans pauidè suam se pulchritudinem amisisse putat: exclamatque etiam die dum pedes intuetur , deformitatemque eorum aspernatus, caudamque in rotam erigens, exponi aduersam soli, vt pulchrior videatur, gaudensque hominum admiratione , qui illam intuentur, ad lassitudinem vsque continet. Cùm verò aliquem exterrere vult , pennas primùm explicat, deinde ad iniiciendum terrorem his cõcrepat, capitisque elatione ac superbo supercilio veluti triplicem cristam iactat. Cùm reficere se vult , tum passis pennis, & in anteriorem partem reflexis ex seipso corpus suum opacas, caloris vim frangit, & propulsat. Si retro atque à tergo ventus flat, alas paulatim pandit, atque ventus interspirans auras, & molles, & suaues afflat, vnde is reficitur ac recreatur. In pauone illud est mirabile, puritatis, id est, munditiæ studiosum gradu composito incedere, ne inquinetur : & dum est pullus madidus aliquando totus, & pollutus exspirat, spurcitiæ & sordium impatiens. Sed cum caudam quotannis amittat , donec renascatur cum flore arborum, pudibundus ac mærens quærit latebras. Recordatur enim illius temporis, cùm commendatus , tanquam formosus puer, ac mulier pulchra corporis præstantiam tantâ cùm elegantiâ ostentabat,

ſtendabat, pennas ornatè, & ordine erigens, vt vel florenti prato & florum omnium pulchritudine diſtincto, vel variæ picturæ ſimilis videretur. Recordatur cum ante pictorum oculos ſe adimitanoum exponens, abundè ſui pinguendi poteſtatem faciebat, & ſpectatorem conſpectu ſuo expleri patiebatur, & quaquà verſus conchatam caudam intorquens illuſtriorem, & variam magis, quàm ſint Medorum Perſarumque veſtes, ſuam ſtolam inſolenter admodum & elatè iactabat & oſtentabat.

Educatio Pauonum.

IN auiarijs ſtabulantur turdi ac pauones. Pauones nutrire facillimum (niſi fures, aut animalia inimica formides) qui plerunque per agros vagantes ſponte ſe paſcunt, pulloſque educant, & altiſſimas velpere arbores petunt, in inſulis præſertim manufactis, multisque herbis & luxuriantibus educantur. Curator auium id facere debet, vt dici ſtato tempore, ſigno dato iuxta villam gregem conuocet, & paululum hordei concurrentibus obijciat, vt nec auis eſuriat, & numerus aduenientium recognoſcatur: ſed herbidus ſylueſterque ager planus in ſublimi clauditur materiâ, cuius tribus lateribus porticus applicantur, & in quarto duæ cellæ, vt ſit altera cubiculum, atque altera ſtabulum pauonum: ſub porticibus deinde fiunt arundinea ſepta in concauatum modum, qualia columbarij tectis ſuperponunt: ea ſepta diſtinguuntur velut clatris, intercurrentibus calamis: ita vt ab vtroque latere ſingulos aditus habeant. Stabulum autem carere debet ligine, cuius in ſolo per ordinem figuntur breues paxilli, eorumque partes ſummæ ligulas edolatas habent, quæ tranſuerſis foraticis perticis inducantur. Hæ porrò quadraticæ perticæ eſſe debent, quę paxillis ſuperponuntur, vt auem recipiant ſalientem. Sed idcirco ſunt exemptiles, vt cùm res exigat, à paxillis deductæ liberum aditum conuerrentibus ſtabulum præbeant. Dicti ſunt pauones à voce ſuâ: pupillare enim pauones dicuntur. Ad conuiuia magnum addunt apparatum & ſplendorem, ſed occiſi per dies aliquot ſeruari debent, vt durities carnis remittatur, & relinquantur ſuſpenſi pedibus per tempus omne, ad mollitudinem teneritudinemq; neceſſarium.

Pelicanus, ſeu Platea.

PIctores Pelicanum tanquam peregrinam & incognitam auem pro arbitrio ſuo finxerunt, adunco roſtro pectus

ſauciantem, & effluentem ſanguinem hiante ore excipientibus pullis: ſed pelicanus videtur ardearum generi adnumerandus, à quo nõ tam alio inſigni, quàm roſtri latitudine differt. Ille candidus eſt pennis omnibus, præterquam vltimis, & maximis alarum, quæ ex parte inferiore nigricant. Pedes & crura nigra ſunt, magnitudine ad anſerem non omnino accedit, linguâ breuiſſima, longum collum, oculi glauci, cauda breuis, crura tamẽ alta, inter digitos aliquid membranæ eſt, idque amplius inter duos maiores, vngues breues, nigri, acuti, qua natat, & quærit aliquid immerſo roſtro in fundo. Irraſcitur adeuntibus, roſtro aperto colliſoque, ſonum edit. Circa mare præcipuè degit: cicuratus piſcibus veſcitur, inteſtiniſque gallinarum & alijs culinæ reiectamentis, & ramentis aliquando radicum geniculatis, &, vt aliqui dicunt, ranis & ſerpentibus. Dictus eſt ille, quaſi pellẽ habens canam, id eſt, plumas albas, qui ſemper macie afficitur, & quidquid glutit, citò digerit, quia venter eius nullum habet diuerticulum, quo cibum retineat: ſolum enim inteſtinorum habet ductum, qui ab introitu oris, vſque ad partes iuſtis ac debitis naturæ perſoluendis ſpectantes accedit.

Perdix.

PErdix colore rufo, nigris interpictis longis maculis, aut colore teſtaceo, aut vario, quæ cacabare dicitur, vocis contentione cantuque valens, nidificat humi, ſpinis & frutice munit receptacula ſua. Cùm verò eſt ad pariendum vicina, aream molliter puluere ſubſternit atque fruticibus, & ſurculis circumſepit. Contextus areæ cauus eſt, & ad incubandum accommodatus. Cùm enim puluerem infixit, & molle quiddam, veluti cubile effecit, in ipſum ingreditur, poſtea ſeſe fruticum inuolucris occultans contra auium rapacitatem hominumque inſidias, in multa tranquillitate incubat, & ſic rorem ac imbrem, humoremque omnem auertit.

Aucupium Perdicis.

PRoducitur perdix venator cicuratus ad eliciendos feros, & ante retia præpoſitus cantum edit, eos laſcentem ad pugnam, coſdemque, vt ex inſidijs in laqueos inferat, incitantem. Contrà cantans ſylueſtr um dux, ſuum gregem præcurrens, obuiam procedit, cum hoc luctaturus: cicur autem, per ſummã fraudem & malitiam ſemper inſidias inſtruens, pedem refert, ſe timere ſimulans: alter verò ſpe, atque animo inflatus, ſimul & ſibi iam victoriam ſpondens, impetum facit, ſed mox captus

tus compage tenetur. Quod si venator perdix, qui ad illecebras venatorio instrumento assidet, mas sit, cæteri gregales ei ipsi captiuo opem ferre conantur. Perdix garrula ad mensas extruendas magni habita: quam lauti mandare maximè auent, & solent. Cuius pectus cum superioribus perquàm suaue est, inferior pars non æquè: post diem vnum naturalem comedi debet, vt amittat quod durum est. Atque obseruãdum est, vt in omni carne assanda, & præcipuè in perdice, ne nimium siccetur, & torreatur. Assa perdix, aspersa aromatibus temperatis editur. Perdicis assæ, prope costæ alas pulpam circunquaque abscindes, eiusque in locum, modicum salis, aromatum, caryophillorum contusorum, & succus citri, aut mali medici, quo melius simul hæreant misceri debet; atque inter assandum, ne obliuiscaris perdicum plumâ leuiter perfundere conditionibus iuris antea comparatis.

Phasianus.

PHasianus peregrina auis, magni pretij & æstimationis, quo nihil speciosius contemplari potest ex volucribus. Nec Pictores omnes, nec ipse Apelles, si rediuiuus foret, varietatem & splendorem pennarum, plumarumque imitari posset. Phasianus & gallus syluaticus, auis perpulchra, pennis coruscis ignis instar micantibus, cæruleis interdum ac viridibus, rubeisque pennis interscripto nitore. Aures geminas videtur habere, in capite plumis extantibus. Quas subrigit, cùm libet, atque submittit: cristis in capite, & spiculis in cruribus, quamuis careat, audax & animosus est. Caudam habet longissimam, eximia pulchritudine spectatam: sed fatuus est, & facile decipitur. Si enim pannus albus quadrangulus inter quatuor virgas pictum Phasianum rubei coloris præferat, adeò Phasianus miratur picturã, vt non aduertens venatorem retrorsum in rete contrudatur. Aliquando auceps panno, in quo hæc auis depingitur, coopertus, phasiano se ostendit, qui sequens coopertum, nunc fugientem, nunc retrocedentem premit, donec tandem à socio aucupis in insidijs latitante inuoluatur. De carne Phasiani nihil est, quod dicamus, quam primam ferè in mensis esse iudicant omnes propter carnis bonitatem & præstantiam. Caro illius gallinarum carni similis est, suauitate verò in edendo superior. Dictus est, quòd Phasiani populi sui generis auibus abundent.

Phœnix.

Phœnix.

ÆThiopes atque Indi discolores maximè ferunt aues, & pulcherrimas, & ante omnes, nobilem in Arabia Phœnicem, vnum in toto orbe, nec visum magno opere, qui aquilę narratur magnitudine, auri fulgore circa collum, cętera purpureus, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem, caput plumeo apice cohonestante. Tradit Manilius, qui Phœnicen vescentem viderit, extitisse neminem; sacrum in Arabia Soli fuisse; viuere annis sexcentis sexaginta; senescentem casia, thurisque surculis construere nidum, replere odoribus, & superemori: ex ossibus deinde ac medullis nasci primo ceu verminculum, inde fieri pullum, principioque iusta funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis vrbem, & in ara ibi deponere.

Pica.

PIca auis est magnitudine Columbæ, alis vario colore, & præsertim cæruleo depictis: sed cauda nigro colore est splendenti in viridem, cum sapphyrino permixtum, longiore caudâ, quàm aliæ sui corporis aues, quæ voces plurimas commutat. Singulis ferè diebus diuersam emittit vocem, imò eadem die eandem vocem variat, & omni tempore. Quin & aliquando per hyemem ita fingit vocem venatoris, vt canes moueat & incitet ad se: quin Pica in vocis mutatione singularem naturam, & quam diuersa animalia refert. Audies enim Picam garrientem, hœdi vocem existimabis, qui à matre separatus iuxta arborem eam requireret, cui clamans Pica nonnunquam insidere visa est. Audies iterum edito mugitu vitulum referentem, deinde ouis instar balantem, postremò fistulam siue sibilum pastoris imitantem, quo ille post pascua oues ad potũ ducit. Deinde audire poteris psallentem omniũ auium voces, & sonos tam varios ac multiplices reddentem. Minor est Picæ nobilitas, quam Psittaco, quia non ex longinquioribus terræ defertur: sed pressior loquacitas certo generi picarum est. Non discunt solum verba Picæ, sed diligunt; meditanteśque secum curam cogitationemque, quâ intentæ sint, occultare non possunt.

Psittacus.

INdia mittit Psittacum, qui pulcherrimus est, viridis toto corpore, circulo tanquam miniato, velut aurea torque, pari fulgoris ambitu cingitur & coronatur. Rostro & pedibus rubet, similis falconi, capite rotundo, rostro adunco, tantæ fortitudinis

titudinis, vt cauceæ virgas, ferreas vi frangat, habet enim capitis ossa durissima. Quare cùm discit sermonem hominis, radio verberatur ferreo; & cùm deuolat, rostro se excipit, propter pedum infirmitatem. Cùm aues aduncæ breui sint collo, & lingua lata, atque ad imitandum apta, psittacus est multo latiore, quàm cæteræ aues. Vnde illud efficitur, vt articulata verba penitus loquatur, quasi humanum linguam referens. Inter nobiles & plebeios distinctionem facit digitorum numerus. Qui præstat, quinos in pede habent digitos, cæteri ternos: sed hoc commune est psittacis, vt habeant digitos binos antè, & totidem retrò, vt picorum genera. In Caluhut tanta harum auium est copia, vt exhibendi sint custodes seruandæ orycæ in aruis, ne eam depascantur. Pede seipsos pascunt, & ori admouent escas, vt manu homo: dum bibit pedibus suspensus caudam in altum, & caput deorsum ad aquam protendit. Caudam etiam diligenter custodit, & sæpe rostro componit, & pennas summo studio frequenter abstergit. Inter aues ingenio sagacitateque præstat, quòd grandi sit capite, atque in Indiâ cœlo puro ac tenui nascatur: vnde didicit non solùm loqui, sed meditari, & meditatur gloriæ cupiditate flagrans. Summa memoria valent psittaci, amantque cùm pueris loqui, à quibus cæteræ aues facilius loqui didicerunt. Sed quæ solertia illorum in fingendis nidis? Inuestigant proceram arborem tenuibus ramis, & intolerabilibus ad quiduis graue sustinendum, ad quorum cacumina pensilem surculum alligant, ex quo nidum affabre, & callido artificio factum suspendunt, pilæ modo rotundum, sanè quàm exiguo ad aditum & exitum relicto foramine. Quod quidem illi moliuntur, vt serpentium insidijs viam obstruant: non enim ex tam subtilibus ramis pensilem nidum serpentium genus corpore suo audet inuadere. Caueis inclusi Psittaci aluntur, vt cum aspectu suo colorisque venustate, & formæ præstantia, tùm humani sermonis imitatione, domesticos & externos oblectent.

Struthio, vel struthiocamelus.

STruthio partim auem, partim quadrupedem refert: quippe qui pennas habeat, nec sublimis volet. Non enim pennas admodum aptas gerit, sed pilis similes. Glaber capite, & parte colli superiore est, & cilia palpebræ superioris pilosiora. Bipes tanquam auis est, bisulcus tanquam quadrupes; non enim digitos habet, sed vngulam bipartitam. Corporis molem sublimem

mouere

mouere difficulter potest. Crura alta sunt, similia cruribus camelorum, crebris corticibus, seu squamis intecta vsque ad geminos duros poplites. In sublime porrigit caput exiguum, ceruicem verò magnam, & proceram: cuius collum cum longum sit, & cyanei coloris, tum oculi magni, rostrum breue acutumque, molles plumæ, & vngula, vt prædixi, fissa, vt terrestre simul, volatileq; animal videatur. In huius ventre incisso, expurgatis sordibus, lapides inueniuntur: quos posteaquam deuorauit, in omaso prope reticulum diu asseruatos concoquit. Propter naturam calidissimam ferrum concoquere dicitur, mirâ naturâ concoquendi, quæ sine delectu deuorauerit. Ferunt altero oculo cœlum, altero terram intueri. Si quis eam insectatur propter corporis grauitatem volando effugere nequit, sed duntaxat explicatis alis gressu ipso effugere tentat, sin propior facta est, vt capiatur, obuios lapides, sic pedibus retrò ad hostes conuersus tanquam funda iaculatur. Capitur tamen ad hunc ferè modum. Cùm illam incubantem vir venationis peritus animaduerterit, peracutas ex ferro cuspides, spiculorum more, circum nidum defigit, & propè in occulto latens, ex insidijs rei euentum acerrimè expectat. Struthio ab inquirendo pastu rediens, antequam in nidum introeat, huc illuc versans oculos circunspectat, quòd metuat, ne quis sese speculetur, deinde ardenti pullorum studio victa, quamuis ferrum splendeat, alis tamen passis, tanquam velis contento fune explicatis, in nidum ingreditur, & cuspidibus ferro munitis transfixa acerbâ morte conficitur. Venator repentè properans accedit, & simul cum matre pullos capit.

Turdus.

TVrdus auis est, cinereo colore, non magno corpore, albo pectore, nigricantibus maculis variegato, rostro subflauo, quod in extremo nigricat, fere magnitudine & figura merulæ, bono præcipuoque sapore, præ cæteris auibus inter lautitias habetur. Et porcelli quondam dimidiâ parte assi, & dimidiâ elixi, farti turdis, & ventriculis gallinaceis inferebantur in mensas. Atque per syluas, & baccis fœcunda virgulta, ad turdos & alias aues capiendas, laqueos expedire oportet.

* * *

De aui-

De auibus generatim.

VT de animalibus, & de auibus generatim dicamus, ne quid ad scribendum & ad agendum Latinè desit. Aues dictæ ab auijs, id est, locis secretioribus, quibus maximè delectantur: *alites*, ab alarum magnitudine: *volucres*, à volando. Oua pariunt, & pennis decoratæ sunt, & maioribus, quæ remiges dicuntur, quasque ad volandum expandunt, & vestitricibus, quæ prætexunt illas. Pennæ autem è caule, id est, calamo extra cutem eminente, ex quo plumea omnis lanugo erumpit, producuntur: sed caules præcisi non crescunt, vulsi renascuntur. Præter pennas plumâ molliore vestitæ sunt, & sublatis pennis in sublime volatus suscipiunt, naturâ cœlo frui volentes libero, clangore multo, quem multæ fartæ satiatæque affatim vastum fundunt & horrendum. Sed in hac immensitate latitudinum, longitudinum, & altitudinum aeris circunfusi, quam infinita volitat auium multitudo leuandi laboris sui causa passim ac liberè, à quocunque opere solutarum? Quòd cùm à natura auibus insitum sit, cum pulli pennulis vti possunt, matrum volatus imitantur, quæ pullos volantes prosequuntur, quoad liberè possint volatus maiores suscipere. In auibus crista quantam habet præstantiam? In gallis palea de mento gallorum, rubens, velut barba pendens, speciem habet. Rostro magno, procero, & corneo, aduncoetiam magnopere adiuuantur ad capiendum cibum, ad findendum, ad purgandum, ad discernendas sordes, ad pungendum, ad abigendas bestiolas, ad inuestigandum aliquid, & eruendum infra puluerem latens & abditum. Cruribus rigidis, & calcari sunt & vnguibus præditæ. Auium etiam quanta diuersitas? aliæ sunt *oscines*, quasi ore concinnentes, quas veteres ridiculis, & inanissimis superstitionibus imbuti, rerum augurandarum causas natas esse putabant, & tum à dextra, tum à sinistra canere oscines, & prædicere, sicut alites volatu, rerum suarum secundos, & aduersos euentus. *Altiles* autem seu fartiles saginantur, & turundis farciuntur, vt pinguescant, quas bene pingues & opimo iecore ingluuies indicat plenissima. Harum similes, *cortales* seu cohortales, quibus intra cortem foucamve inclusis minùs libera vagandi potestas datur.

Syl-

Syluestres sunt aliæ, & feræ, nondum cicuratæ, quæ dispersæ in agris lociſque syluestribus vagantes, montanas & syluestres sedes appetunt, & ingentibus, & patulis, & porrectis alis volant, & superam regionem petunt. Quemadmodum inferæ naturali petunt volatu terræ vicinam aeris regionem, cum neutrum auiculæ inuolucres & implumes facerent. Hinc *accipiter* ex auibus cunctis rapacib. maximè ad prædam faciendam prouolans, *tinnunculus* columbas defendens, accipitres territans occultâ naturæ vi, quo ad aspectũ illius vocemq; fugiant. Hinc *aquila* regina auium, *alauda* seu galerita crista to capite, in galeri seu galeæ modum pulchram habens speciem. *Alcyon*, quæ hyemali, frigidoque maximè tempore propter maris litora fœtus edere solet, cùm maximè intumescit mare litoribusque vehementiores fluctus illiduntur, ventique flant valde vehementes, immoderatæque tempestates sæuiunt, vt mare omnia velle absorbere videatur. Mirandum autem, cùm statim mitescere mare, sedari tempestates, desæuire venti, flatus omnis quiescere, & omnia tranquillari pacatique cernantur. Intra quatuordecim dies, quiete tranquillitateque maximâ, quod tempus illa partim educendo, partim nutriendo fœtu, quoad adolescat, ponere consueuit. Hoc maximè nautæ tempus obseruarunt, quod nacti nullas tempestates perhorrescunt, quietissimo semper tranquillissimoque mari nauigantes. Hinc *anates* fluuiorum appetentes, & nandi studiosissimæ: hinc *anseres*, quibus alendis cibaria quondam locabantur in Capitolio, vt significarent clangore suo strepituque alarum, si quando fures venirent. Hinc *ardea*, ardua petens, & ardea stellaris, stellis quasi quibusdam picta, *Attagen* inter esculentas aues *præcipuè sapore* celebratur, vocalis alias, captus obmutescens, inter raras quidem aues quondam existimatus. Inter aues etiam *bubo* numeretur, debilis ad volandum, in cauernis commorans dirum omen mortalibus quondam habitus, à boue mugienti, quem imitari visus est, appellatus, *Capus* in auiario incluſus & saginatus omni studio, vt opimus inter fercula feratur assatus in mensam: *carduelis* minima auium, imperata faciens, nec voce tantum, sed pedibus & ore pro manibus, cum sit parua, capite rubro, luteis alis, albo nigroque colore distinctis à carduis, quorum semine vescitur, appellata; quanto in pretio habetur? *Ciconiæ*, veris ineuntis nuntium præferentes, procero collo, rostro longissimo, incredibilique duritie ad obiectas res percutiendas, cruribus & vnguibus, pro natu-

naturâ rerum, ad quas creatæ sunt, vim frigoris fugientes, calidiora loca petunt, gruum modo cursum perficientes. *Columbæ* in culminibus, & turribus villarum habitantes, propter insitum à naturâ timorem in summa loca conscendunt: sed aliud mansuetum genus est columbarum, domibus ipsis contentum & altum cibo domestico. Ad columbarum habitationem, columbaria extruuntur, leuigatis & dealbatis parietibus, singulis autem paribus columbaria, id est, loculamenta in peristerotrophio fiunt rotunda, & ex ordine crebra: atque columbaria os habent, per quod columbæ ingrediuntur & exeunt. Videbis autem paxillis adactas tabulas concinnè superpositas, quibus vel loculamenta, in quibus nidificent aues, vel fictilia columbaria recipiunt præpositis vestibulis, per quæ ad cubilia veniant fœtus. Harum pulli columbini sunt, & ouum quod supponitur ad fœtus procreandos. Columbarijs autem maxima cura est columbariorum frequenter purgandorum, ne sordibus alijs, & fimo columbino redundent. His accedat *coruus*, *coturnix*, *cuculus* ille niger & horribilis, mali ominis, & ad animalium cadauera se abijciens in sterquilinijs aspecta. *Coturnix* parua auis est, & cùm ad nos volat terristris magis, quàm sublimis. Aduolant autem hæ nauigantium periculo maximo: quippe quæ velis sæpe insident, mergunt que nauigia. Nunquam autem volant austro humido, grauioreque vento: nam aura vehi volunt propter corporis grauitatem viriumque debilitatem maximam. Hinc volantium illa conquestio labore expressa. Itaque Aquilone maximè volant ortygometrâ duce: sed ferè primam earum terræ appropinquantem, & accedentem ad terram, miserrimam accipiter rapit. *Cuculus* adest omni genere auium, odio maximo habitus, qui in aliquorum auium nidis oua parit, non audens in nido suo relinquere, quasi parum tuta, & ab alijs auibus confestim perdenda. *Cygnus* proximus sit, auis candore maximo, ansere maior, suauissimè canens, & suauius imminenti morte. Ille colli proceritate ad cibum capessendum adiuuatur. *Halcon* in eundem numerum refertur, qui vngues more falcis habet introrsum inflexos. *Ficedula* sequatur, ficubus pinguescens, à Romanis in magnis habita delicijs: quorum tanta fuit in cœnis instruendi luxuries, vt negarent auem vllam præter ficedulam totam comesse oportere. Iam verò gallus, gallina, pulli omittendi non sunt. *Gallus* enim parens gallinarum, & earum defensor acerrimus,

capite cristâ decorato, & sub mento paleâ pendente incedens habet ostentationem & iactationem corporis quem superbiorem facit, vestigium non leuiter impressum, & inflexa cauda, reflexaque venustissimè. Animal est canorum suâ sponte, qui post depulsum de pectore, & in omne corpus diuisum cibum & modificatum, cantus edit quiete satiatus, excitans homines, qui sic canere assiduè incipit, vt nunquam intermissurus videatur. Gallina mater pullorum est, ad quos excludendos oua supponuntur; cùm autem illa parere vult ouum, quietum requirit ad pariendum locum, glociens non parum. Sed quot Gallinarũ genera? Adriana, iubeca, seu nouella, veterana, effœta, pumica, decumana proceris ad pectus cruribus, meleagris, numidica, guttata, quæ in plumis nigrantes plumbos habet, hosque aspersos albis guttulis, Africana. Sed fœtus gallinarum *ouum* est, quod rotundum est, aut, acuminatum, atque medium intumescens, testa coopertum, quam membrana sequitur, quæ tegit albumen, & luteum intus delitescens. Sed ouum aliquando geminum est, sæpe irritum, nonnunquam cynosurum videbis, pullescens etiam, pulli verò teneri, & ad ægrotorum, & delicatorum cibos aptissimi, qui die vndeviceſimo rostellis oua percudentes, pipire solent. Quod auiarius diligenter explorat, & animaduertit, vt ouo pertuso pullus educatur foras. Non etiam omittendi graculi, seu monedulæ, grus, gryphis. *Grues* quasi rationis participes sint, profectionem præstituunt mirabili consensione conspirantes, volant ad prospiciendum altè, ducem, quem sequuntur, eligunt, in extremo agmine vicissim ad acclamandum disponunt, & qui voce gregem contineant. Excubias illæ habent nocturnis temporibus, ne quid improuisum accidat, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno, & decidens, parum prouidentes, negligentiæ arguat, cæteræ dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux erecto prouidet collo, ac præcedit, volantes colla tergo præeuntium imponunt, quia duces facere non possunt, fessi reuolant, & ad terga recipiuntur. *Gryphes* alis & facie tantùm aquilæ similes, reliqua parte leonum, equis admodum infesti. Quid hirundo? Quid luscinia? quid miluius? quid noctua? quid onocrotalus? quid palumbes? quid perdix? quid Phasianus? quid pica? quid Psittacus? quid struthio? sturnus, turdus, turtur, vespertilio, vpupa, vultur? quid aliæ aues à nobis descriptæ, & in Apparatu nostro, & in hoc volumine:

Has

Has & alias considera, si notam vis habere multitudinem & diuersitatem auium innumerabilem, atque illa, quæ sequuntur de auibus perlege, si vis Latinè agere, non hæsitans. Aues vario meatu feruntur: & in terra ambulant aliquæ, vt cornices: saliunt aliquæ, vt passeres, merulæ: currunt, vt perdices: ante se pedes iaciunt ciconiæ: grues expandunt alas, pendentesque raro interuallo quatiunt: aliæ crebrius, sed primas duntaxat pennas, aliæ tota latera pandunt, quædam verò maiore ex parte compressis volant. Percusso semel aliquæ & ictu gemino aëre feruntur, velut incluſum eum prementes, eiaculantur se in sublime, in rectum, in pronum. Impingi putes aliquas, aut rursus alto cadere has, illas salire. Anates solæ, quæque sunt eius generis, in sublime protinus tollunt se, atque eueſtigiò cœlum petunt, & hoc etiam ex aquâ. Itaque in foueas, quibus feras venamur, delapsæ solæ euadunt. Vultur & ferè grauiores; nisi ex procursu, aut altiore cumulo immissæ non euolant, cauda reguntur. Aliæ circunspectunt, aliæ flectunt colla, nonnullæ vescuntur ijs, quæ rapuere pedibus. Sine voce non volant multæ, aut è contrario semper in volatu silent. Quædam subrectæ, pronæ, obliquæ in latera, in ora quædam, & resupinæ feruntur, vt si pariter cernantur plura genera non in eadem naturâ officio suo fungi videantur. Qua verò in nidificando solertia aues præditæ? quo ingenio? quam admirando? Hirundines videas luto construere, stramento roborare: si quando inopia luti, madefactæ multæ aquâ pennis puluerem spargunt, ipsum verò nidum mollibus plumis, floccisque consternunt tepefaciendis ouis, simul ne durus sit infantibus pullis. In fœtu summâ æquitate vicissim partiuntur cibum, singulari munditiâ egerunt excrementa pullorum, adultosque circumagi docent, & foras saturitatem emittere. Videas alias eadem materia nidos confingere, diuersos figura totos, supinos faucibus porrectis in anguſtum, vtero capaci, mirum qua peritia habiles & occultandis pullis, & substernendis molles. Videas alias excauare ripas, atque nidificare multos dies ante, si futurum est, vt nidos flumen auctum attingat. Alias ex arido musco nidum ita absolutæ perficere videbis pilâ, vt nusquam patere videatur aditus. Quot in surculo primis in ramis cyathi modo nidos suspendunt, vt nulla quadrupes possit accedere. Iam verò commune istud est, tabulata ramorum sustinendis nidis prouisione multa eligere,

cameramque ab imbre, aut fronde densa protegere: sed cernere etiam est modum bibendi dissimilem, valdeq; distantem. Certum est alias sugêdo bibere aues, quibus longa colla, intermittens, & resupino capite velut infundentes sibi. Porphyrio solus motsu bibit, omnemque cibum aquâ tingens, pede quasi manu ad rostrum affert. Neq; plura de auibus: quæ volueris, ex alijs nostris descriptionibus sine dubitatione percipies omnia.

De vermibus & insectis.

Accedunt vermium & insectorum descriptiones. In vermibus & insectis non pauca sunt animaduersione digna. Noti enim sunt vermes, lumbrici, apes, vespæ, fuci, crabro, culex, locustæ, scarabæus, papilio, musca, ricinus, formica, bombyx, grillus, cicada, araneus, eruca, tipula, millepeda, lens, pediculus, cimex, pulex aquaticus, curculio, voluox, trox, mida: de quibus nonnulla describenda nobis erunt.

Vermis.

VErmes rependo torquent sese, & vertunt in omnes partes, infesti non modò lignis & arboribus, sed etiam plantis & fructibus. Nati ex fimo tetro, & grauiter olenti, multis lineis notantur, & quasi toto corpore intersecantur. Inde vermiculata opera, quæ præbent speciem vermiculorum, vt pauimentum minutis tessellis insitijs vermiculorum instar variatum ac distinctum.

Lumbrici.

LVmbrici vermes terreni, lubrici, qui contrectati effluunt, & elabuntur è manibus, vt continere non possis, inflectunt se & torquent corpore. Hi in hominum corporibus propter cruditatem nati, intestinis nocere solent. Neque contenti solum, nisi aluo mouentes vetsanteq; seipsas molesti sint & adeò graues, vt perferri non possint sine angore cruciatuque maximo.

Apes.

APes iure optimo generi mortalium admirationem afferunt, præbentes speciem Reipub. benegerendæ, & omnem susci pientes laborem rerum ad hominum vtilitatem conficienda-

ciendarum causa: habent Regem, cui obtemperant, omnique officio prosequuntur. Nunquam autem ante fabarum florem laborare incipiunt. Hoc autem ineunte tempore distribuunt suas operas, & albente cœlo bombo excitatæ, aliæ exeunt in campos longè lateque patentes, & flores colligunt, aliæ aquam ore, & corporum suorum lanugine comportant, quibus venientibus obuiam occurrunt aliæ, onera excipiunt, & inferunt in alueos ad suum opus perficiendum. Quarum primum opus est fauos construere, ceram fingere, hoc est domos cellasque facere, deinde sobolem, denique mella ceramque ex floribus, melligenem ex lacrymis arborum, quæ glutinum pariunt, salicis, vlmi, arundinis, succo, gummi, resinâ. His primùm alueum ipsum intus totum, vt quodam tectorio illinunt, & alijs amarioribus succis contra aliarum bestiolarum auiditates, deinde foris latiores circumconstruunt: sed in opere faciundo iaciscias primum fundamenta, quę commosin vocamus, crustâ primâ saporis amari. Quem consequitur pissoceros picantium modo ceu dilutior cera & vitium, populorumque mitiore gummi. Proxima est propolis crassioris materiæ additis floribus, nondum in cerâ, sed fauorum stabilimentum, quâ omnis frigoris, aut iniuriæ aditus obstruitur. Ita fingendorum fauorum, & mellis faciundi datur apibus opportunitas optata. In elaborandis perficiendisque fauis, & melle complendis, aliæ struere, aliæ polire, aliæ suggerere, aliæ ex eo, quod allatum, comparare solent. Exploratores sunt, qui speculantur, & obseruant operas. Cessantes inertiæ arguere, castigare deinde & mulctare morte, quasi constitutum est decretum inter apes. Quæ munditia? amoliri omnia mos est à medio, nullasque inter operas spurcitias iacere, & excrementa laborantium intus, ne longius recedant, vnum in locum congerere. Turbidis diebus & ab opere vacuis egerere, fulcire quoq; maximæ curæ fuit ruentes ceras pilarum integerinis à solo fornicatis, ne desit aditus ad farciendum, quemadmodum primos ferè tres versus inanes struere, ne promptum sit, quod inuitet furantem, nouissimos implere melle, ideoque aduerso alueo faui eximuntur. Gerularum officium est secundos captare flatus. Contraria autem tempestate, apprehensis lapillis se librant, atq; ita strenuam operam, & laborem assiduum adhibēt, vt vescendi tempora statuta habeant, & omnes vnà vescantur, ne opus remittatur, aut minus ab alijs laboris suscipiatur, quàm reliquæ

ponunt. Cùm adueſperaſcit in alueo obſtrepunt minùs, ac minùs, quoad vna circumuolet, eodem, quo excitauit, bombo receptui ſignum dans omnibus caſtrorum more, quo audito protinus omnes conticeſcunt.

Fuci.

FVci ſine aculeo ſunt, imperfectæ apes, nouiſſimæque à feſſis, & iam emeritis inchoatæ, ſerotinus fœtus, & quaſi ſeruitia verarum apum. Quamobrem apes imperant his, & primos in opera, quaſi mancipia expellunt, tardantes ſine miſericordia puniunt. Hi non immeritò fuci, qui ſpecie calefaciendi aluei mella abſumunt, & apibus fucum facere videntur. Quod non ſanguine diffuſus, ſed fuco illitus color, fuci fallaciæque hominum, fucata & ſimulata è ſynceris veriſq; longè diſtantia, fucoſæ & ambitioſæ amicitiæ, merces fallaces, & fucoſę facilè ante oculos ſtatuunt. Fuci enim quamquã apum ſimiles, ſed maiore corpore non mellificant, neque operam vllam præbent. In opere faciundo, niſi quod ad concalefaciendos fœtus adiuuant, & conſumunt alimenta, quæ apes congeſſerunt.

Veſpæ.

VEſpæ in ſublimi è luto nidos faciunt, & in ijs ceras: muſcas grandiores venantur, & amputato ijs capite, reliquum corpus auferunt, aculeos impreſſos & infixos relinquunt non ſine magno dolore, vt eliciant ſæpe ſanguinem, & ad euellendos magna vis adhibenda ſit. Atque illæ partes, quas pupugerunt, & ſtimularunt, intumeſcere videbis ſingulari deformitate.

Crabrones.

CRabrones veſparum ſimiles, ſed maiores, ex equis creati potiſſimum, in ſylueſtrium arborum cauernis degentes, ictus illorum infeſti admodum & pernicioſi. Hi nullum Regem agnoſcunt, ſicut nec veſpæ, in hoc prorſus ab apibus abhorrentes. Aſperi licet ſint & immites, aliqui mitiores numerantur.

**
*

Culex.

Culex.

IN culice animalculo paruo, vbi tot sensus, vbi appetitus, vbi gustatus, vbi odoratus, vbi truculenta illius & maxima vox sit, quâ subtilitate pennæ fuerint annexæ, qua longitudine crura, quis non quærat admirans? Adhæc ieiuna illius cauea, tanquam aluus auida sanguinis, & potissimum humani, mirabilis cuicunque videri potest. Quod verò telum perfodiendo corpori, & spiculis acerrimis acutum? Id cùm fodiendo acuminatum sit, sorbendo fistulosum est, quod tanto cum stridore facit, vt animal dicas maximorum aliquod tantos ciêre strepitus, stragem & cladem hominibus minitantes.

Locusta.

LOcusta insecti genus est, infirmas habens alas, tam modicis se à terra volatibus attollens, vt saltare potiùs videatur, quàm volare. Tanto volant alarum stridore, vt aliæ alites credantur, solemque obumbrent, cœlum obducant, multa contractu solùm adurentes, omnia verò morsu erodentes, (pernicies maxima & calamitas agrorum) omnia vestantes depopulantesque. Ad eas enecandas homines exeunt in agros, pro numero, seu mensura locustarum, quas vbi confecerint, pretium accepturi sunt, mercedemque constitutam.

Scarabæus.

SCarabæus teneras habens pennas, & ob eam causam crustra ad firmitatem tectas, stercore sese potissimùm alens, ingentes è fimo pilas pedibus volutat auersus. Aliqui volitant magno murmure ac mugitu, alij ficos & prata crebris foraminibus excauant, nocturno stridore vocales. In quodam autem scarabæorum genere grandi cornua prælonga sunt, bisulcis dentata forcipibus in acumine, cùm libuit, ad morsum coeuntibus.

Bombyx.

BOmbyx similis erucæ apud Indiam, Æthiopiam, & Seres in araneorum morem tenuissima fila ducit, ad vestes luxumque fœminarum. Bombycas autem in Ceo Insula nasci Plinius tradit, cupressi, terebinthi, fraxini, quercus florem

rem imbribus decussum terræ halitu animante. Fieri autem, tradit auctor, primò papiliones paruos, nudosque, mox frigorum impatientia villis inhorrescere, & aduersus hyemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab ea apprehensam corpori inuolui nido volubili: tum ab homine tolli, fictilibusque vasis tepore & furfurum esca nutriri, atque ita subnasci sui generis plumas, quibus vestita adalia pensa dimittatur; quæ verò cœpta, sint lanificia, humore lentiscere, mox in fila tenuari ceu fuso. Nec puduit has vestes vsurpare viros propter leuitatem contra calores æstiuos, ita à lorica gerenda abhorrentes, vt oneri sint etiam vestes: cùm bombycis olim ad fœminarum vestem luxumque prima in filum ducere, deinde texere inuenerit in Ceo Insula mulier Pamphila Latoi filia.

Cicadæ.

CIcadæ natura sunt canoræ, aculeatum nescio quid habent in pectore, quo rorem lambant, nunquam nisi æstiuo tempore apparent, carent ore: aculeum enim habent pectoris linguæ similem, atque pectus fistulosum ad mittendam vocem. Dictæ à cadendo, citò enim euanescunt, æstus solum tempore resonantes.

Grillus.

GRillus speciem quandam habet locustæ, non dissimilis cicadæ, corpore tamen longiore, pernicies agrorum, retro ambulans, & saliens in locustarum morem, tertam terebrans, noctuque stridens, quem pueri in caueas ex subere factas solent includere, lactucarumque folijs alere.

Araneus.

QVis est cui non admirationem afferant Aranei, qui corpore exiguo, vario & acuminato, assultim ingredientes, internodijs ternis crurum notati, erudito, & accurato opere clari & illustres sunt? Quippe qui telas ordiantur, tantique operis materiæ vterus ipsorum sufficit, tam moderato vngue, tam tereti filo, & tam æquabili deducit stamina, ipso se pondere vsus. Texere à medio incipit, circinato orbe sui tegmina annectens, maculasque, paribus semper interualis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatans, indissolubili

bili nodo implicat. Quanta arte celat pedicas scutulato rete ad capiendas muscas circumcirca grassantes? Quemadmodum ad araneorum opus cribrata pexitur tela, & politissimâ artis accuratione ipsa per se tenax ratio tramæ, nec comparanda quidem videtur: sic araneus telam texit incluſus, vt an sit intus aliquis cerni non possit. Quantâ autem firmitate contra ventorum vim irrumpentium, contra vim omnem pulueris decidentis de tecto, contra grauitatem temporum infestissimam? quâ latitudine? sæpe inter duas arbores exercet artem, quâ longitudine fili? à summo culmine, à terra rursus in summum vsque veloci reciprocatione subit pariter, ac telam deducit. Cùm verò prædam facturus, quàm paratus ad cursum? licet extremâ hæreat plagâ, semper ad medium currit, quia sic maxime totum concutiendo implicat: si scindatur, si interrumpatur tela, quàm polito opere reficit sartiendo? In omnium incremento futuro telas suas tollit altius, sereno non texit, nubilo texit cœlo. Cùm muscas, tum lacertarum catulos venatur os primùm tela inuoluens, & tunc demum labra vtraque morsu apprehendens, quàm tunc amphitheatrale spectaculum præbens?

Eruca.

ERuca ab erodendo dicta, oleribus & plantis pernicioſa, quemadmodum in olerum folia repit, & erodit? Ea præsertim brassicas perdit, ac vastat, quæ ne repat longius, ac promanet ad olerum perniciem vltimam, manu colligatur, vel albenti cœlo, matutinis temporibus, frutices olerum concutiantur: sic enim dum adhuc torpet nocturno frigore, si deciderit, non amplius in superiorem partem prorepet.

Tipula.

TIpula sex pedes habet, leuitate tamen tanta, vt super aquam currens, non desidat.

Millepeda.

MIllepeda pilosus est, pedibus multis arcuatim repens, tactuque contrahens sese.

Lens.

OPus est pectere, & lendibus purgare caput, quæ semen sunt & origo pediculorum, caput hominis & partes corporis infestantium. Atque caligas, tibialia, subuculam curæ erit suis temporibus purgare, ne pediculi animalia infestissima gignantur, procreenturque: qui vel parui, vel adulti iam, tenues ac

crassi prodire foras valent, & si procul aspecti, cum probro ac dedecore hominis tollantur ab amicis, & in illius oculis & ore, vt pedibus terantur, aut inter duos vngues interiecti conficiantur, rubor ori confestim adoriri solet. Qui se natum nollet potius, quam tantum subire dedecus & ignominiam: sic à naturâ appetimus munditiam & elegantiam, fugimus sordes & spurcitiam.

Cimex.

CImex colore ruber, odore teter, ex ligno nascens, lectis & paleis, & chartis æstiuo tempore ebulliens, remedijs multis vitandus est, & aquâ calidâ obruendus. Fugit seuo illitas partes, in quas sese recipere solet, & abdere, tam tetrum & fœdum animalculum.

Curculio.

CVrculio paruulum est animalculum, ita dictum, quòd gutture solum in eo apparere videatur. Infestum est frumento in horreis condito, quod totum corrodens, perdere visum est. Ad pestem hanc auertendam, magnam vim habet diligentia, & cura purgandi sæpius granarij: & quod caput est, ne multum in tempus asseruetur frumentum annorum multitudine expositum subiectumque curculioni.

Voluox.

VOluox teneros vitium pampinos & pubescentes vuas erodens, quanto fructu priuet dominos vinearum satis testatum est, cùm spem omnem ab initio præcidat, quam & vini & vuarum colligendarum habere possent vitibus saluis & incolumibus.

Serpentes.

SErpentes à serpendo dicti, qui pedibus carentes serpunt vario multiplicique flexu, impulsuque corporis totius adhibito horribiles. Qui erecto collo, tumida ceruice, ardentibus oculis, sibilis horrificis terrent genus humanum, & afflatu multo, sæpe venenato nondum inuadentes occidunt. Cùm homines inuadunt, & nexu plurimo implicant corporis partes, mordent brachia, collum, & os, venenum lethale fundentes, quo statim necantur, vt ad summum, si explicare sese, ac depellere serpentem potuerint, tumefactis corporis partibus, simul

simul atque venenum in corpus totum per venas diffusum cor attigerit, nullâ spe, medicina nihil auxilij ferente, spiritum extremum exhalabunt. Id quod in aliquot serpentum generibus videamus.

Basiliscus.

BAsiliscus vastam ac desertam Africæ solitudinem incolit, candidâ in capite macula, tanquam diademate ornatus, ore rudi, oculis & colore nigricantibus, duodecim digitorum non amplius magnitudine: solo tamen halitu serpentem magnum enecat, neque flexu multiplici, vt reliqui, corpus impellit, sed celsus & erectus à medio incedens. Necat frutices non contactos modò, verum etiam afflatos, exurit herbas, rumpit saxa, atque hominem, si inspiciat, solo intuitu perimit. Atque Basiliscum multi regulum appellant, quem multi Reges occisum videre cupierunt. Sed quem nulla vis, nullæ machinæ adhibitæ occiderunt, mustelarum virus in cauernas illatum ad exitium & interitum deducit.

Serpens.

SErpentes in reconditis & abstrusis latebris degunt, qui longiores sunt, & multis spiris ac voluminibus corpus inflectentes, sublato nonnunquam aliquantulum à terrâ capite serpunt. Atque nonnulli hyemali tempore latentes, æstiuo prodeunt, noua pelle pellucentique admodum induti, quam exuerant ante, in petras per angustissima foramina inferentes introrudentesque seipsos, & omni adhibita contentione, quoad spoliati, nudatique manserunt.

Anguis.

ANgues in aquis, & in paruis saxetis agunt, serpentes inflexione corporis multiplici, minores multo serpentibus. Sed hoc instinctu coluber præditus, vt ad bibendum accedens, in aqua venenum euomat, ne illum aqua concretum venenum occidat. Nudum ille hominem timet, vestitum persequitur, caput tamen suum celat, vt se mortis imminenti periculo eripiat.

Hydrus.

HYdrus semper immanissimus, ex oculis, ex ore crudelitatem, ex toto pectore venenum spirans. Quem numerosis capiti-

capitibus finxisse Poetas quis nesciat? Quorum cùm vnum ab Hercule demetebatur, confestim renascebantur gemina, quoad ab Hercule, & sagittis & igne interfectus est. Percussi ab hydro intolerandam odoris fœditatem exhalant, obliuiscuntur omnia, quæ in memoria habebant, & oculos nebulæ cuiusdam caligine crassissima circunfusos habere sibi videntur. Horrescunt toto corpore, & rabie agitantur maxima. Nec mirum: nam in Corcyra hydræ procreantur, quæ se à tergo ad insequentes retorquent, & grauem odorem exhalantes retardant ac exprimunt.

Lacertus, Lacerta.

NOtæ sunt lacertæ, pedes ad humanorum lacertorum, vnde dictæ sunt, similitudinem habentes: quarum duo sunt genera; aliæ sunt minores tergo ferrugineo, maculis quibusdam nigricantibus distincto; Maiores vitidi colore sunt, superioribus multò maiores.

Stellio.

HVc accedat stellio lacertæ similis, circulis quibusdam, & veluti lucentibus guttis ad stellarum similitudinem depictus, qui rore & araneis vescitur. Exuit quotannis cutem, exutamque deuorat, inuidens nimirum homini cute istiusmodi ad comitialis morbi remedium valde præsentaneum vsuro.

Ad hanc adiungo scytalem, tanta præfulgentem tergi varietate, vt notarum venustate videntes retardet. Et quoniam rependo pigrior est, & tardior, quos assequi nequit, miraculo sui captat stupentes. Sed satis est nos superiores numerasse serpentes, ex quibus nihil in illorum materiam incidet, quod disertus adolescens facile describere non possit. In hanc materiam vipera, scorpio, salamandra, bufo, chelydrus progrediendo sese conuoluens per terram, chersydros, dipsas, natrix, cenchris, pharias, qui dum serpit, sulcum in terra exarat cauda, cæterique serpentes, incidunt, maxime Python, post aquarum alluuionem ex terra putrefacta natus, & ab Apolline confectus, vnde ille Pythius nuncupatur.

***

HOMO.

HOMO.

NON erat prætermittendus sine reprehensione homo, Regium & excelsum animal, ad gloriam & ad decus natum. Qui consideretur primùm in fœtu, dum conceptus in matris vtero continetur, qui ortus vix exijt in hanc lucem, cùm plorare incipit, & vagire. Itaque à ploratu & vagitu vitam instituit, neque ille expositus, non subditus, sed patre legitimo natus, in cunis iacens, amictus indumentis, fascijs deuinctus, constrictusque puerilibus, cui mater vbera suis temporibus admouet papillas in os inserens: quem sugere lac iubeat, & ad mammas appetendas solitis blanditijs alliciat, suauium & delicias, iucunditatem & amores appellet, & in puero demulcendo lallare illud vetustissimum & commune nutricibus vsurpet, cùm lactare velit, quoad ablactandi tempus est, & ab vberibus materni istius infantis abducendi.

Caput hominis.

FAbrica corporis humani ad omnem elegantiam & magnificentiam spectat, quæ suum à capite capit initium, quod recte in sublimi collocatur: quòd in eo sensus omnes, & mens sedem & domicilium suum habet. Illud autem cum collo sustentetur, sincipite constat, & occipite, inter quæ vertex interiectus est. A lateribus sunt tempora, & in prospectu frons, quæ ianua animi est. Caput autem cute tegitur, & cutis capillis obducitur, infra cutem cranium est durum admodum, & ad cerebrum tegendum spectans, quod cranij concauis partibus inclusum est, & impressum, sed ob cerebri mollitudinem aduersus crassitudinem, & duritiem cranij meninges sunt, id est, membranæ duæ propugnacula quædam, & tegumenta, quæ totum ex omni parte contegunt, & tuentur cerebrum. Prima dura mater appellatur, hanc altera consequitur pia mater nuncupata, quæ inter se & priorem tantum spatij habet, quantum necessarium est ad cerebri pulsus: dura in cerebri morem perforata est, & duplicatur ad venas firmiore vallo muniendas: altera, quæ tenuissima est, adhæret penitus, & cum illo coniungitur.

Capillus.

Capillus.

CApillus alebatur olim, qui niger aut flauus habebit speciem egregiam in capite, quamquam caluo quemquam esse capite, habet grauitatem in homine, quemadmodum senex propter canos, & annos multos albenti capillo auctoritatem affert capiti cano. Adolescentes autem composito ac delibuto capillo, vel intorto ac cincinnato, vt nonnulli quondam, quibus compti fuerant capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, oculis & animis infestissimis cernebantur, à Catonibus præsertim & alijs viris grauibus, qui cirros istiusmodi, & propendulos præcipue, in frontem decidentes, delapsosque, & in sublime postea elatos in diadematis speciem, videre non potuerunt. Quid ergo de nostris adolescentibus dicemus, qui cincinnos capillorum, & à fronte antias erectas in sublime, diadematum speciem præbentium gerere non erubescant? Qui sic tondentur, vt inæqualiter tonderi non eos pudeat, & cirros in sincipite relinquere, vt crescant & tollantur multo reliquis sublimiores, referentes capillamenti muliebris similitudinem? Hos non dubites, si ferret vsus, adscititiam comam adhibituros, ita remollescere & effœminari videntur animi illorum.

Frons.

SEd iam frontem istorum vide, quæ nitere videtur vnguentis, & ad mulierum morem longè splendescere aquis accuratione muliebri expressis. Animaduerte autem frontem explicatam & exporrectam hominum, contractam & mœstam, tranquillam & serenam, rugis exaratam (quoniam in fronte ostentatio est) quamquam aliquando simulatio sustineatur, & sæpe mentiatur, nec verum dicat. Explicatio frontis lætitiæ signum est, contractio grauitatis indicium, tranquillitas sedatum animum præfert rugæ vero iracundiam: quemadmodum cum quis ingemit, queritur, fremit, frontem ferire solet. Sed anni seniles rugis maxime ostenduntur, sed qui excussam nunquam seueritatem volunt, in his contractæ frontis notas aspicies, & si seueritatem aliquando excusserunt, reliquias pristinæ frontis apparere volunt: frustra tamen multi eas fronte contegere volunt, quas nolentes aperiunt. Nam licet homines aliquando fronte & supercilio perturbationes animi contegant, non solum ex oratione, ex ipsa, sed ex vultu, oculis, ex fronte,

quæ

quæ volumus, facile perspicere possumus. Quod in Socrate, quod in Scipione, quod in Philosophis multis apparebat, quibus frons semper eadem fuit.

Oculi.

OCuli tanquam speculatores locum altissimum obtinent, ex quo plurima conspicientes, funguntur suo munere, quos vestiuit & sepsit natura inclusos in sinus membranis tenuissimis. Has primum perlucidas fecit, vt per eas cerni posset; firmas autem, vt oculi continerentur; lubricas & mobiles, vt oculis, si quid noceret, declinarent homines, & aspectum, quocunque vellent, facile conuerterent. Pupillæ autem paruulæ sunt, iride aut corona ornatæ, albumine circundatæ, quæ palpebris teguntur, ad claudendos & aperiendos oculos: ad tutandas vero pupillas palpebræ cilijs vallatæ omne malum ab oculis repellunt. Hi rursus ad lacrymas effundendas aptissimi, locum inferiorem obtinent, vnde genas præterlabuntur, & faciem oculis subiectam: sed superiora supercilijs vestita, oculos magis tuentur ac defendunt, quemadmodum inferiora, genis leuiter eminentibus. Sed oculi nimis arguti, quemadmodum animis affecti simus, loquuntur; quorum tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, tum mœstitia motus animorum significamus, æque quidem atque ipso genere orationis. Quid enim oculi conturbati, quid ardentes, quid eminentes, quid iniqui, & infesti, quid læti & hilares, quid immobiles & in aliquem defixi, quid auersi significant? non indicant animorum nostrorum sensus, & mentem explicant? Cum nictare soleant homines, hoc naturale quidem est, illis, quos ita pauere accepimus, vt nictare non cessent.

Nasus.

AB intercilijs nasus incipit, qui quasi æquali porrectus iugo, vtramque aciem & discernit & munit. Duo autem eius spiramina, geminæque fenestræ, quas veluti quidam paries per medium locum ductus interfinio imbriceque suo intersepit, nares appellantur, quæ humorem semper habent, ad puluerem multaque alia repellenda, sed contractiores aditus habent, ne quid eas, quod possit offendere, peruadat. Terminantur autem pitula, quam alæ, id est, pennulæ ab v-

ab vtraque parte sepiunt: rectè à superiore parte collocatæ patent, quòd odor ad superiora fertur. Illis suauitates odorum, qui afflantur ex floribus, thus, & odores accensos, pomorum odoratum, suauitates vnguentorum percipimus, nec suaues solùm & iucundos odores, sed teterrimos oris, corporis, cadauerum, aliarum rerum, quos nec bestiæ ferre possint, propter intolerandam fœditatem, quos etiam fugere naturale est brutis ipsis, non solùm hominibus, qui odore suaui recreantur, & capiuntur mirificè. Quidam enim tam acerrimo sunt odoratu, vt longo interuallo olfaciant, quæ bene aut male oleant. Sic homines habent strophiola ad occludendas nares, quia graue offens omne cœnum, aut fœditatem aliam cuiuscunque tetri odoris tolerare nequeunt, & emungere frequenter solent, & omni muco exinanire. Atque hoc vitium commune est multis hominibus, vt quiescere non possint, nisi agitandis & purgandis naribus, vibrissisque euellendis digitorum immissione crebra. Narium formam non eandem videbis: alij enim sunt resimis naribus, id est, compressis ad simiarum similitudinem, alij aquilinis, qui plerunque magno ingenio, iudicioque præditi putantur.

Auris.

AVris ab hauriendis sonis dicta, vel potius ab audiendo, quæ tota cartilaginea est. Sed aspice auriculam exteriorem & infimam, quam prehendere, & vellicare solemus, pinnulam summam aurium partem, capreolam, & scapham, conchamipsam, & tragum extrinsecus conchæ respondentem, testudinem concameratam auriculæ partem, atque ipsum auris meatum, per quem aditus est, & introitus durus, & corneolus, multisque cum flexibus, ne quid intrare possit, quod noceat, tum quia his naturis relatus, amplificatur sonus. Prouisum etiam est, vt si qua bestiola conetur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco inhæresçat. Patent autem semper, quoniam audiendi sono dormientes egemus, & cum illum açcipimus, à somno excitamur.

Facies.

FAcies, quæ in fronte, oculis, naso cernitur, suauitate coloris, dignitate oris commendatur, genas natiuo colore perfusas

fusas leuiter eminentes habet, vultu reconditos animi sensus prodens. Etenim pro varijs affectibus vultum mutare solet homo, qui imago animi est, & tacitus mentis sermo, vt indices oculi. Ita videre est vultum familiarem, seuerum, & tristem, hilarem atque lætum, eundem sæpe & fictum, & simulatum. Quamobrem videre vultum hominis cupimus, & vt aliquis absentis vultus omnes exprimat, & in illis, ex quorum voluntate pendeamus, diligenter eos perspicimus, vt animum intelligamus, licet animus vultu, qui mentitur sæpe, sicut flagitia parietibus, tegatur. Sic fuerunt quondam, qui vultum importunum in forum detulerunt. In Socrate fuit semper idem vultus quòd mentis, à qua is fingitur, nulla fieret in eo mutatio.

Os.

FAciem Os consequitur, quod labijs superioribus, & inferioribus munitur, extrinsecus labium adolescentum superius primâ vestitur lanugine, id temporis pilis erumpentibus, vel sensim nascentibus potiùs. Iuxta labrum interius bucca est cum nymphâ non ignotâ: sed buccam intra malas concauam, à pulmone spiritu reuocato, & oppressis labijs retento inflatam deprimere possunt homines. Mentum autem fundamentum est barbæ, quæ speciem habet & ornamentum in homine præstantissimum, alis præsertim, id est, mustace, ab vtraque parte intortis & productis admodum, & quod bonis non probatur, elatis in sublime. Ad dexteram & ad sinistram oris mandibulæ sunt, intra os, dentes superiores & inferiores, atque primores alij, alij intimi, alij canini, & molares, intra quos gingiuis inhærentes, lingua continetur. Dentibus in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur & molitur cibus. Eorum aduersis acutis escæ diuiduntur, intimis (quos genuinos dicimus) conficiuntur, quam confectionem lingua adiuuat. Cùm in ore autem lingua sita sit finita dentibus, quæ sonos distinctos & pressos efficit, cùm ad dentes, & ad alias partes pellitur oris, vocem immoderatè profusam fingit & terminat, cuius linguæ solutio, vocis sono spectatur, Indeque linguâ celeri & exercitatâ laudantur oratores. Quidam ita linguâ hæsitantes, ita voce absoni, vt loqui non possint: & si loquantur, in India quadam vastâ & agresti nati fuisse videntur: linguam autem, ad radices eius hærens excipit stomachus, quo primum illabuntur ea, quæ accepta sunt ore. Is vtraque parte tonsillam attingens, palato

extremo atque intimo terminatur, & agitationibus & motibus linguæ, cùm depulsum & quasi detrusum cibum accipit, depellit. Ipsius autem partes eæ, quæ sunt infra id, quod deglutitur, dilatantur; quæ autem supra, contrahuntur; sed cùm aspera arteria (sic enim à Medicis appellatur) ostium habeat adiunctum linguæ radicibus paulo supra quàm ad linguam stomachus annectitur, eaque ad pulmones vsque pertineat, excipiatque animam eam, quæ ducta sit spiritu, & eandem à pulmonibus respiret, & reddat, tegitur quasi quodam operimento. Quod ob eam causam datum est, ne si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. In ore signa sunt lætitiæ, & mœroris, cùm deducitur rictus, aut contrahitur, cum inuertitur, producitur, torquetur, mox in pristinam formam rediens.

Collum.

COllum rectum & excelsum est, & ad sustinendum caput, tanquam columna, aptissimum, & iugulo anteriori parte, gulâ interiore, per quam cibus & potus in ventriculum defluit, & tonsillis vtrinque gulam attingentibus, extremis faucium partibus constans, & ceruice ab occipitio incipiente, ad spinamque tendente. Cuius hæc commoditas est, vt ad dextram sinistramque versetur. Quod facile quidem homini factu est, propter ossa orbiculatim vertebrata: quorum ope ad circunspectum omnem facilis est cervix articulorum nodis iuncta. Alijs collum tenue & procerum, alijs crassum & breue solet esse. Quod à colendo dictum est, quippe quod viri, ac mulieres præcipuè monilibus, murænulis aureis, & torquibus excultum & ornatum proferunt in publicum.

Pectus.

PEctus, quod sub iuguli clauicula est, à gulâ ad ventrem pertinens, homini tantummodo latum est, reliquis animantibus carinatum. Costis, vnde deducitur, compactum est, quæ veluti firmamentum pectoris sunt. Intus latent cor, pulmo, iecur, vitæ instrumenta domiciliaque singularia. Pulmo enim viscus spongiosum, ad vngulæ bubulæ similitudinem dissectus, in follis morem spiritum attrahens, eundemque reddens, calorem nativum leuiter reficit. In pulmonibus enim inest raritas

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0380
DFG

ritas quædam, & assimilis spongijs similitudo, ad hauriendum spiritum aptissima, qui tum se contrahunt aspirantes, tum respiratu se dilatant, vt frequenter ducatur spiritus, quo maximè vtuntur animantes. Iecur autem coacto sanguini simile est, in quo sedem habent & domicilium cupiditates hominum inexplebiles & immoderatæ, vnde venæ omnes deducuntur in cor, & à corde in corpus diffunduntur. Hoc ventriculum lobis quibusdam, quasi digitis, ex omni parte complectitur. Cor denique, præcipuum inter viscera, & vitæ sedes, & arteriarum, & caloris natiui (quo animal regitur) quasi fons quidam & domicilium. In hoc pectore extrinsecus vbera sunt, seu mammæ cum papilis, quas iris, circulus niger ambit, quæ cùm attolli videntur & intumescere, suos habent sinus concauos, & lactis non parum capaces.

Aluus.

VEnter accedat artificio mirabili constructus, & ore, ventriculo, fundo, felle in vesicula contento, liene, renibus, intestinis constans. Est autem aluus stomacho subiecta, cibi & potionis receptaculum, quæ multiplex & tortuosa arcet, & continet, siue illud aridum est, siue humidum, quod recipit, vt id mutari, & concoqui facile possit. Ea tum astringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accepit, cogit, & confundit, vt facile & calore, quem multum habet, & terendo cibo, & præterea spiritu omnia coacta, atque confecta in reliquum corpus diuidantur. Intestina sunt quasi membranacei quidam canales, qui in interiore ventris parte siti, ciborum extrema è ventriculo excipiunt, longisque flexibus & circuitionibus per secessum eiiciunt. Quanta multitudo intestinorum? vt primum omittam, quod piloron rei Anatomicæ periti vocant; proximum illi est ieiunum, quòd vacuum semper & inane sit; tertium tenue; quartum cæcum, quod sinuosum est; huic finitimum est crassum, carne multa obductum; vltimum rectum ac directum, quippe quod nullos habet sinus, spinæ incumbens, ad sedem vsque protractum. Quid de mesenterio dicam, crassa, & adipe multo redundante membrana, multis & neruis, & venis, & glandulis intertexta, medium inter intestina obtinente locum? Cuius, veluti manus cuiusdam beneficio, iecur chylum à ventriculo attrahit. Sed omentum quas habet opportunitates ad inuoluendas, tegendasque intestinorum interiores

partes? quod cùm duabus tunicis à peritonæo ortis, densis & subtilibus, & sibi incumbentibus, intestina vestiat, & foueat, & calorem innatum tueatur, tum longissimè protenditur, nullam relinquens partem intestinorum nudam ad concoctiones eorum, quæ imbecilles sunt, adiuuandas. Iam verò ilia in imo ventre, inter vesicam, & coxas posita sunt, quæ si rumpuntur, actum de homine planè videtur. Neque vmbilicum mediam ventris planiciem obtinentem prætermittam, cuius ope fœtus, dum est in matris vtero, nutritur; cuius acromphalum inexplicabilis sagenæ contortæque speciem præbet, & anus rugis suis similem formam præbens vmbilicum superat. Quæ de ventre speciatim dicta sunt cùm admirationem afferant, tum illud in humani corporis fabrica non minus habet admirationis, cùm ventriculi facultate cibum sic concoqui sciamus, vt quod crassum & terrestre est, in ventriculi fundum detrudatur, quod vero tenue est, & ad alendum idoneum, perfectius elaboretur, idque venis, tanquam baiulis, præciso & tortuoso aditu, in iecur velut in opificem & architectum sanguinis deferatur. Crescet autem admiratio fabricæ, si in sanguinis officinam mentis oculos conieceris. Nam vt vini musti, si è maturis racemis expressum est, quod crassum subsidit, tenue verò instar spumæ, natat in summo: sic iecur, ac si esset intelligentiæ particeps, succum per venas mesaraicas delatum perpurgat, in sanguinem conuertit, & cùm fæces in splenem, & subtile depulit in vesicam, elaboratum, & purum sanguinem, vena caua in vniuersum corpus diffundit, qui conuenienter naturæ suæ alit, & sustentat animantes.

Terga.

POst anteriores corporis partes, & interiores descriptas, terga breuiter describenda sunt. Quæ à ceruice profecta, cùm lata sint, scapulis opertis, id est, ossibus humerarijs nituntur: quæ ad spinam tendunt. Ab vtraque parte superiore eminent humeri, qui in animantibus armi dicuntur: quorum acromium eminet & apparet, vbi cum scapulis iugula committuntur. Ab humeris dependent brachia, subter brachium est axilla, quæ ala etiam dicitur, in qua grandes balæ, pili subalares videntur. Infra alam sunt latera, deinde costæ sequuntur, quæ cum spina cohærent, intestinaque suo complexu coercent, quarum, quæ latior est, palmula dicitur, altera angustior, remulus

mulus spinæ vertebras attingit. Interiecta sunt spatia costarum mesopleuria, atque has costas sua succingit membrana. Intergis præter animaduersa cernere quidem operæ pretium est in spinâ dorsi, quæ præcipue prominet & spectatur, tubum, id est, sacram fistulam, qua medulla spinæ decurrit, vertebras seu vertibula, & spondylos, quibus nodis quasi firmissimis quibusdam vinculis colligantur, & cohærent ossa, & inflectendi præbent hominibus facultatem, sine quorum dono ac munere rigeret corpus, & flecti profecto nullam in partem posset. Cernere etiam est lumbos partem inferiorem spinæ, quinque constantem vertebris, quæ mediæ sunt inter os sacrum & vertebras dorsi: sed in brachijs cubitus quantam habet commoditatem? cuius beneficio inflectere possumus, & porrigere, tollere, & deiicere brachium, & ad alios vsus accommodare plurimos, si cubitus cum lacerto compingatur. Sed brachij ossa sunt duo, minus quod radium, maius quod vluam dicimus. Sed accedamus ad manum, atque cum brachiali iungatur coarcteturque; Inde metacarpium, id est torus manus, & tubercula, vnde oriuntur digiti, cernantur. Manus vtraque tota dextra, leuaque, ornatur palma, quæ est diducta dilatataque manus: vola media, quæ pars est manus in pugnum compressa. Quinque sunt digiti porrecti, conuolutiue ad frontem talitro percutiendam, pollex, index, medius, medius seu annularis, auricularis. Hi digiti pectinatim inter se amplexi sunt articuli, id est, internodia digitorum: vngues, quibus digiti tanquam ad bellum in aciem armantur, manum vtramque decorant. Sed vt absoluamus fabricam humani corporis, partibus inhonestis silentio præteritis, coxendices solum seu coxæ nominentur, quæ duo ossa sacro ossi ex vtraque parte astricta, cauaquædam habent acceptacula, quibus ossium femoris capitula inferuntur. Inde crus nascitur ex femore, & femine constans, medium est genu, cum patella sua, poples pars est opposita genu, accedit tibia obiecta suræ. Atque tibia duo habet ossa maius & minus, radium & fibulam. Pes protenditur tarso, vnde oriuntur digiti vngulis armati. Cum ad incedendum pes homini datus, vt vestigium facere possit, quacunque progreditur, non ponere solum leuiter, sed imprimere ac relinquere expressum potest.

Cella penaria.

QVoniam sine penis prouideri non potest hominibus in annum, quæ sint in cellâ penariâ, vbi res necessariæ, & ad victum annuum pertinentes reponuntur, videamus. Et quidem esculentum solum, nam poculentum in cellâ vinariâ quæremus: non etiam cibos ad prandij fercula paratos; sed ad longi temporis vsum quidquid reconditum est, & asseruatum, cum non hæc in promptu, sed intus & penitus habeantur, vnde penu dictum est, percurremus. In penu sane numerantur aromata, casei, carnes salitæ, & horum esculenta similia, cum per anni processum eis homines vescantur. Atque in hac cellâ penariâ quanta ex ordine partim in armarijs, partim in articulis, partim in loculamentis, partim ex parietibus, & ex tecto suspensa cernuntur, vnde cum opus sit, ad singulos dies depromantur omnia? Panis in arcis ad dies aliquot, & hodiernum, præcipue recens, siligineus, similagineus, seu similaceus (quo heti vescuntur, & filij) asseruatur; panis cibarius seu secundarius seruorum, furfuraceus canum, item buccellarum, panis dulciarius, panis saccharites, & butyratus suas hic sedes habet. Panis quanquam ad delicias dominorum recens quæratur, & varijs spiris, & figurâ multiplici notatus atque distinctus ponatur in mensa, tamen curæ semper fuit primo, non asseruandi panis in multos dies, ne indurescat, ne mucidus fiat, & situm contrahat. Huc conferuntur globuli, placentæ, liba, lagana, scribilitæ, spiræ, artolagani, artocreæ, quæ omnia illo die ex cellâ penariâ triclinij Præfecto traduntur, foris allata, aut domi concinnata, salsamenta, lardum, succidia, perna, coxæ porcinæ salitæ, petaso, falisci ventres, insicium, tucetia. In hunc locum conferuntur cumificio lucanicæ, sumina, omasum apud veteres in mensarum delicijs, porcelli Troiani, caro aprugna, ouilla, vitulina, conditanea seu salita, muriaticaque, fumo durata. In eandem cellam penariam reliquiæ prandiorum ad cœnam asseruandæ deferuntur, caro scilicet iurulenta, assa, elixa, tosta, procul ab hoc loco caro morticina. Atque ouea, caseus, sal, butyrum, hœdi, agni, lepores, cuniculi, perdices, pauones, gallinæ, capones, pulli empti, peni Præfecto traduntur a promo, cæteraque ad cibum spectantia. Separatim tamen asseruantur in altera cella bellaria arida, hypotrimmata, grana saccharo condita, conditanea omnia, cydoniatum suis in loculis seruatum,

vuæ

vuæ passæ, pruna passa, atque alia istius & diuersi generis ad delicias spectantia.

Taberna aromatoria.

AD hominis victum, quæ sequuntur, plurimum valent. Taberna aromatoria omni genere aromatum abundat, quæ necessaria sunt ad ciborum conditiones, & ad vnguentorum compositiones. Magmata, orbiculi, pastilli, massa ex fece vnguentorum odoris causa, stacte, omnium suffimentorum varietas, caryophyllon, zingiber, piper, cinnamomum, crocus, cuminum, coriandrum, carum, moschus, siue muscus. Omnia hæc væneunt tanti, quanti venire solent. Atque hæc in loculis, loculamentis ligneis, in arculis, in plateis asseruantur. In pluteis etiam illorum longa serie, continuationeque cernitur multitudo, diuersitasque suis inuolucris tecta, vtque, cum emptum aliquis venerit, singula de loco tolli suo, imponi in alueum præpositum aromaticæ tabernæ queant, qui tantum à terra excitatus est, vt stantis hominis prope pectus attingat, aperiri postea, expromi aromata venalia, & ex inuolucris euolui, proferri visenda spectandaque, & pactione facta auferri, quantum emptor petierit, & pro corollario quidquam, si venditori placuerit. Ita dimitti emptor, & cum bona pace solet, & bonis auibus abire iussus: qui gratificans discedit, & cum bona gratia, quam collegit venditor, bona semper verba faciens, & non respiciens minutias, quæ emptorem abalienare non raro solent, & ab adeundis tabernis istiusmodi auocare fastidientem difficiles & cupidos, & nunquam nisi summo vendentes propolas, vt quæstus duplicare possint & triplo maiores, si fieri possit, sine detrimento conscientiæ.

FRVGES.

SVperiores ad delicias magis, quàm ad necessitatem spectant, ad victum corporis fruges necessariæ sunt. Agricola frugum appetens, vt sementem faciat (qualem enim quis sementem faciet, sic & metet) terra iam ad arandum affecta, comparat aratrum, & aratri vomere terram incipit perstringere; cumque buris vomerem excipiat, stiuam manu tenens, sulcum altius imprimere, & iterare terram properat, donec atatione legitima, totam

ad ſerendum affectam relinquit, ducens vomerem, & imprimens, & extrahens ſuis temporibus, maximè ſi ſolum non exile, & macrum eſt, ſed opimum & fertile, quod aratum & nouatum, & iteratum meliores fœtus, & grandiores poſſit edere. Id autem non vna, vt ſcimus, ſed triplici fit aratione. Primum ſi proſcindatur terra, deinde effringatur, denique liretur, vt in ſulcos, id eſt, in foſſas ex porcis aqua defluat, quod fieri ſoleta ratione tertia, iacto ſemine, atque boues lirare dicuntur, cùm gremio mollito ac ſubacto, vel crate dentata, vel tabellis ad vomerem additis, ſatum frumentum occatum relinquunt, vnde occatio dicitur.

Segetes & meſſes.

CVm terræ ſemina mandata ſunt, terra ſemen tepefactum complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem viriditatem, quæ nixa fibris ſtirpium paulatim adoleſcit, culmoque erecta geniculato, vaginis quaſi pubeſcens includitur. Ex quibus cùm emerſerit, fundit frugem ſpicæ ordine ſtructam, quæ contra auium minorum morſus vallo munitur ariſtarum. Ita primùm in ſegetem datæ ſunt fruges, quæ ſua natura nitent. Et quamuis ſegetes fœcundæ herbas effundant inimiciſſimas frugibus, tamen non minùs ſegetibus, quam pratis & vineis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt, frumentaque luxuriare videntur, dum ad maturitatem perueniunt, quorum ſpicæ ſolis ardoribus toſtæ, maturæ iam, & meſſoriæ falcis appetentes, & vbertate granorum incurueſcentes flatu ventilantur ſtridore gratiſſimo. Sed ante metenda frumenta, iterum vt laudemus Creatorem tantæ frugis, qui ex minimo grano tantam in ariſtæ vallum granorum multitudinem incluſit, & coegit. Granum tepefactum imis terræ viſceribus conſidera, inde ex illo herbeſcentem viriditatem, inde culmum, id eſt, frumenti calamum, à radice ad ſpicam vſque tendentem, ſtipulas, id eſt, folia, ambientes culmum, quæ ſtipulæ ſuum capiunt initium à vaginâ, in qua delitescit culmus cum ariſta, priuſquam exoriatur. Inde culmus ſpicam extulit, quæ granum continet, glumam & ariſtam. Vtrumque autem in infima ſpica, & in ſumma, ſed matura iam frit, quod vtrumque minus eſt, quàm granum, ſtramen veluti quoddam eſt ad culmi ſpeciem & conſeruationem. Ariſtis verò ipſis intimum & ſolidum granum continetur, ac ne in illud irruant & abſumant aues, harum vallo ariſtarum munitum conſeruatur aculeis quaſi quibuſdam, & ſentibus ſeptum.

Meſſoria

Messoria falx.

MEssores in frumentis metendis occupati medium culmum sinistra apprehendentes secant falce messoria, acuta, & habili. Id verò temporis stramentum relinquunt terræ penitus inherens, manipulos constrictos & colligatos, vbi absoluerunt, humi iacentes, qui postea coguntur, & in plastra impositi in aream comportantur terendi. Qui omnes fasciculi soluti iam & sparsi ac dissipati tota area, quæ triungalis plerunq; sternitur, teruntur iumentorum paribus vsitatis, aut traha dendata (quem morem terendi Castellani seruant) in quam impositus aliquis, & stans, aut sedens, si collibitum fuerit, à tergo agens, & cædens funiculis, vel flagello, mulo tribulam trahamq; rapida incitataque celeritate in orbem circumagit, quoad tritum omnino sit, & ventilandi videatur opportunitas. Quam simul ac ventilatores nacti sunt opportuno vento flante, ventilabris ipsis triticum ventilare incipiunt, ventilabris frumēta in sublime eiaculantes, vt venti flatu grana secernantur à palea, quæ quo sublimiùs proijciuntur, tanto puriora decidunt, in ventum proiecta crebra ventilatione. Sic purgata puraque frumenta manent in area, in horreum condenda postea, quoad medimnis dimensa, & in saccos coniecta, plaustris aut iumentis in granaria inuehuntur. Eò priusquam perueniatur, post arationem, post semina terræ mandata, post demessa frumenta, in metas construuntur manipuli, qui coarctati in strigam iacebant humi falce strati, ijdemque in angustissimos vertices tolluntur acuminati, sic congesti, vt inferiore parte latiores, supernè in angustum desinant conum.

Moletrina.

MOletrina hæc, ad quam molendi frumendi causa omnes concurrunt, molas habet frumentarias ex ordine tres, quæ cataractis sublatis, & ex abrupto præcipitique loco ruente aqua (cùm antea demissis contineretur) incredibili fragore & impetu mobilis, id est, manubrij impelluntur, & in gyrum aguntur, & frumentum in fundibulo contentum decurrit ac transmittitur in molam, quam subscus ferrea sustinet. Huius molæ tatillus, & meta farina perfunditur, atque adeò operitur,

vt tota albicare videatur. Moli videas paulatim frumentum conuersione celeri citataque molæ orbes conficientis plurimos, farinam in tympanum cadentem colligi, verri postremò, purgari, & in saccos infundi & detrudi constrictam compressamque. Quæ fieri post molam tusam pertusamque necessarium est.

Faba & siliqua.

ADfruges adiunges quæ sequuntur, alendi causa. Ex leguminibus lupinos, cicera, phaseolos, eruilias, pisa, vicias, lentes, panicum, orizam, milium, far, eruum omittamus, & describamus fabas solum, & siliquas. Faba notissima quidem est, sed fingamus nos in fabale ingressos fuisse, in quo tantam vim & multitudinem istius leguminis animaduertentes, videbimus à radice exurgere scapum rectum & directum in speciē ac similitudinem styli, & totum illum flosculis primùm, deinde folijs vestitum, & tandem fructu fabarum, quibus tam multa brachia ex omni parte redundant. Quorum nucleum suum primum quasi conchâ quadam, deinde siliquâ à temporum iniurijs tectū vmbilico suo (vbi bifores fabarum fores committuntur) & hilo notatum Deus protulit. Atque hæc pendent ex fabilibus suis, id est, stipulis, quæ coctæ ad ius perficiendum piscium diebus, & ad cougrum maximè afficiendum, & suo sapore suauiorem reddendum valent. Quin & piscium aliorum generi immiscentur ad reddendam escæ huiusmodi iucunditatem suauitatemque præstantiorem, siliquæ sunt digitorum longitudine ad minimum, non rarò longiores, nonnunquam falcatæ, multæ, quamuis rectæ directæque reperiuntur, intus, osciculis suis sedes occupantibus, personant. Harum corticem pueri mandunt voluptate magnâ, duratæ iam dentibus profectò acutioribus, & valentioribus indigent: in eam enim duriciem perueniunt, vt ligno te vesci dicas, siliquas cum deiustaueris: primùm colore viridi sunt, postea buxeo vel fulco præditæ cernuntur.

Herba.

REferamus in herbas & plantas absinthium, acanthum, adiantum, gramen, algam, vluam, allium, amaracum, apiastrum, anisum, apium, apium palustre, ampeloprasum, arundines, asparagum, asplenum, betam, blitum, brassicam, buglos-

buglossum, cannabim, caricem, carduum altilem, cepam, cucurbitam, cucurbitam camerariam, cucumerem, cuminum satiuum, fœnum, fungum, hemerocallin, hyacinthum, intybum seu intubum, intutim, iuncum, lactucam, rorem marinũ, marrubium, siue prassium, mercurialem, nasturtium, origanũ, papauer, pastinacam, peponem, melopeponem, porrum, portulacam, pulegium, raphanum, napum, scholopendrium, sinapim, thymum, trifolium, vrticam. Ex his nonnullas herbas & plantas percurrere nos æquum erit breuissimis descriptionibus. Atque in describendis herbis siue voluntariam, siue satam velis describere; primùm considera caulem vnde folia, frondesque emicant, scapum ipsum in columnæ formam rectum & excelsum, qui suis articulis, id est, geniculis, & nodis distinguitur, inter quos internodium interiectũ est, folia deinde ipsa resupina vel prona cum sinu alarum cauo, vnde folia explicant ac diffundunt sese, totum verticem, siue calicem ambiendo: ex scapis cymæ nascantur, cauliculi delicatiores tenerioresque scaporum; quod decernere est in brassicâ, quæ ab scapo surgere incipit, & efferre sese. Ille scapulus articulis distinctus est, & inter articulos internodia interiecta sunt, calix autem vndique foliorum multitudine quasi vallo munitur, resupinorum sinus concauos toto explicantium circuitu. Cymæ verò, id est, cauliculi, quàm teneræ, quam delicatæ à principio in extremitatem vsque scaporum? folia crenis suis notatissima, quam venustæ, tanquam venis brachia eminent, & apparent?

Allium.

QVis non allium nouerit, simile propè porri, grauissimo tamen odore, quippe quod lassitudini mederi dicitur, & fugare serpentes? Cùm ab scapo folia pendent viridi colore prædita, angusta tamen & acumine terminata multo, quasi acuum speciem præbentia, stimulorumque acutissimorum, tum ab eodem scapo surgit caput, comis siue capillamento rectum. Quod nucleis miro ordine constructis, & alijs inferioribus, & superioribus, tantâ stabilitate firmatis constat, vt illi ventorum vi non disiungantur, nec ab alijs alij diuellantur; omnes autem suis loculis contenti, inclusique tueantur, ac defendant sese, tanti capitis artificio constructioneque potentissimâ. Allium messoribus in delicijs esse solet æstiuo tempore, & hyberno frigore valentes

lentes stomacho contra vim magnitudinemque hyemis ad calefaciendum ventrem auidissimè mandunt. Iidem alliatum conficere solent, in quod panem vicissim intingentes, & summo gustu suauitateque vtramque buccam complentes, demittunt in aqualiculum, quod postea per multum tempus exhalant, & halitu quidem grauissimo & penè intolerando.

Cæpa.

CÆpa caput habet multò crassius, quàm allium, quod multis tunicis vestitum est, & alijs alias operientibus & tegentibus ex ordine, à summa latiore paulatim ad angustiores & ad vltimam & angustissimam peruenientibus: summa autem tunica membrana sua cooperitur ad tegendam cæpam, & asseruandam incolumem & saluam à sordibus terræ, & iniurijs temporum: verticem summum capitis capillamentum ambit, & circundat totum, quasi cilijs quibusdam in circuitu mira venustate cadentibus ornatum.

Lactuca.

LActucæ varij generis sunt, sed omnes à radice profundunt scapum, & hunc summum ordine miro foliorum complent. Quæ calicem totum in circuitu resupinatæ ambiunt, atque vt propius ad calicem accedunt, angustiora & exiliora sunt folia gustatu suauia, & in ollis concisa, concinnataque cum alijs herbis olus suoue perficiunt & absoluunt, oleo aceto que perfusum. Coctæ lactucæ soluunt ventrem, quem stringunt & sistunt aliæ res. Integræ lactucæ purgatæ tamen, & ablutæ manduntur, intingenda tamen folia, vel soluta, vel complicata, vel in sinus adducta in acetum, quod ad acrimoniam mitigandam aqua nonnulla temperare potes, vel nonnihil saccari in acetum infundens, si suauitatem, vel dulcedinem appetieris.

Raphani.

RAphani intra terram abditi latentesque folia profundunt in omnes diffusa partes. Quos euelles, aut canditum aut bicolorem corticem ferentes, intus carnem, medullamve continentes, foliis recisis, & capillamentis omnibus nudatos, sale conditos cum iucunditate mandes.

Cardui.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0390
DFG

Cardui.

CArdui cùm primùm nati sunt, & ad iustam altitudinem excreuerunt, obrui debent, & infra terram condi, vt matureſcant, & ad edendum afficiantur: qui extracti ſcapum habent brachiorum refertiſſimum, quæ quo magis interiora, eò exiliora & anguſtiora ſunt. Sed illi caules acuieatas habent, paruulis ſpinis terminatas, foris ſtriatas, intus concauam canalium ſpeciem præbentes.

Arbor.

INgredere in hortos amœniſſimos, nullam infœlicem arborem, fœlices planè omnes reperies, & in quincuncem directas, & aliquot biferas, arbuſculas ſimiliter varias, ac multiplices frutices, taleas, & inhumatas, ſi volueris termites aliquot, tuus eſt, quem volueris, efferto manus ac donum hortorum vbertate digniſſimum. Sed vide arbores proceras, & breuiores, exiles, & craſſas, & radicibus infra terram actis, trunco proportione arboris, libro, & cortice ſuo, quò ſint à frigoribus tutiores, obducto. Diffuſi rami in omnes partes, primùm floſculis, deinde folijs veſtiti, poſtremò fructum vbertate onuſti, & propterea grauitate ponderum incurueſcentes: ex vbertate ſurculi nati, ſtoloneſque quantam voluptatem afferunt & commoditatem, ad acquieſcendum, & vmbram captandam æſtus tempore flagranti? Ob multitudinem arborum quiſquiliæ quot & quantæ caducorum foliorum? Nullam hic reperies materiam vitioſam. Curæ quidem eſt colono euellendæ, cędenteque arboris cuiuſcunque inutilis, & igni, cùm opus fuerit, deuouendæ: ne quid ſit in his hortis, quod offendat, & vituperetur ab his, qui hortos inſerint, & luſtrauerint tam bene cultos ac nididos, & fructuoſos adeò. Nihil profectò muſci reperies, cuius purgandi & adimendi tanto ſtudio diligentiaque ſuis temporibus laborat, vt opportunitatem arborum emuſcandarum diligens & aſſiduus nullum omittat. Reperies tamen gummoſas arbores aliquot, gummi multo diffluentes, quod ad rutilandos mulierum capillos, & ad illiniendas res aliquot vtilitates afferat non paucas. Vt enim muſcus arbores deformat, ſic gummi flauus liquor toto cortice diffluens decorat. Nullum genus arboris deſiderabis, quæ his in hortis ſata non ſit. Alnus, amygdalus, ceraſus, corylus, ficus, fraxinus, malus medica, malus Armeniaca,

malus

malus cydonia, malus Punica, morus, nux, persicus, pyrus, prunus, sorbus, & aliæ arbores satæ fructus pariunt suos. Videbis aliquot in locis vlmos, populos, salices, ebulos palmas, lauros, castaneas, caprificos, arbutos, & alias arbores, quas prætereo, ne multitudine arborum descriptionem hanc replere videar. Tantum dicam proximum esse oliuetum, & quia ad radices montis horti iacent, quercus esse, è quibus vehijs lignorum cæsorum multitudo comportatur ad vsus domesticos, ad ignem præcipuè omni anni tempore faciendum, & accendendum hyemali præcipuè frigore.

Ligna cæsa.

SEd vide hominem valentem ac robustum, cum bipenni in manu, lignorum, quæ vehijs comportanda sunt, multitudinem cædentem, & in orbem, & in pulpam, nonnunquam propter crassitudinem cuneum interiacentem ad findendum paulatim, vt securis viam & aditum reperire possit faciliorem. Quos ictus infigit, fortiter & altè impressos! vt adigat semper securim in mediam ligni pulpam, neque corticem solum detrahat, nudat prius libri parte nonnulla ad lignum facilius cædendum. Videas dissilire scidias inter cædendum multas, dispergi, dissiparique, iacere magnam copiam ab vtraque parte resciſi resectique ligni, cogi, denique deferri ad coquinam tanquam facilem materiam ad concipiendum ignem, quaque adiuuantur coqui plurimum ad excitandas & alendas flammas, & ad crassiorem materiam accendendam. Sunt enim assulæ ex pulpa ligni interiores, & tenues ac teneræ, siccæque admodum, in quibus facilè adhæresci pruna ad flammas excitandas & tollendas in sublime. Quamobrem conseruandas curant, vt cum ex lignili deferatur lignum resciſſum, ac resectum, adhibeantur adminicula hæc & auxiliares assulæ flammarum profectò excitandarum administræ maximæ.

Vitia arborum.

SEd redeamus ad arbores, ne prætermisisse videamur, quæ nulla ratione silentio prætereunda videbantur. Licet enim sæpe animaduertere in arboribus panum, nodos etiam callo carnis in se conuoluto centum ferris infestos propter duri-

tiam,

tiam, & clauo simili similem: alburnum mollissimam partem arboris, à colore nomen trahens, & teredini subiectam: carbunculum malum commune vitibus, & arboribus valde perniciosum, cùm arborum flores aduruntur, & ad carbonis siccitatem, nigredinemque, vt ita dicam, rediguntur. Nota sideratio est, cùm æstu nimio, humore absumpto, inarescunt arbores, syderis præcipuè caniculæ afflatu deterrimo, & insitæ ac nouellæ arbores moriuntur, præcipuè ficus ac vites. Nota denique articulatio, cùm articulari quasi morbo vites & arbores laborasse videntur, vi tempestatum germinibus vitium arreptis: fungus tamen, qui clauus & patella dicitur, qualis, & quàm teter, cùm sole exuruntur arbores! tetrius est hoc sentire patique arbores, quàm dicere potest, qui labore summo, sumptibusque maximis hortos colit.

Vites.

NOn hic acturi sumus de vite compluuiata, non de pergulana, non de iugata, canteriata, quæ pedamentis canterijsque transuersa iugatur, sed de ordinaria in quincuncem directa, quamuis aliquando pedata staturainataque sit, id est, adminiculis, staturainibusque sustentata. Non hanc lacrymantem, neque syderatam, sed luxuriantem volumus, quæ postea multiplici lapsu erratico serpens amputatur & coercetur agricolarum arte, ne diffundat se nimium & palmitibus vesticta suis, vuas fert racemis pendentes, racemos botris constituit, botros denique acinis, quæ omnia scapo continentur. Ne tamen solibus adurantur, & alijs temporum iniurijs, ab omni calamitate defenduntur viridi vestitu foliorum. Sed in folliculis vinacea concluſa latent, succusque omnis, vnde postea vinum optimum & suauissimum. Sed capreolis, seu clauiculis, vites quidquid nactæ sunt, quasi manibus apprehendant. Atque suis adminiculis fulciuntur, ne cùm natura caducæ sint, nisi fultæ, ferantur ad terram. Hinc pampinus in vite tener, frondosus coliculus, fructum fouens, & ab æstus vindicans iniuria. Hinc malleoli, nouelli palmites ad propagationem vitium, ex quo vno vitis latissimè propagatur, quæ si bona est, non orbos, neq; pampinarios, non focaneos, sed fructuarios fert palmites, flagella ipsa teneriores & longiores palmites in summa vite natos & extantes.

Malum

Malum Punicum.

VIdeo malum Punicum rotundum, malicorio duro obductum, & in summo coronatum, ab aduersa parte vmbilicosum. Sed in arbore cytinum relinquens, & patens, & apertum rubore mixto perfusum acinorum. Interius tamen malum Punicum, & ex ordine constructos, constrictosque, & acerrimè compressos acinos contemplor, qui ne lædantur, primùm malicorij duritie, deinde eos tunicâ vestiuit, & obduxit Creator fructuum cunctorum, atque cicco, id est, membranâ tenuissimâ acinos discernente intra malicorium contentos atque seruatos. Planè species & forma foris apparens præbet sui principatus documenta singularia.

Ficus.

FIcus arbor amplissima est, pyris magnitudine æmula, crassitudine cubiti duntaxat ramos flexuosos habens, lentâ cortice viridi, folio aspero, ad res lubricas continendas aptissimo, quæ radices longissimas agit, breui tempore consenescentes, amat calida loca, vel fructus à suo nomine ficus appellatas, quæ albæ vel nigræ sunt. Atque ficus vel serotinæ, vel præcoces (vulgò breuas:) ficus autem virides cùm sint ante maturitatem, ad quam summa celeritate properant, acuminatæ cernuntur, quo pediculo propiores fuerint, à summo in vmbilicum intumescentes paulatim vt matures cere inceperint, deprimentes tumorem suum, & explicantes ac dilatantes sese à lateribus. Tactu autem molles sunt, vbi maturuerunt, maturis frumenta intus, succus matures centibus lactis, percoctis verò mellis, vt sapore suo mellis suauitatem referant. Senescunt in arbore, anusque gummi modo lacrymare videntur. Siccantur autem ad solem in vsus annuos, quæ Pompeiæ, vel Liuiæ à Plinio dictæ, vt Chelidoniæ, quæ purpureæ sunt. Quò longiores & ampliores sunt, præstantiores habentur, atque laudabiliores. Vbi copia ficorum abundant homines, illis ijdem implent orcas, & cados, & venales exponendos, & vendendos summo pretio dimittunt in loca ficorum inuectarum appetentia, obsonijque vicem supplent: sed in edendis ficis recentibus, aut Liuijs, quantum est discrimen? Pompeias ficos totas mandimus cum suo cortio, præterque vmbilicum & pediculum relinquimus nihil, recentes verò totas fere mandimus. Sed delicati homines, & fastidiosi, salutis amantes, neque decoquen-

tes

tes facilè cibos alui difficultate, detracto corio mandere consueuerunt. Quamobrem videre est illos cum gladiolo à summo vmbilico ad pediculum vsque ficos corio nudare, eosdem nudatam carnem in os inferre, sale sparsam, ad suauiores ficos reddendas. At quemadmodum fici matureſcunt ope caprifici, quæ cùm nunquam matureſcat, quod ipsa non habet, alijs tribuit. Gignit enim culices, qui ad alias ficos aduolantes, ipsis maturitatem afferunt.

Castanea.

CAstaneæ echinato calicis vallo armatæ, & cortice obductæ, putamen tunicâ molli tectum conseruant, quod durũ est, quanquam suaue. Coctæ vel assæ, vel tostæ appetuntur ab hominibus, & diebus piscium ius cum ciceribus, & mellis suauitate concinnatum, crassum, & concretum perficiunt & absoluunt. Illæ à superiore parte latæ paulatim coarctantur, & ad extremum acuminatæ terminantur.

Nux.

NVces plerunque rotundæ sunt, aut acuminatæ, culeolo viridi putamen ambiente. Putamen ita compactum est, & constructum, vt bifidas carinas aspiciamus. Durum est putamen, & fractu difficillimum, intus nucleus est, & nauci dissepimento, quasi membranulâ intergerinâ discretus concluſusque seruatur.

Glans.

DEscriptis nucibus, faciles descriptu videntur glandes, quæ calice suo continent putamen: Putamen verò nucleum tunicâ obductum molli. Glans ouata, rotunda vel acuminata, in delicijs quondam habebatur ante fruges inuentas, & Ioui consecrata. Sed vt rancida & vitiosa nulli vsui est: ita opima sues pascit, & hilares reddit. sed suaues coquuntur, vel torrentur ad castanearum rationem.

Horti fructuarij.

GAudes te ingressum in hortos fructuosos, vbi poma decumana, nana, præcocia, serotina, fugacia, immitia, matura videre poteris, & putrida, humi iacentia, cadiua, vermiculosa, calculosa, vt poma pessima fugias, carpas optima. Sed primum

libeat spectare pomum, quod cortice obductum, & medulla suaue nimis est. In cuius medio tanquam interfinio quodam volua est ossiculorum referta, quibus sparsis & emandatis terræ soboles crescit & proles pomorum. Ab aduersa pediculi parte vmbilicus est, quin in pomis prominet, ac conditur. Cape gladiolū, nuda pomum cortice suo in orbem secans, vel à summo in extremum vsque versans in alteram partem quoad nudatum sit omni cortice suo, & præsegmina istiusmodi proijciens, quod carnis est, & gustatu suaue, mande. Sed prius si fragrans, & odorarum, si odore caperis, olfacito, & aspectu suo, venustate coloris refice ac recrea tuos oculos, & obi, lustra partes omnes hortorum, mala orbiculata, mustea, melimela, malum aureum, Hesperium, medicum, cydonium, chrysomelum, contoneum, malum Punicum, malum Persicum, Armeniacum, pyrum, cerasum, prunum, nucem, amygdalum, castaneam, sorbum, mespilum, zizyphum, ficos præcoces, ficus maturas, serotinas, caryotas, vuas, & alia fructuū genera, quæ de industria prætereo.

Rosa.

ROsa nascitur in spinis, seu tubetis: quæ germinat primò inclusa granoso cortice, quo mox intumescente, & in virides alabastros fastigiato paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit, in calycis medio complexa luteos apices, folia fortice, id est, vngue terminantur, ad quæ sustentanda pro numero foliorum fulcra acuminata è globulo profecta subijciuntur, quæ omnia tanquam columna ab scapo longo, sed exili sustentantur. Odore suaui rosam fragrantem, & omni venustate præditam naribus admouet homo odoris percipiendi cupiditate captus: illa Veneri consecrata est, vel propter pulchritudinē, vel quòd vt rosa, sic Venerea voluptas citò præterit, cuius lanuginem in globulo insitam & inhærentem animaduertere non desinas.

Lilium.

LIlium præstantia sua proximè ad rosam accedens, sed altitudine magis excellens, rectum & excelsum scapi longitudine, in sublime tendit collo languido semper, & oneri capitis minimè sufficienti. Quod candore eximio, foliis foris striatis, & ab angustijs in latitudinem paulatim sese laxantibus, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo, & semne, stan-

ne, stantibus in medio crocis excellit. Ita odore coloreque duplici præditum est, alio calycis, alio staminis. Nihil lilio fœcundius, vna radice quinquagenos sæpe emittente bulbos. Atque illa multiplici sunt colore, candido, rubenti, purpureo.

Viola.

VIola paruula cæruleo colore prædita est, cuius planta hederæ non dissimilis, inflexa ac retorta videtur, quæ sic repit, vt sese nequeat attollere, nisi quod nigrius, & tenuius est folium. A media radice cauliculus prosilit, florem ferens istiusmodi colore præstantem, lanugine perfusus, & asperitate hirsuta horrescens.

VESTES.

VEstiarium inuisens, variam ac multiplicem vestem ordine miro compositam constructamque vidi, syntheſim sanè quadam vestium serie mirifica constructam, stolam, vestem Attalicam, acu pictam, & mæandro politissimo & opere labyrinthorum simili, multoque clauiorum illigatorum ductu, Amethystinam, bombycinam, coccineam, gossipiam, pexam, varijs scilicet villis hirsutam, vndantem, pellitam, pictam, id est, Phrygiam, animalium formis, & flosculis distinctam, auro intertextam, quadruplici filo elaboratam, opus pulchrum & primum Phrygum inuentum, purpuream, id est, conchyliatam, sericam, holosericam, segmentatam, segmentis purpuræ, alteriusve materiæ insertis, vermiculato opere compositis, aureisque virgis perfectam. Vidi scutulatam, texturæ plagis distinctam, orbibus & circulis quasi scutulis ad araneorum similitudinem accedentibus ornatam. Vidi Damascenam, vndarum quasi discurrentium specie multiplici pictam, polimitam, versicolorem. Adde interpolim, laciniatã, laneam, linteam, pullam, viatoriam, domesticam, ad quoscunque aptissimam vsus, & necessariam pro temporum vicissitudine, vt nemo sit tam locuples & elegans, nemo tam mediocri fortuna præditus, qui vestitum non ex vestiario capere posset ad se induendum. Id autem in illo mirabile fuit, tantam multitudinem diuersitatemq; vestiu fuisse, vt si hyẽs esset, quod tẽpus frigidũ est, & aquis & nubibus, & pruinis infestissimu, ab omni [illegible] id

est, tunicam suffultam & duplicem, scilicet diploidem, ad corpus à frigoribus defendendum, & iniurijs hyemalibus tuendum fouendumque homo posset auferte: quod vt magis commodo corporis faciant, amiculo, si voluerit, operiet sese in humeros iniecto, vt illas foueat corporis partes, & ab aeris flatu elato collari saluas & incolumes aures seruare possit: sic æquè nautæ, quàm aurigæ suis bardocucullis, è panno crassiore, longissimis vtuntur. Si vis lænam, sagum villosum, non deerit. Quoniam verò acturus es multa, ac breuiter, si vis & celeriter agere, colobium, tunica manicis carens aderit, extra quàm brachijs extantibus, impediri nequaquam possis, sed porrigens, contrahens, iactans in omnes partes brachia, facilis sis & expeditus ad omnia. Quin & vestitus collegis nostri temporis non deerit, neque militibus sacrarum familiarum. Collegæ hisce temporibus quantam habent amplitudinem induti colobijs ad talos vsque delabentibus & sinuosis, & vndantibus, collum præmunientibus ab vtroque humero, focalibus mirificè cadentibus in terga, valdè speciosa terminatis venustate spirarum. Non Pontifices ipsi, non Canonici polibia gerunt extractis brachijs? & Præfecti Ecclesiarum epomide collum exornant, quo solutiores liberioresque corporis functiones suscipiant, & habeant grauitatem & amplitudinem maximam? Milites etiam sacratum familiarum post interiores vestes non primam omnium prolibium gestant illis proximam, habitum cum cucullo capita tegente, atque cingulo coriaceo, vel funiculo intorto retortoque constrictam, vltimam omnium epitogium, vestibus additum superioribus, & ita longum, vt colobij extremas oras attingat. Quin & colobio breuiore adolescentes nostri temporis vtuntur, vt milites colobio scorteo: sed paterfamilias qui totam vult familiam habere vestitam magis vtiliter, quàm delicatè, munitam à vento pluuiaque, prouideat ei de pellibus manicatis, centonibus confectis, sagis & cucullis: omnia vestiarium suppeditabit. Atrati etiam ob Patris mortem, aut sanguine coniunctorum procedere volentes, villosa polibia & talaria gestabunt, capitis cucullo ex humeris deiecto. Iam verò video pueros solutos ac liberos onere, agiles & expeditos ministrare Gallicis pallis indutos, specie ornatuque maximo, tanta elegantia venustateque mirifica, vt nihil supra. Recinia verò qualia depromi possunt, quadrata ex omni parte, in dorsum gestantibus reijci solita? sed necesse habes iter facere: lacerna vel penula opus est,

est, penulam scorteam vestiarium habet: nullum genus vestium desiderari potest, quod non depromas ex hoc vestiario. Sed iam te in lecto iacere aspicio, albere cœlum, velle surgere de lecto, inclamare famulos, vt indusium afferant, subuculam scilicet, & recentem, & quia hyems est, fumigantem ex ignis recenti calore, quem ad flammas admota calefactaque exhalabat, exuere, quam habebas indutam, induere recentem, deinde thoracem sericum, femoralia, tibialiaque serica, calceos concisos, aut fenestratos, aut vrbanas ocreas, cum crepidis duarum solearum, & intruso suberno cortice contra vim magnitudinemque frigoris, & aquarum hyemalium. Surge, indue te tibialia, suis fascijs crurulibus astringe, specie pulchritudineque ementita rosarum. Deinde indue tunicam manicatam, atque globulos in ocellos inserens, vt stricta aptaque corpori conueniat, eleganter induentium more, rituque politissimo. Collare niue candidius, & inflexionum iam duplici ordine inferiore superioreque sinuosarum, ad speculum ante oculos positum intuere, vt iam abluta facie, omni ex parte mirificè congruat, & æqualiter conueniat. Quanto cum fastidio & mora temporis facta, famulorum molestia, bonorum offensione grauissima, quasi mulier venustates, & lepores, & ornatum consectans componis? sed iam præcingis te serico cingulo, & astrictus à lateribus ligulis sericis, vltimam & à fronte cum cingulo congruentem omni venustate astringis, laqueum solubilem inferens. Restat gladius & sica, quibus accinctus, breue pallium, & galerum, duo vltima corporis & capitis ornamenta adhibens, domo exis, vicos, & plateas, locaque celebriora vrbis lustraturus. Sed si iter facias, mutes vestitū ex vestiario præsenti: Gallicam pallam, penulam, scorteam & si opus fuerit, galerum, & baltheum de collo pendentem, ad brachiorum leuamentum vel ornatum corporis, ocreas itinerarias cum calcaribus, penulam viatoriam, id est, manticam ex glunibus vel armis equorum propendentem, ad viaticum vel res necessarias defe rendas, ex vestiario accipias. Atque vestes omnes non rugosæ sint, non obsoletæ, non tritæ, non contemptæ, sed recentes, aut à recentibus parum distantes, & aptè quidem omnes, valdeque corporis partibus cunctis conuenientes, etiam ad amiculum vsque ferale, quo cadauera inuoluuntur, & inferuntur in sepulturam. Sic apparatum & instructum est omni veste vestiarium præsens. Sed quam vestem non habebit ille, cuius officium locare vestes, ex quarum lo-

catione quæstus maximos facit, pecuniâ conductarum vestium in dies grandi, magis magisque locupletatus?

Vestitus muliebris.

INduimus hominem, induant ancillæ dominas suas surgentes è lecto. Atque præter subuculam, primùm ministrent supparum demissum, quo honestius induantur. Atque omissis strophiolis, quæ minimè iam ætas fert, mammillare cohibens tumorem papillarem, & in dorsum decidens à tergo, & in pectus à fronte suppeditent, deinde tunicula à pectoribus demissam, & vncinulis ac orbiculis constrictam, vel globulis fericis à lateribus astrictam, vel caudam à fronte & à lateribus. Hanc tunica muliebris interior sequatur, qua vestitæ mulieres, primùm de lecto descendunt, & in pauimento strato pedes ponunt, sed tibialibus, & calceis indutæ, vt in sandalia pedes inferant domestica: altioribus enim foras exeuntes vtuntur huiusmodi mulieres. Inde in cubicula se recipiunt, & considentes, ante oculos & ora statuentes arculas, alabastros vnguentorum, phialas aquarum, vascula candoris ac ruboris proferunt, abluunt aquis vsitatis, mira accuratione comparatis, pigmentis vsitatis illiniunt, & colorant faciem, & pectentes capillos componunt, calamistro discernentes, dirigentesque à sincipite primò vsque ad occipitium, in dextram sinistramque diuidunt æqualiter, vt pexos & comptos, vittis coerceant & implicent, intorqueant, & retorqueant, & fuluos ac nitidos per maculas reticulorum, quibus ornatur caput, proferant in publicum inflexione multa & specie ementita rosarum. Adde diademata, quæ fronti præponunt, quasi imagines quædam essent & simulachra cultui veneratioque dicata. Nihil postea reliquum, nisi vt cyclades pretiosas aureo limbo, multis institis in circuitu subaflutis clarissimè decoratas induant, cum syrmate longissimo, quod puer sublatum à terrâ manu sustentat, nisi cùm depositum è manibus, aut statutum humi relinquit, spatium terræ non exiguum occupans, & terram longo ductu tractuque vertens. Super cycladem, pallam promissam induunt in hunc modum, vt corpus tegere mos est matronarum, vt aperta in latera reijciatur, vt institæ, quibus ornata est media cyclas, cum fimbriæ totius circuitu extremas oras ambientis egregiè congruentes ornatum splendoremque proijciant foras, ostententque clarissimè. Denique velo perlucenti prodeunt

deunt in publicum fuco cerussaque illitæ, pigmentis omnibus faciem ementitæ, quasi personatæ, quibus simul atque falsus ille color, & fucus toto corpore perfusus eluitur, deformitatem, fœditatem q; suam ostendunt illæ. Flabello sibi ventum faciũt, muscum & odoris suauitatem spirantes. Qui honestus sit, ab illis oculos & vultum confestim auertat, ne Veneris imagines prauas, turpes animi cogitationes inijcientes, & carnis ardores excitantes, æstusque impurissimos, videre compellatur. Quæ cùm domi se continent, amictorio contentæ, humeros & pectorale amiciente, vel in cyclade ad elegantiam maiorem sublato syrmate & acu ad tergum affixo, aut cycladem exuentes, tunicatæ manent, vel palla solùm amictæ.

Galerus.

EMe apicem, id est, galerum acuminatum, vel galerum cum suâ cupâ altiore, & amplâ, pro capitis magnitudine, aut breuitate cum alijs in circuitu, spiris decoratum, aut funiculis contortis, vel conuolutis, qui offendice terminantur, & offendicem rosa, vel laqueus aliquis arte politissimâ insertus, & implicitus decorat.

Galerus Presbyterorum.

GAlerus Presbyterorum ætatis nostræ grauissimorum ampliore cupa, quàm altiore videtur esse, & alis in circuitu, longioribus funiculis exspira superiore descendentibus, cum offendice, vt galerus retineatur astrictus, aut spico iniecto, qui in mentum vsque huiusce rei gratia adducitur & tollitur.

Thorax coriaceus.

THorax coriaceus ex aluta pulcherrimè concinnata factus ad cinctum vsque peruenit, fascijs decoratus fulgentibus, & accuratione summa concinnatus, patagio multo collucens, quod in sericorum globulorum morem in ocellos inseritur ad thoracem astringendum, & ad corpus coarctandum conformandumque venustissimè. At inferiores globuli, vt thorax sericus appareat, & proferatur, non inseruntur. Collare autem cum collo sic conuenire debet, vt conuenire magis non possit: neque arctius esse debet, ne hominem opprimat, aut suffocet; neque laxius, ne quidquam deformitatis habeat, & præter politissimorum elegantiam, & morem vsitatum. Hinc facile paucis mutatis linei aut serici thoracis descriptio petetur.

Nimius cultus muliebris improbatur.

HAs etiam mulieres in comendo capillo, componendoque capite nolim illarum similes esse, quæ dum moliuntur, dum comuntur, annus est, sed simplicem & decorum ornatum curare: discriminent, & pectant capillos vsitato pectine. Sed quid discerniculis ibi opus est ad discernendos diuidendosque capillos, vt ex omni parte in dextram sinistramque reijciantur æqualiter, cum manibus id facere possint? neque quidquam referat, aliquot, paucos scilicet, magis in hanc, quàm in illam cadere partem? Quod si nemini probatur honestissimo viro, cur calamistris mulieres vtentur? cur frons calamistri notata vestigijs patebit? cur comæ intorquebuntur? cur curabuntur, flauique reddentur lixiuio? cur capilli crispantium præbebunt speciem vndarum labore, artificioque muliebri? cur mulieres flabello sibi ventum facient? cur adhibebitur tantus margaritarum ornatus? cur inaures pretiosissimæ, cùm satis sint cylindri cõmunes aurium lobis inferti, & tanta molestia gerantur appendentes? cur monilia & baccata? cur murænulæ aureæ? cur torques splendentes? cur lineæ margaritarum addentur, & collum & pectoris partem candentem ornantes? neque hæc satis erunt, nisi bracteæ vestibus addantur crepitantes & crepitu aurium sensum in se conuertentes & oculorum aspectum. Nihil iam moror annulos puros, non gemmis ornatos in pallâ collucentibus. Proferat dactylothecas, annulorum condendorum, & aliarum rerum pretiosissimarum thecas asseruandarum causa factas. Calliblepharo supercilia denigrentur, lixiuio aliquando rutilentur capilli, fuco cerussaque pingantur malæ, & alijs ruboris & candoris medicamentis illite proferantur in publicum: nunquam has probabo mulieres honestatis & pudicitiæ exempla præclarissima, cùm vix speculis castæ honestæq; vtantur. Illud illis dabo, quod adimit nemo, vt mundiciem amantes, spurcitiam, & sordes execrantes, smegmate ad maculas eluendas vtantur, cimoliâ terrâ, cretâ scilicet, ad extergendas vestes.

Cannabis.

MIrum, ex quantulo cannabini seminis granulo, quàm altè fundatur, & tollantur in sublime virgæ, quæ virides, dum teneræ sunt, postea siccatæ sole, & flauescentes spicam seminis sui

sui sublimem sustinent, multitudine granorum refertissimam, & suis loculis contentam : ad quam alendam si cœli aquæ deficiunt, deductis ac deriuatis aquis per aquæductus agrorum cultores cannabim irrigare solent. Surgit & crescit in tantam altitudinem, vt hominis semper minimùm staturam, & frumenti cuiuscunque culmen superet. Sole ac vento & fumo siccatur, vellitur suo tempore, & cortice nudatum semen purgatur. Cibus est passerum, ad quos, dum euulsum est, abigendos & rusticorum clamoribus, & terriculamentis opus est. Tosti publicè veneunt, & cum ciceribus permixti, confusique gustatu iucundissimi sunt, sed multò iucundiores melle conditi: Vnde crustula venalia, quæ cupediæ sunt puerorum & hominum cupidissimorum melleæ suauitatis concinnatarum. Sed euulsa cannabis & siccata, postquam, quoad necesse fuit, induruisse visa est, durata, passaque curationem legitimam, tunditur stupario malleo, denique ferreis hamis pectitur, donec omnis membrana cortice suo nudetur purgeturque. Denique netur ad baiulorum vestes, & indusia, & sarcinas mercium tegendarum.

Linum.

Linum sabulosis maximè locis satum, vnoque sulco & ineunte vere, æstate vellitur, cùm iam maturum sit, cuius maturitas agnoscitur intumescente, coloreque flauescente. Id temporis euellere in fasciculos manibus, & colligare properant satores linorum, deinde siccare in sole pendens, conuersis supernè radicibus vno die, tum quinque alijs in contrarium in se versis fascium cacuminibus, vt semen in medium cadat: postea post messem trium ceam virgas curæ est in aquam immergere solibus tepefactas, aliquo pondere depressas propter leuitatem maximam: deinde macerari necessarium est fasces illos, quoad membrana laxari visa est; siquidem tamen quoniam adhuc opus est, inuertuntur hoc tempore. Videas postea siccatas & arefactas omnino virgas in saxo tundi stupario malleo, corticem molliri, macerari ictu vno & altero mallei, stupam, quæ cortici proxima est, & quod deterius est lini, diuelli separarique seorsum, pecti ferreis hamis, decutique solertissimè, donec omnis membrana cortice spolietur. Medullæ numerosior distinctio, candore, mollitie: sed ars pectendi digerendique lini magnam

exigit accurationem. Cortices decussi clibanis & furnis magno vsui sunt. Sed lini quot & quanta genera, & alijs alia præstantiora? Linum ipsum xylon, quod Ægyptijs probatur, quod ignibus non absumitur, asbeston, sed sordibus exustis, magis igne splendescit, quàm aquis. Linum etiam est, quod carbasus appellatur. Linum denique magni pretij & æstimationis byssi nomine celebratum: sed illud, quod viuere visum est, & igne splendere reperitur, margaritarum pretium, & æstimationem adæquat. Byssus mulieribus in maximis delitijs habetur. Ex lino crudo retia, ex curato mappæ, lintea, pretiosæque vestes fiunt albentes, quibus & sacerdotes, & mulieres splendidæ vtebantur. Qui enim illius candor? quæ mollities? qui splendor? quantum denique pretium & æstimatio? tentatum est tingi linum, & vestium insaniam accipere. In Alexandri primùm classibus, Indum amnem nauigantis, cum Duces eius ac Præfecti incertamine quodam variassent insignia nauium, stupuerunt litora flatu versicoloria implente vela: purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit. Hoc fuit Imperatoriæ nauis insigne: postea in theatris tantùm vmbram fecere. Quod primus omnium inuenit Q. Catulus, cùm Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in theatrum induxisse dicitur Lentulus Spinther ludis Apollinaribus. Deinde Cæsar totum forum Romanum intexit, viamque sacram à domo suâ ad cliuum vsque Capitolinum, quod munere gladiatorio mirabilius visum fuisse veterum monimenta testantur. Denique sine ludis, Marcellus Octauia sorore Augusti natus, in ædilitate sua velis forum inumbrauit, vt salubrius litigantes consisterent: cum longè aliter Cato Censorinus, qui sternendum quoque forum muricibus censuerat, ne litibus assuescerent Romani. Sed & prælijs, vt nauigijs linum profuit: nam thoracibus lineis bello Troiano milites aliquot pugnasse testatur Homerus. Apud quem eruditiores interpretes ex lino armamenta nauium fuisse non sine causa confirmant.

De sparto.

SPartum herba est sponte nascens, & quæ non queat seri, iuncusque propriè aridi soli, vitio terræ natus. Malo enim ipsius terræ, neque seri quidquam aliud, neque nasci potest in eo loco. Multa autem sunt terræ spatia, quibus spartum paritur: & montes herba istiusmodi operiuntur, & plana camporum æquora.

Quod

Quod viride tenues nimirum virgas fert, & acuminatas ad speciem ac similitudinem, densum admodum & spissum est. Ad quod euellendum, ne pungaris & stimuleris acriter, ocreatis cruribus opus est, manicisque ad tegendas manus. Conuolutum enim est osseis, ligneisque conamentis. Euulsum maturo tempore, & in fasces colligatum, tertio die spargitur in sole, siccaturque, & rursus in fasces redactum, reducitur in tecta, postea maceratur aquâ, siccatumque sole iterum rigatur, & ad funes aliaue opera tunditur pulsu, percussioneque vehementi. Hinc strata rusticorum, hinc calceamina, hinc storeæ, hinc sportulæ, hinc fiscí, hinc fiscellæ, & reliqua istiusmodi ad vsus rerum diuersarum necessarios.

Calamus aquaticus.

CAlami aquatici vsus homini præbent, quos videbis. Inter alias res, quæ aquis plurimum gaudent, aquatici sunt calami, belli pacisque instrumenta notissima. Eorum fungosa est medulla, cartilagine bibula, quæ cauo vapore intus, tenui inarescit ligno, fissilis, præacuta semper acie, geniculata. Verùm gracilitas articulis, id est, nodis suis distincta, non leui solùm fastidio extenuatur in cacumine, sed exornatur crassiore paniculâ. Comâ alij breuiores, alij proceriores, exiliores, crassioresque calami. Primi, medij, & vltimi cortices suis tunicis vestiuntur, & ex internodijs pendent folia, quæ flatu lenissimo ventilata, murmure iucundissimo percrepant. Horum vestitu calamorum ripæ virent, & amœnissimè frondent, neque lætiùs quidquam, quàm hominem propter ripas considentem, vestitus istorum intueri calamorum viridissimos iucundissimosque. Calami tunicis suis nudati vtilitates habent, & opportunitates maximas ad stata cauponarum replenda, ad arundineas crates construendas, ad tegenda villarum culmina. Atque vbi limosiore callo indurue int, contusa & interiecta illa materies nauium commissuras ferrum nat textus glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice. Hinc ad ludos Troianos calami, quin & hastarum vicem præbent additis cuspidibus ad agitandos tauros: vt omittam calamos, præter viriditatis amœnitatem, hanc vtilitatem afferre, vt inumbrent ripas fluuiorum, ad capiendas vmbras, ad solis æstus, & caloris ardores fugiendos.

Picto-

Pictores.

MEritò plures affert delectationes pictura hominibus, quâ de modò. Pictores bonitatem, & varietatem colorum notatam habere oportet, & valde cognitam, vt comparent necessarios colores ad picturam, quam perficiendam in manus sumpserint. At quot & quam multi colores numerantur? albus, candidus, qui splendore differunt, marmoreus, alabastri similis, eburneus, aqueus, vitreus, niueus, lacteus, flauus, scutulatus, melleus, pallidus, luteus, aureus, byssinus, croceus, fuluus, pullus, ruber, flammeus, rubicundus, coccineus, roseus, miniatus, ianthinus, cæruleus, venetus, cinereus, liuidus, luridus, viridis, ater, piceus, fuscus. Ex his multi colores sunt pictoribus vsitati, necessariiq; pro diuersitate picturæ, quam elaborandam absoluendamque sumpserint. Atque video tabulas multas, quarum picturæ propter pulchritudinem & absolutionem ad multam hominum memoriam permanserunt, ad quas pingendas coloribus viuis, & penicillo proprio, pictores habent vasa refertissima colorum, & ex ordine collocata suis in alueolis, vt intingere penicillum facilè possint, tum exemplar ante oculos propositum, quod in pingendo sequantur, & quod imitandum, & exprimendum curent: sed in hoc artificioso pingendi opere primùm pictores lineamentis quibusdam leuiter ductis picturam adumbrare solent, deinde colorare, tum illustrare, denique percurrendo singulas partes perpolire & absoluere, ne quid non opere magnifico pictum, nitidum, & illustre, absolutum, perfectumque maneat. Ita quidem videre est pictores imaginem quandam pingendam adumbrare, rudi quodam & impolito modo, deinde colores puulatim diffundere, pigmentorum, (quæ sibi sunt) florem & colorem adhibere, vt speciem iam claram & nitentem inducere videantur, picturam ex vmbraculis, & rudibus lineamentis ad imaginis exemplar reducentes, vt faciant nitere & micare suis luminibus illustratam, ne inter illam & exemplar quicquam interesse putetur. Cùm verò manum vltimam imposuerint poliendo perficiendoque, accessione nonnullorum, & aliorum detractione, quæ non tam conuenire videbantur, nihil illustrius, nihil nitidius picturâ, quæ in claro lumine posita, pulchritudine venustateque suâ, nitore & splendore, tantâ absolutæ imaginis perfectione, oculos teneret, pasceret mentem, ac mirificè recrearet. Et quidem in hac

in hac picturà, non horrida, inculta, abdita, & opaca, sed nitida, læta, collustrata cernebantur omnia, quorum spectatores appetentes, cùm hoc nitore picturam illustratam aspicerent, respiciendo satiari non poterant. Et quanquam sæpe res aliquas, eâ facie, quâ pictores, fictoresque voluerunt, nouimus; cum alij adessent pictores, ea in vmbris & eminentia videntes, quæ nos videmus, magis admirabantur imaginis absolutæ perfectionem, quâ neque pulchriorem, neque illustriorem, neque perfectiorem se vidisse confirmabant, atque pictorem sic laudabant, vt Zeuxi, Timanthi, Apelli, cæterisque pictoribus præposuerint. Scitis autem qui hi fuerint, quam insignes pingendi artifices. Apelles pictor in suo genere perfectus, qui cùm caput & summa pectoris finxisset Veneris Coæ, reliqua rudia, & impolita reliquisset, eam partem, quam Apelles inchoatam reliquit, qui absolueret, inuentus est nemo: Quem tanti habuit Alexander, vt nisi ab Apelle pingi se prohibuerit. Zeuxim Crotoniæ, quoniam longè cæteris pictoribus excellere existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt, qui multas tabulas pinxit, quarum nonnullæ ad multorum sæculorum memoriam permanserunt propter excellentem picturæ pulchritudinem. Sed hos & alios relinquamus, quos meminisse, non laudare volumus.

Textoria.

TExtor sedens telam ordiri vult, atque tibicinibus telam sustinentibus, radio procurrere incipit, insilia vicissim attollens deprimensque, vt alternis tela contrahatur, & aperiatur ictibus, quod necesse est ad texendi operas præstandas. Deinde pectine appellatur, densetur, paulatimque vt texitur, obuoluatur in liciatorio, siue iugo. Audire est scapum id temporis inter texendam telam sono percrepare crebro frequentique. Videre etiam est, harpedone, rotâ glomeratoriâ, fila rotando glomerari.

Sutor.

SVtores ad calceos conficiendos ex alutâ primùm scalprum, id est, cultrum sutorium adhibent, quo corium concidunt, alutam componunt, & in membra sua diuidunt, atque secant: alutam autem calceorum conficiendorum intra normam

mam seu modulum contentam consuere festinant, subulâ calceorum istiusmodi alutam, & obstragula, linguas siue auriculas, & soleas perforantes, & cheleuma, id est, filum cannabium, setis præpilatum inserentes iterum ac sæpius, quoad finem statuant operi, quod habent in manibus, ibi relicto alutæ multo præsegmine. Mitto glutinum, & aquam, quâ vtuntur, & buxum, ad macerandam pertundendamque alutam: scabellum, in quo rudi pelle amicti pectora ad genua vsque decidenti considentad corium molliendum, partes aliquas, atque adeò sæpe soleas dentibus mordentes comprimentesque, vt calceos optimos & ad pedes habiles, siue conclusos, siue fenestratos, siue concisos, siue cæsim apertos confecturi sint. Quos qui induere voluerint, pro animi voluntate ligulis coriaceis aut sericis exornant.

Pistores.

PIstores sunt, qui subactâ farinâ panem conficiunt, confectum panem in furnum portandum curant, & palâ, siue infurnibulo immittunt, & ignem rutabulo proruunt panis coquendi causa. Quem auersum, conuersumque, vbi senserint esse coctum, extrahunt, & manu quatientes explorant coctus sit, an non. Quanquam ex crusti aspectu, nullo etiam tactu id conicere satis poterunt.

Mensæ.

QVoniam tempus est prandendi, videre est mensam fulcris sustentatam suis, & in medio palatio mappis stratam ex omni parte, mantilibus panem operientibus, vasculis in bases impositis, cum salino, theca cultellaria. Hanc vndique circundant sellæ plicatiles, vel sedilia, in quibus ex ordine pransuri considerent. Propter mantilia, quod caput est prandij, mensæ primæ collocatæ, quas secundæ, denique postremæ consequutæ fuerunt.

Abacus.

ABacus in eodem palatio stratus erat mappis niue candidioribus, & in illo vasa ex ordine collocata, ad aquam & ad vinum

vinum miniſtrandum, & ad alia, quæ opus eſſent, & occurrere ſolent in prandijs, efflagitatu diſcumbentium. Nam ferculà ex coquinâ ſuis in patinis inferuntur in menſam. Erat autem in abaco polubrum ad aquam manus abluentium excipiendam, totum ex auro factum, & vrceus polubro proximus totus ſimiliter aureus ad aquam infundendam per epiſtomium. Pateræ deinde erant, cratheres, cyathi, atque alij calices diuerſa longeque diſſimili formâ. Ex his Chryſendeta ſpectabantur aliquot vaſo ex auro illigata, quæ cruſtas habebant, atque torques ex auro nexiles. Erant etiam gemmata aliquot vaſa, conſertas gemmas habentia, & aurea pocula, illigatis & incluſis emblematis collucentia mirandum in modum, catini, lances, patinæ, paropſides, ſcutellæ, ſcutulæ, & ſingulæ cum elaborata crepidine. Hæc inter paſſa, tanto q́ue ſplendore collucentia, cymbium quoddam nitebat, procerum poculum, & concauum, ad cymbæ ſimilitudinem, carcheſium mediâ parte compreſſum, anſis à ſummo ad infimum pertinentibus ornatum. Magnum & illuſtrem ſplendorem addebant excipuli, qui liquoribus excipiendis ſubiiciuntur. Quæ cetaria, eſcaria, potoriaq́ue vaſa, quæ ad apparatum magnificentiamq́ue prandiorum, cœnarum & conuiuiorum deſiderari poſſe videantur? Ab altero latere abacus erat vitreis, & fictilibus vaſis ornatus, vbi bombilij calices erant anguſti oris, inter bibendum bombum ſonumq́ue edentes, phialæ anguſto ore, oblongo collo, mediæ tumentes, paulatim & ad infimum in anguſtum contrahentes ſeſe, aliæ infimæ quoque turgentes ac tumidæ fideliæ, pocula, vaſa plurima diſſimilitudine multa, varieq́ue diſcrepante. In hunc modum vaſa fictilia numerari non poſſent, quorum labra, oriſcium, collum, ſcapum, à quo baſis pendet, in orbem explicara plerunque, vt ſuſtententur & ſtent, nec euertantur, cum ſtare non poſſent ſine baſi, intuere: nihil ad ſuam formam exlendam non adeſſe videbis. Sed deiice oculos in pauimentum, videbis in illo ſtatutas hydrias, ſitulas, modiolos, hos plenos aqua ad lagenas immittendas, vt frigefiant aqua, refrigerentur vena, vel algeſcant potiùs, quæ frigida bibi volunt æſtiuo tempore. Vt autem vina ſint in promptu, cados, & orcas, œnophora, hic videas, quibus fiat ſatis poculis omnibus, quæ vino complenda ſunt, non ad vſum duntaxat conuiuij, ſed ad ſpeciem præbendam, & ornatum abaci. A latere enim gutturnium eſt, id eſt, aqualis anguſto ore, vnde quaſi guttatim aquæ latex manibus affunditur. Huius non diſſimile eſt illud, cuius

ius epistomio versato patefiunt & obturantur fistulæ, vel siphunculi, & aquam copiosè satis & abundanter emittunt: sed iam de coquinâ.

Coquinaria.

AD coquinæ vsum vsa necessaria quæres? verte quæso teipsum in omnes coquinæ partes, & coquinaria vasa cernes, ahenum, lebetem, cacabum ad pumentaria coquenda, gabatas, ollas, & has paruas, mediocres, magnas, & fusili stanno incrustatas ad obliterandum saporem æris cernes, tripodes olim ad aquam eluendis pedibus calefaciendam factos, chrytrapum ad ollam sustentandâ, sartagines ad torrendas frigendasve carnes, creacentrum ad configenda frustra carnium ac prehendenda coquis & laniis vsitatum, creagras, id est, fuscinulas extrahendis carnibus ex aheno ferventi accommodatas, spatham, rudiculam, ligulam, quibus spumam coqui deducunt, & quæ coquuntur super ignem agitant, cochlearia, quibus liquidum sorbent & gustant coqui. Denique carnariam furculam, vnde carnium pulpæ, & succidiæ suspenduntur. Quia verò necessarium est radi, disteriqúe multa, & friari, tyrocnesti, quod instrumentum est asperum, & foraminibus plenum, quasi in scobem disterimus & friamus. Ad assandum crates ferreæ sunt, verua, verucula, createuterium, in quo veru vertitur. Quoniam verua, ahena, & lebetes suspendi debent, climacter in gradus scansilis huic vsui potissimum seruit. Batillus proximus est camino cum forcipibus, ille, vt cineres & prunas versemus, admoueamus, transferamus & admoueamus: hæ, vt prunas & candens ferrum prehendamus. Quid cùm ignis accendendus est? fomitem, & sulphuratum ad ignem è fomite excipiendum coquus comparatum habet, quem admodum ad flammam vento excitandam, folles. Lignum post ignem conceptum, in torrem candentem conuertitur, inde prunæ, facilè in sublimè volantes, titiones, carbo, cineres. Sed ad comparandos cibos, quæ & quot alia habet instrumenta coquus? An pila deesse potest, in qua pistillo, aromata, herbæ, & semina contundantur? Hæc & alia prospicies in culinâ ad vsus & vtilitates quotidianas.

Prandia.

HIs tot rebus abundantem hominem, iam intuere prandentem, sed mensa cum abaco sternatur prius, cum prandia

dia sint, vel stataria, vel passerina: cœnæ, vel aditiales sacerdotis, vel ambulantes, vel cynicæ, vel aduentitiæ, viaticæ, collatitiæ, genialis aliqua, id est, opipara splendidaque cœna describatur, vel lautum & apparatum conuiuium. Neque hic volumus charistia, neque repotia, sed quale conuiuium celebrari solet, cùm locuples & copiosus homo alium sui generis ac fortunæ inuitat: quod si saliarem in modum celebratur varijs apparatum & extructum est epulis. Caput autem conuiuij pro temporis breuitate varium ac multiplex est, melopepones, vuæ, prodromi ficus, crustula lactis, orbiculi lactei, in panem recentem tostum ve interiecti, & saccharo perfusi, amygdalæ nudatæ folliculis, cum vuis passis permixtæ, butyrum Flandricum, & horum similia, quæ tempus anni fert, primæ habeantur mensæ, & præponi solent. Missus deinde plures & diuersi, variè concinnati condit que: aues assæ plurimæ, perdices, pulli, intrituræ variæ, intritaque suauissima, capones inferti, porcelli Troiani auibus referti differentibus, pærnæ arietinæ assæ, consciss æ illarum & diuersi generis carnes. Præ omnibus splendebant pauones tam opimi splendentesque, & ad mandendum affecti: artocreata ex carne partim conscissa, partim columbinis pullis, partim alijs auibus inferta, incrustata, dissimili formâ prædita, & in Hispania, & Anglia, & Flandria, carnium multarum, & auium integrarum diuersitate inferta. Quid dicam de edulijs alijs, & alijs omnibus tantâ conditionum varietate concinnatis, quæ ouorum luteis totâ summitate, quasi stellis distincta, & in medio maximè illustria nitebant, & splendebant mirificè? Pernæ petasonis in vino elixæ quantam suauitatem odoris exhalabant? nihil ad conuiuij apparatum & magnificentiam, nihil ventres faliſci, nihil caro aprugna, nihil ceruina, nihil vitulina, nihil cuniculi splendoris habebant ad cibos nominatos, & ad alios, qui tacentur, propter multitudinem diuersitatemque comparati. Prætermitto intrituras: peruentum est ad ollam refertissimam gallinarum, vitulinæ, arietinæque carnis, petasonis pinguis, & macri, & intermixti. Quis scutulas sinapis, aut petrosilinati salsas, iuscula, salsamenta commemoret ad auiditatem excitandam in ferculorum multitudinem diuersitatemque tantam? Illata suo tempore quæ sequuntur: videres leucophagum, similaginem, amylum, orizam, vermiculos. Cùm verò ad vltimas mensas peruentum esset, nec quidquam aliud desiderari, nec afferri posset præter fructus & placentas, & tragemata,

quorũ copia redundarunt mensæ. Ecce ante istiusmodi missus vltimos, mare misceri terrę crederes, appositа fuerũt ordine suo innumerabilia piscium genera, imprimis lupus cum aceto, & capparibus, soleæ frixæ lucij recentes, tinni assi, mænæ recenter frixæ: crustulata denique, in quibus inerant barbati, murenæ, & trutæ multis conditæ aromatibus, gobij frixi, cammari, & cancri elixi: admixtæ scutellæ fuerunt cum piperato, crocato, quemadmodum ad aues superiores assas, ad pullos, perdices, cuniculos, anaticulas: intinctus, seu embammata, acetum, omphacium, axiphora, & ad singules ferculorum missus, mala medica, limonia satis opportunè importata fuerunt. Quid dicam de mensis vltimis? quidquid aridorum fructuum forum fructuarium, quidquid dulcedinis forum dulciarium venale habebat, in mensas vltimas importatum: cupediæ, pyra, caseus, oleæ Hispalenses, striblitæ, artolagana, testuacia, & sartaginea, quæcunque tragemata, caryotа denique ad stomachos, buccellatum, cydoniatum, coriandrum saccharo conditum. Ac ne quid deliciarum deesset, aquæ odoriferæ roseaceæ, flos mali medici, moschati ad manus abluendas non abfuerunt, hũic conuiuio lautissimo magnificentissimoque. Videres etiam quæ commemorata sunt fercula inferri admodum eleganter, & Aulicorum vsitato more, ritu, elegantiaque politissimâ, ritibus & cærimonijs omnibus, quibus Principes vtuntur. Aderant instructores structoresque multi, prompti, agilesque administri, alacres, & erecti, paratissimi, celeres & expediti, omnes tunicati, & capitibus apertis. Hi fercula inferre, alij expedire mensas, tollere, occurrere, deferre, quò iubebantur, ministrare inter epulas poscentibus pocula vini veterrimi suauissimique. Inter tantam autem multitudinem diuersitatemque epularum fercula hæc solùm spectari, oculis cerni duntaxat plurima, nec apponi in mensam, procul aspecta in culinam referri, non pauca integra intactaque relinqui, asseruari alia iussu discumbentium, alia deferri in conuiuarum ædes, vt quisque volebat & iubebat: hæc fratri, hæc filijs, illa vxori, alia cognatis, amicis alia dono mitti, donari non pauca administratoribus, pueris præsentibus & astantibus, pro diligentiâ, pro solertiâ, ad iubentis arbitrium, voluntatemque conuiuæ, laudari omnia bene structa, bene concinnata, præclarè condita, affecta satis admodum, adeò absoluta perfectaque, vt nihil suprà. Audires palatia vocibus personare conuiuarum, ministratorum strepitu percrepare, & horũ introitu, redituq; inferen-

ferentium fercula, aliorum exeuntium redeuntiumque in culinam petitum repetitumque toties triclinium, culinamq; frequentantium. Si quæras, qua ratione bibant, circumpotatione sublatâ, neque amystide bibebant, neque temetum, neque merum, neque ignobile, sed dilutum. Atque ita vinum fugiens, acescens, hornum, recens, asperum procul ab hoc conuiuio; sed molle, lene, veterrimum, suauissimum, & fragrans bibitur. Quod si quis honorarium vellet, si Apianum, si passum, si Falernum poscceret, ministrabatur statim, & quibuscunque poculis poscceret. Sed quid præstantiam, ac lenitatem vini prosequor, cùm murinam, ciceram, mulsum, si poscceret, non abesset, & vinum quocunque colore appeteret conuiua, siue album, siue atrum, siue rufum vellet, siue heluolum inter album, & rufum. Quin & amicissimus lactis qui fuisset in hoc conuiuio, haberet lac serosum, florem seu pinguia lactis, serum, colostrum, coagulum, orbes lacteos, caseum recentem & Flandricum, sine scobina, quem in quadras diuidens, suauiter & iucundè satis ederet.

Altera descriptio prandij, & rerum diuersarum in prandium incidentium.

INstruenda modo ornatius & adornanda mensa est suis rebus, & apparatu solito. Postquam recens è puteo hausta fuit aqua, & ad manus abluendas in gutturnium infusa, simul etiam & mantile pendet mundius ad illotas manus abstergendas: nam quod suspensum erat, inquinatius videbatur, & sordebat iam. Adde instare coquum, percocta iam esse, condita ac penitus apparata cibaria, escas absumi iam videri, ac periculum esse, ne prandium corrumpatur, cui proculdubio fides habenda est. Nam ille semper monendus est, ac vicies per diem increpandus est, sic lentus, & tardus esse solet. Cùm igitur ancilla abhinc horam vnam scopis euerrerit triclinium, & ab ancilla attrensi mappas acceperimus & tapetem, nil restat nisi vt operas dare incipiamus. Et primùm tapete mensa conuestiatur, deinde consternatur: in illo sunt loculamento stanneæ quadræ, & orbiculus, cui patinæ superponantur, ne mappæ polluantur. Inter prandendum cochlearia pedunculis inauratis, & cultri manubrijs argenteis ex locis efferantur suis. En duo salina sale contuso completa. Ex cella promptuaria panem deportatum habemus hic & primarium,

& candidum in caniſtro, nam ſecundario locus non eſt, nec fuit vnquam hac in menſa. Atque cellarius quantâ curâ & labore nos modò leuare viſus eſt, cineas, lagenas, œnophora portans multò ante prandium, & nihil timens, ne quid de vino, vel guſtando, vel pitiſſando hauriremus. Panem igitur quadræ cuilibet ſuum imponamus, & tegamus mappula. Et quidem adeſt Deus, en lotas mappulas, quoniam quæ in arculâ erant, maculis iam ſordebant: bene ſit ancillæ, quæ deportauit tam candidas, tam mundas, vt magis mundas optare non poſſemus. Vas refrigeratorium Guzmanule tu infer, in quod œnophora, & canthari deponantur: nam nunc æſtuant omnia canicula ſæuiente. Quin & cupream trullam ne obliuiſcaris, in qua cryſtallina pocula & argentea eluantur. Sed iam ornemus abacum vaſis, patenis, patellis, catinis, & lancibus, vt permutare ad ſingulos miſſus, & quoties opus fuerit, commodè poſſimus. Atque de pane cibario quadras deſecati oportet, cibis ſubſternendas, & afferri ſportulam, in quam reliquiæ ciborum & oſſicula de patinis à menſa ablatis proiiciamus. En duo pueri opportunè ad afferendas pateras, phialas, ſcyphos, cullos, cymbia, ciboria, chryſendeta, anaglypta, toreumata, cælata, non cælata pocula, quamuis omnibus opus non ſit, ſed ne dominus à poculis inops eſſe videatur: quamuis in gutturnium aquam infuderimus, tamen magnum illud malluuium argenteum marginibus ſeu labris inauratis, cùm ſuo vrceo, magno quidem erit vſui & ſplendori, vnde manibus lymphas demus, atque tonſis villis mantilia Aulicorum elegantia ſolita. Atque pocillatores nos duo, illi dapiferi erunt, alij auferent & expedient, qui ſolent, lances, catinos, ſcutellas, & patellas, rogabimuſque vt de ablatis aliquid aſſeruent non repugnante coquo: defeſſi enim his comparandis, & ornandis rebus non poſſumus non eſurire, & præ fame inteſtinis horrendum murmurantibus & rugientibus. Sed iam herus & conuiuæ, in aulam pranſuri veniunt, & veniant bonis auibus; quando licuit per tempus omnia comparare, vt nec ſellarum menſæ admouendarum officio defuerimus. Certent conuiuæ iam officijs inter ſe de ſedendo, de capiendis ſellis, de occupando, obtinendoque loco honoratiore altioreque. Audio ſacrari menſam, cunctis ſtantibus, & conſiſtentibus ante menſam. Sed qui religioſi non ſunt, breui conſecratione contenti, quemadmodum neque coniunctis manibus, neque oculis in effigiem ſublatis, neque ſtatis à Deo precationibus, vſi ſunt,

neque

neque tanta pietate, & attentione, sed cum festinatione, vt Deum solum precati fuerint, breuiter benedixisse dignaretur. Iam igitur missus ex ordine illati, fercula ministrata, allata & expedita omnia more solito. Atque hic neque pueros, neque ministros loqui volo, sed spectatorem, qui miratur conuiuas hos ita ex ordine accubuisse, vt in moribus, in verbis nullo modo offenderint. Nam neque vt rustici manus tenebant in gremio, neque alteram in sinum illatam, neque innitebantur mensæ vtroque cubito, neque supra mensam habebant, sed quod scitum est & elegans, admoti mensæ cubiti, innixi, cum opus, porrigebant manum in patinam. Vnum duntaxat inelegantem animaduerti, qui sedens parum honestè, ventis hinc inde videbatur impelli, modò in dextram, modò in sinistram partem propendens. Atque idem aliquos curuato leuiter, non recto corpore prandentes magis laudabat. Ita cultello ijdem conuiuæ vtebantur, vt manubrio caperent illum ad sectiones: panem ad dextram, quasi rem sacram, collocatum habebant, quem vbi in frusta oblonga & tenuiora conciderant, postea digitis, & præcipuè pollice & indice bolos, seu frustilla defringebant. Sed illud spectatori mirum fuit, de toto pane reciſum multò plus, quàm conuiuæ possent absumere, quòd decorum esset fragmenta relinquere. Vnus crustam panis superiorem inferioremque pulchrè resecabat, & medulla vescebatur, quod senex cortice vesci non posset, & excoriato indigeret pane. Alius verò cortice gaudebat relicta medulla, quod ad exsiccandos, & ad humores absumendos, & ad stomachum constituendum putaret valere plurimum. Quod posterius quam sit salutare sit aliquibus vrbani tamen & politici non probant, sed quod vsitatum est, vt & cum cortice, & medulla coniuncta frusta discerpentur, ne tantum panis delicatus hic vir & valetudini consulens dissiperet ac perdat. Neque tanta quis valetudine videtur, vt protinus stomacho eius frusta inhæreant: delicatiores alij & magis perdita valetudine sunt, qui cortice ac medulla vescantur: sed officia huiusmodi, & miro cum lepore qui doceri velit, veteres honestosque homines ineuntes conuiuia ex antiquis Annalibus accipiat. Ego iam de potu pauca subiiciam: quanquam aqua salutaris, pernicioſum vinum vulgò existimetur; sic equidem medici accipiunt, vt vinum nemini detur nisi modicum & dilutum. Et puberi quidem ætati vinum parcè permittitur, quod & ingenium acuat, & valetudinem sustentet:

ita tamen vt magis ad cibum concoquendum, quàm ad sitim depellendam valeat. Quòd si paulò largius bibendum sit, oportet & decet homines honestos aquæ potores esse. Quid si vinum meracum bibat aliquis? turpe quidem, & homine bono indignum. Quid enim aliud agat, nisi vt viscera adurat, ignem igni addat? Quid si non temperanter, & modestè, sed auidè nimis & intemperanter bibat, vt patente nimis rictu merum infundens oculi flagrent & sudent, vt vtrinque in pectus vinum ab ore defluat, spiritu penè intercepto? Quid si nondum manso ac trajecto in ventriculum cibo, nec prius ore labrisque abstersis, bibat aliquis, & postquam biberit, non labra consueuerit abstergere? Quid si inter bibendum aliquis intortis oculis aspectet alios, & sæpe occiput in tergum reiiciat, vt nec minimum vini, non guttula relinquatur in poculo? quippe qui nouerit exsiccare calices, nec primis labris attingens calicem bibere, sed totum os labiaque in calicem immergere, more brutorum in piscinam, aut in flumen ad bibendum actorum. Hæc quia turpia, omnibus & honestis viris maximè vitanda sunt, & illud præcipuè, ne vino se quisquam obruat, memor Ciceronis probro dantis Antonio, qui suis faucibus, suis laterib⁹, suâ gladiatoriâ totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauserit, vt in cœtu populi Romani, magister equitum publicum negotium gerens, gremium suum, totumque tribunal impleuerit. Sic equidem temperatos volumus homines, vt quantum vini, quoties in conuiuio, & quo tempore bibere debeat, ipse nouerit, vsque eò, vt post capita prandij, post offam, post esum lactis non bibat, sed semel aut iterum, idque medias inter carnes, & post omnia fercula. Quòd si administri rogauerint, responsum illicò velim illum in ore habere, ne angantur animi, se bibiturum & depulsurum sitim, cùm sitierit, quod si semel biberit, se bibiturum, cùm denuo siti vrgebitur. Sed redeo ad epulas, & quando & quomodo accipiendum è patina videamus. Et quidem si separatim cuique sua patina non apponatur, in quam dentur epulæ, vbi iam consederint omnes conuiuæ, & explicuerint mappulas, non est derepentè inuolandum irruendumque in paropsidem, quin etiam fame dominante appetitio coercenda quidem, vt nec subitò cibum tangamus, nec primi manus immittamus: si cum maioribus natu lectisque hominibus accumbamus, postremi omnium escas tangemus, & ad eas semel & iterum

iterum inuitati : etiam præstandum, vt quis in accumbendo, primos cubitos non eligat (quid dicam præoccupet?) etsi illi propter auctoritatem, & præstantiam inter cæteros debeantur. Hominum enim fuit semper iudicio valentium priores alijs partes concedere. Sic equidem auiditas & edacitas vituperata fuit: Sunt enim nonnulli, qui bolos nimis feruentes in os ingerentes, eos aut mox reddere, aut si propter turpitudinem, & dedecus non audent, non parum adustâ gulâ deuorare coguntur. Quanquam nec illi laudandi, qui diutius pleniore que spiritu afflant, quod haustum est cochleari, donec penitus frigidum efficiatur. Digiti etiam in iura, seu embammata intingendi non sunt, sed offa cochleari, aut, quod Itali faciunt, cultro & fuscinula, cultroue accipiendum aliquid de patinâ, iisdemque instrumentis reponendum est. Illud etiam vrbanitatis & elegantiæ, si quid optimum, & in suo genere singulare fuerit, vt relinquamus proximè accumbentibus, & honoratioribus, ac principibus conuiuij, inferiore parte contenti. Exempli causa, pectora gallinæ relinquemus, album etiam pauonis, & in hunc modum suauiorem præstantioremque partem aliarum diuersi generis escarum. Nam præterquam quod illud vrbanum est & elegans, tum præbet specimen hominis frangentis se ipsum, & gustatus non appetentis admodum. Quæ si inspicienda sunt, multò magis cauendum, ne inuertamus vasa escaria, vt quod viderimus inesse suauissimum & optimum, id ante oculos positum habeamus, vt inferamus in os prius, & cum suauitate transmittamus: inde consequuntur ea, ne patinas repleamus nostras, ingerendo congerendoque plurima, vt aspectum expleamus, & compleamus postea ventrem. Mitto reliqua, vnum non prætermittam hoc in genere, ne sic vescamur, vt toti videamur in patinis esse, & inferendo multa, inferciendoque os istiusmodi, vt malas referciamus compleamusque ambas, vtraque buccâ vescendo, & festinanter, & auidè, & cum stridore, vt rogati rem aliquam respondere nequeamus: Hoc enim helluonum & vorantium est, & qui inexplebili auiditate satiati nunquam, alia & alia semesa, & sæpe integra demittunt ad aqualiculum, & sæpe suffocandi se ipsos discrimini non semel expositi. Sed quæret aliquis quid agendum, cùm ab alijs quidquam porrigatur in mensa? Id quidem in promptu est, cum exquisitiores & apparatiores, siue communes & vulgares escas, quisquam discumbentium obtulerit, vt

gratias agamus, & paululum assurgentes, deinde frustum resecabimus capientes summis digitis, aut fuscinula prementes, quod nos esuri sumus, reliquum cultello affixum, aut illi à quo totum accepimus, restituemus, aut si eius orbis non vacat, vicino, aut in patinam referemus. Laudantur autem, qui delicatiorum, & suauiorum escarum partes omnino recusant accipere, & honoratioribus, aut maioribus, eas relinquunt, vt illi commendantur qui viliores vltrò ad edendum sumunt: sic in auiditatis, & voracitatis vitium non incident, & omnem suspicionem fugiunt. Videor multus esse in conuiuiorum rebus tractandis, sed nonnulla non omittam ante sermones communiter habitos & gratias actas, quæ scio Latinè scribentibus profutura multum. Quæ sint, si nosse cupitis, considerate, quàm à conuiuarum elegantia abesse debent ea, quæ nonnulli faciunt, vt ijs, quæ bibituri sint, quæque esuri nasum admoueant: hæc enim nauseam ciere quis non videat? Illi etiam qui digitos iure vel escis contaminauerint, crurare debent, ne eos lingere, ne ad tunicam, sed ad mappulam abstergere videantur: ne vt canes, & feles, cùm comederint, exerta lingua, os & digitos lambant. Quis etiam vestem commaculet, cùm abstergendi causa, dentur mappulæ? Nemo etiam vrbanus bolos quamptimum deglutit, nisi dentibus molendos curauerit: ore pleno loqui, aut bibere quemquam, labris patentibus comedere, spirare naribus, anhelare, turpe est. Cùm quis natutam expleuerit vescendo, nouam non licet auiditatem irritare, & secundis etiam mensis, & bellarijs, quasi noua cœna se farcire. Puramen oui cultelli mucrone, non vnguibus aliqui purgant, postea albumen illud concretum, pane non pollice excipiunt, & in os inferunt: & faciunt bene, vt illi male, qui circumactis oculis obseruant, quid alij comedant, qui in aliquem nimium detentos & defixos retinent: qui capitibus quoque retortis nosse volunt, quid in alia mensa geratur, malè se gerunt in mensa. Denique cura, ne antequam surgas, ita vino os eluas, vt in terram expuas turpiter, neque dentiscalpium ori insertum retineas, sed serua, vt eo pransus vtaris. Vbi verò ex aliquo ferculo, aut vini genere magnam gula tua voluptatem perceperit, in gestu, & voce, & inter epulandum, nec pransus etiam indicabis. Iam ad sermones inter cœnandum habendos veniamus. Quos profecto habere nemo adolescens audebit, iniens conuiuium cum senibus: lepidis, & iocosis dictis arridere poterit, modò non obscœnis,

nec

nec turpibus: id cauebit semper, ne vituperet liberiùs, quæ apponuntur, id enim epuli dominus, seu conuiuator ægrè fert. Cauebit etiam, ne de absentium famâ detrahat, nec alienis laudibus obtrectet. Atque si prudentibus hominibus conuiuij dominus credat, non multùm tenuitatem apparatus excusabit, neque verbis extollet, neque commemorabit, quàm carò singula constiterint. Quæres, silentium igitur indicendum siet? Probo silentium; quòd si loquendi facultas siet, ac voluntas, non improbo disputationes, historias, exempla Sanctorum. Quanquam prandium si lectione sacrâ condiretur, id è Christi notum esset bona præstantique disciplina. Ac ne quidquam prætermittatur, gratias agendas edicunt, imperantque boni omnes, post epularem accubationem, qua de duas descriptiones literis mandatas fuisse non improbabit, qui rerum omnium non insciens esse voluerit.

Edulia.

VT quondam tomacula, ex iecore porcino, minutatim conciso, & iam semicocto, infusis ouis, & caseo optimo, & liquamine, pipere, anisо, zingibere fieri consueuerint; sic & edulia nostris temporibus ex carnibus concisis fieri passim videas, & semicoctas semive frixas in auxillam injici, permisceri alias atque alias carnes, concinnari pipere, croco, alijsque aromatibus, denique infundi ova cruda ad absoluendum perficiendumque edulium. Inter apparandum stridere intus omnia flammarum ardore ebullientia, permisceri interea, agitari, versari, concinnarique, quod saporis punctum ferat, & edulij numeros absolutos.

Pisces.

IAm de piscibus, & generatim duntaxat. qui speciatim cupit, adeat primum Apparatus nostri volumen. Pisces in aquis degunt, fluuiatiles, marini, palustres, quorum alij corio, & pilis teguntur, vt vituli; alij corio tantum, vt delphini; cortice, vt testudines; silicum duritia, vt ostreæ, & conchæ; alij crustis, vt locustæ; scrutis & spinis, vt echini; squamis, vt pisces; aspera cute, vt squatina, qua lignum & ebora poliuntur; molli, vt muræne; alij nulla, vt polypi. Diuersis pisces nominibus nuncupantur, testacei, crustati, turbinati, molles, seu potius leues, cetacei, cartilaginei, in quibus ossium vicem explet cartilago.

Quanta autem multitudo piscium? acus alburnus, alosa, anguilla, aurata, siue orata, araneus, cancer, cochlea, conger, halec, lampetra, lucius, mullus, muræna, ostreum, polypus, raia, rhombus, rana, salmo, salar, sarda, scombrus, sepia, solea, tinnus, tinea, xyphias, & alia piscium nomine continentur. Atque hic omitto alia genera piscium, vsitatis solùm, & magis notis contentus. Nunc piscandi artem aggredior: atque piscandi gratia propono mihi piscatorem, qui pascatu viuit, vel eo se oblectat, cum sportula, arundine, seta, hamo piscario in fluuium contendentem, & ex ripa vel stantem, vel sedentem, calamum, ex illo suspensam setam cum hamo, escam affixam ad pisces capiendos habentem, manu tenere, expectare, vt piscis ad hamum decurrat: Qui simul atque ad escam accurrit, arundinem tollere statim, & inescatum piscem capere lætus ac hilaris properat. Et quia bene cecidit vnus & alter iactus, & reliqui bene procedere visi sunt, vsque eò, quoad sportulam piscium, & pisciculorum multitudine compleat, ex quibus quæstum facit, & lucrum ad alendam familiam idoneum, piscari non desinit. Primum, videre est piscatorem conspicientem piscem, & singulas illius partes oculis lustrantem, corpus, pinnas, squamam, branchias, postea tanti quanti æquum est, & vsitatum vendere. Qui volunt apparare pisces, primùm purgare eos debent, deinde desquamare, tum exenterare, tum abluere, denique vel elixare, vel frigere, vel tortere, aut in craticulis pertusis assare. Quid quòd muria condire homines solent, & ad tempus falsamento macerare, vt ad prandia, ad cœnas apparent suis temporibus, & in tomos segamentaque sua partitos inferant pisces in mensas: sed redeamus ad piscandi modos alios. Quis rete, rete rarum, fundam, tragulam, verriculum, sagenam, nassam, excipulum, fuscinam, maculam in ore non habet, instrumenta piscatoria, quæ cùm de piscandi multâ diuersitate agere voluerit, in promptu statim esse debent? Retia enim iaciuntur in fluuij partes piscibus abundentes, quæ grandi maculâ rara nonnunquam iaciuntur, in orbem funduntur, sparguntur que deinde: vnde funda, quemadmodum tragula subere sustentatur, innatans in aquis, quoad trahatur piscium refertissima: sic intellige verticulum verrere fluuium, & pisces secum trahere. In nassam autem, cùm vas è vimine contextum sit, in eaque recondita lateat esca, ad quam auidissime pisces decurrunt, pisces semel ingressi exeundi facultatem non habent. Excipulis vero ex viminibus, aut ex alia materia contextis intercipiuntur, &

tur, & incauti comprehenduntur pisces. Et quoniam piscatores anguillas, & alios pisces, in imo aquæ fundo natantes, figere consueuerunt, fuscina, telo trisulco, bisulcove, sceptro quondam Neptuni, vtebantur.

Lychnus pensilis.

LYchni à soluendis, hoc est, disijciendis tenebris dicti claritate suâ, à laquearibus dependent multis lucentes myxis, suis ex epistomijs in circuitu prolatis, totum illustrantes triclinium, quorum ellychnia affuso oleo foueri necesse est, vt nutriant conseruentque flammam. Quemadmodum in alijs lychnis minime pensilibus, vno contentis myxo, affundentes oleum flammam fouemus conseruamusque, & emungentes detrahentesque fungos, humido præsertim tempore excrescentes.

Candelabrum.

CAndelabrum, quod lychnuchos Plinio, altum est, in quo candelæ figuntur, quacunque ex materia constent, scirpis, tæda, seuo, cera. Atque à basi surgit scapus, ab scapo culmen candelabri, locus candelarum figendarum, quæ emunguntur noto emunctorio, & fungo purgantur offuscante lucernæ claritatem.

Laterna.

LAterna corneis laminis circumcluſa, vel papyro candida ex inferiore parte tecta, à superiore patens vt fumus, in sublime tendens, feratur foras, lucernam accensam continet, quam per portulam, quæ postea clauditur, inferimus, quam laternarius præferens, loca illustrat quacunque progrediuntur ij, quibus lumen præfertur clarè collucens, sebaceâ, vel cereâ candelâ flagranti intus contenta.

Fundamenta ædificij.

CVm fundamenta iaciuntur, terram & fragmenta laterum, aut lapides comportari & proijci commiscerique necessarium est, & pauicula, cylindroque tundi, coæquari, densarique ad parietes vsque tollendos. Modiolis id temporis, situlis, haustris opus est ad aquam diffundendam, quam imbibere queat

terra

terra pauienda tundendaque vehementer. Inde eriguntur parietes, ad libellam perpendiculumque, vt altitudo structuræ recta directaque conscendat ad normam, scilicet exacta, & vt funiculus cretâ, aut rubricâ illitus, & lapides saxaque dirigantur ad amussim, vt opus perfectum sit, & parietes, quorum altitudinem libella explorauerit, norma angulos, regula longitudines, ad lignorum vsque opus. In quo sic fabros materiarios occupatos videbis, vt asciandam modò materiam signent, modò in segmenta diuidendam, linea suo tempore in manus sumpta: sed ductus ille parietum, & continuatio mira ad tecti vsque altitudinem, & summum fastigium, ordine laterum & lapidum obseruato ductu, altitudo, latitudo, & crassitudo parietum, cubicula, & palatia considerentur ad operis absolutionem mirificam.

Ædes amplißimæ.

INtueamur ædificium, respiciamusque, in quo propter insanas ædium substructiones facile homines amplius mille valentes versabuntur. Fundamenta arena, calceque multa facta, calcataque calcatorijs optimis fortissimisque iacta fuerunt. Parietes ex lapide tres vlnas à solo primùm excitati sunt, ne currituum aut lecticarum offensione, decursu temporis atterentur, absumerenturque lateres. Quod reliquum est parietum latere Malacitano sublatum est. Palatia, cubicula, conclauia, tam hyberna, quàm verna & æstiua ædificata sunt plurima. In quatuor enim membra ædes distributæ diuisæque sunt proportione mirabili. Cùm verò nulli sint parietes opere albario tecti, sed omnes opere tectorio ornati, tum pauimenta cubiculorum non eadem sunt, sed partim tessellata, partim segmentata, vermiculataque, partim miniata, tum lithostrota, id est, lapidibus strata, tum intestina, denique spicata, ac ne quod genus pauimenti deesset ædibus, lateritia. Quæ multitudo varietasque pauimentorum ornatum maximum & splendorem ædibus afferebat. Nihil enim nucleo, quem crustam siue corium pauimenti appellamus, pulchrius, nihil nitidius, nihil iucundius propter venustatem, propter nitorem, varietatemque suam. Fenestræ non in aream aliquam, sed in plateam longam & latam ab vna parte spectabant, ab altera in hortos amœnissimos, & iucundissimos. Pauimentum subdiale quot prospectus habebat spectantes in vias, & plateas vibis celebriores, propter

propter turres duas ab vtraque parte? Sed libet iam obire singulas partes, & inferiores, & superiores istarum ædium. Imprimis autem, antequam ingrediaris in ædes, more veterum Principum, protyrum, id est, vestibulum inter ædes ipsas, & viam interiectum, quo qui salutatum venerint in peristylium nondum ingressi, nec in intimas ædes recepti, expectant responsa mandataque dominorum. Ostium quam amplitudinem habet, siue diathyrum obiectum & oppositum ostio, ad ventos irrumpentes, dum valuæ aperiuntur, excludendos; siue hyperthyrum, superlimare, siue hypothyrum illi obiectum, atque vtrumque transuersum superum & inferum limen; siue antas, vtriusque ostij latus munientes, cum suis antepagmentis, quæ cùm antis appangantur, affiganturue, quem habent ornatum, quam insignem formam, cum supercilio præsertim ipsis ostiorum antepagmentis in hyperthyrum impositio? sed quæ valuæ quantam in altitudinem surgunt? quam etiam amplitudinem habeant ferreis constratæ clauis, & laminis rectis transuersis cum cornice ad pulsandas fores: seræ verò cum vecti cum fortes sint & crassæ, prò valuarum amplitudine, arte polita sunt, & spectata. Sed iam ab hoc aditu, & quasi ianua patefacta. ingrediamur in peristylium, quod columnis vndique inclusum est, & quasi septum, quibus porticus sustentantur, per porticus verò in palatia & cubicula verna æstiuaque ingredimur. Columnæ altæ sunt crassæque, rotundæ admodum, ad quarum firmitatem stabilitatemque stereobatæ è solo eductæ, stylobatem lapidem basi suppositum sustinent; inde basis, quæ spira vnius tori aut duorum ornatur. A basi surgit scapus longus, crassus, rotundus ac perpetuus: supra scapum epystilium. Cùm autem hæ columnæ rotundæ sint, tum striatæ, tum structiles sunt: in capitulo volutæ propendentes, circuli tortilis ad modum, aut cincinni crispati: tori columnæ crassiores torques, & teretiores. Abacus, & echinus, & inter vtrumque puluinus interiectus est, vnde volutæ dependent: denticulus fascia epistylij ad dentium speciem intersecta. Cymatium, quod sinuosum, vndæ in præceps ruituræ speciem præbens: reliqua, quibus ornantur columnæ, lances, encarpa, cornua, taurorum capita, vittæ reuinctæ, lemniscique ex coronis pendentes, reliquus ornatus, splendorque columnarum, cum puræ non sint, sed scalpturis, varijs formis, figuri que, striis ornatæ, qua specie, quo ornatu, quo splendore sunt? vnus satis esset Zophorus, balthei picti speciem præbens, in quo metopæ & figuræ

figuræ exsculpuntur ad columnarum laudem eximiam. Quod vltimum ædium maximarum fastigium coronide sua terminatum, supercilioque eiusmodi, quod proiectura dicitur, ad proijcienda arcendaq; à pariete stillicidia, ne venustatem tantam, nitoremque fœdum deformemque reddant? In alio impluuio pilæ sunt, à columnis, quas scis, quadrata forma distantes. Sed iam ingrediamur in palatia, quæ pauimento tessellato, aut lateritio strata sunt, tum parietes crassissimi sunt, & inducto tectorio splendentes, & ad depellendos calores, & frigus, & ad splendorem, magnificentiamq; spectantes: tectum trabibus primùm ex vuo parietum columbario in alterum immissis, crassissimis, & dolatis, leuigatisque, tum assibus coassatum est, clauorum affixis robore, & assibus multò minoribus inter coassationem vnius & alterius assis interiectis. Videre tamen est proceres trabium prominentes, & mutulos, aut coronas, Atlantes, vel Caratides, illæ in virilem, hæ in muliebrem formam affabrè factæ, subiectæque, partem impositam sustentant. Tholus medium tectum sæpe condecorat, cùm in testudinis vmbilicum trabium capita conueniunt. Ita tecta vel assibus obducta, vel fornicata, vel concamerata aspicies. Fenestræ quot & quantæ sunt necessariæ cum suis fenestellis cæcis & apertis aliquot, in summitate, vel extremitate, ad lucem inferendam, vt clara sint & illustria palatia & cubicula, etiam obscuro nebulosoque cœlo? Non desunt alia cubicula minora laxitatis non amantibus, tignis & tigillis tecta. Ita sunt laquearia pulcherrima, picturis & opere vario elaborata, supra quæ tecta sunt tegulis operta, siue pectinata, d spluuiaque, ex vtraque parte deuexa, quæ diuortio quodam hinc inde pluuiam demittunt. Alia tamen testudineata sunt, quod per quatuor partes deuexa, aquam deijciunt: sed imbricata, id est, tegularum ordine multo tecta, per imbrices omnes præcipitem agunt deturbantque aquam. Pergulæ non omittantur, quæ à lateribus apertæ, per multas partes aerem excipiunt, & extra parietem sæpe porrectæ, & modò tectæ, modò sub dio expositæ, in quibus deambulare domestici solent, viasque, forum, plateas, hortos, agrosque prospectare, & in illis, si collibitum fuerit, cœnare. Ponantur in ædium laudibus Meniana, quæ tignis extra parietem proiectis, tabulisque constratis, spectandi locum dare solent. Quæ non minus grata profecto sunt, quàm pergulæ, & sæpe propter clathros ferreos, & capitellum impositum, varioque ornatu, elegantem speciem habent, & quandam amplitudinem

plitudinem præferunt. Dentque eiusmodi sunt ædes, in quibus culina, cellæ penariæ, vinariæque, equile, reliqua ad vsum & ad venustatem ædium reperire poteris. Quid plura? sunt ædes Principis Hispaniæ potentissimi, à Rege Philippo in aulâ Regiâ, quod omnes sciunt, secundi.

ARCHITECTONICA

Trochlea.

TRochlea supra puteum satis necessaria est, cum æreo, ligneove orbiculo, rotulave striata, quæ circum axiculum versatur, ad aquam hauriendam fune ductario. Quemadmodum illius ope iuuamur ad subleuanda, demittendave onera, fune ductario per orbiculos rotulasve tra-, iecto, deiecto, sublatoque paulatim.

Cochlides.

QVoniam ad cubicula ędium, totamque superiorem domum per scalas ascendimus; & cochlides ad diuersas ædium partes spectas, scalæ cochlides describantur. Quæ scapo gradibusque constant, per quos ascendimus in superiores ædium partes, per circuitum tamen, & per gyrum ascendendo; deducemus autem, si collibitum fuerit, manum per scapum ab infima coassatione ad summum vsque libramentum.

Tympanum.

INgens rota, quæ tympanum dicitur, à calcantibus operarijs circumagitur, & axis fune obuoluitur, & effert in sublime onera, aut valuas etiam aquarum obices.

Ciconia.

QVid magis notum ciconijs? quæ in hunc modum construuntur, vt trabs alte solo depangatur, cui altrinsecus altera longior transuersa immittitur, fibulâ adstrictâ pondere vnam partem prægrauante.

Lectus

Lectus cubicularis.

LEctus cubicularis, siue torus ligneus totus, & campestris vulgò appellatus, cùm fulcimentum habeat ex omni parte constructum, & asserculis, vel tabulis insertis, loris, vel fascijs transuersis ad culcitras lineas sustinendas à lateribus cum spondâ coniunctum, tum lectus primus & extremus fulcris, hoc est, columellis surgentibus tollitur altiùs & supernè, & virgis ferreis ab omni parte transuersis, pendentibus ornatur cortinis sericis, quæ suis temporibus adducuntur, & explicantur, vt necessitas vel voluntas tulerit. In his lectis cubare solent diuites & delicati homines, primùm culcitris multis, deindè sindone duplici, niue candidiore, suit lodicibus, stragulis alijs pretiosissimis cooperti. Sed cùm ceruicalia supra culcitram transuersa collocentur, puluini puluillique farti magnùm ornatum lecto non solùm afferunt, sed vtilitatem capiti, cui subijciuntur, mollissimâ plumâ inferti. Ab hoc lecto procul culcitræ laneæ, stramentitiæ, vel tomentitiæ. Et quoniam cùm hyems est, excalefieri lecti solent huiusmodi dominorum fortunatorum, hanc batillus cubicularius, siue ignitabulum præbet commoditatem. Interdum non cortinis, quæ annulis velaribus, siue cortinalibus contrahantur, explicenturque, sed conopæis lecto imminentibus, arcendorum culicum, muscarumque causa lecti cooperiuntur, ex omni parte tapete solo instrato, in quo pedes ponant è lecto surgentes, vel cubitum euntes. Ad hoc cubiculum per palatium plerumq; auleis conuestitum, multis sellis plicatilibus, & parieti admotis ornatum, datur ingressus. Mensa in vna parte palatij, amphitapâ, vel gausapinâ strata cernitur. In illo autem cubiculo, vbi lectus est, risci, vel fenestella fieri solent, vt sol exoriens, lucis, fenestris conclusis, & apertis fenestellis, commoditatem optatam inferat in cubiculum. Quod storeis stratum, hyemali tempore calidum est. Vt autem mos est, lasanum cum matulâ purgata & extersa apponitur in cubiculo, vt corporis necessitatibus, noctu, si auiditas & necessitas fuerit eijciendi ventris, qui cubant, obtemperent.

* * *

Celus.

Colus.

MVlieribus optimis, & clauſtrorum amiciſſimis colus neceſſaria eſt, quæ penſa continet, fuſo, quem nendo digitis voluunt, fila deducentes, retorquenteſque paulatim: quas ſaliuis digitos aſpergere neceſſarium eſt, ad lini aſperitatem molliendam, & labris nonnunquam admouere, quo purius filum deducatur & tenuius. Et quidem mirum eſt fuſum inter nendum videre, vertiçilli ope, quanta celeritate vertatur.

Rhombus.

NOn minus mulieri otiari nolenti Rhombo opus eſt ad tramam glomerandam in circulum agitatione citatâ: ex qua glomeres, in globi ſpeciem formati, multi conijciuntur conferunturque in quaſillos ad textrinam poſtea deferendos.

Acupictrix.

CVm defeſſæ fuerint glomerando nendoque, acu pingant honoratæ honeſtæque mulieres, filum in acum inſerentes, & digitali acum impellentes, & ſi opus fuerit, propellentes, ne digiti quidquam detrimenti capiant. inferant, tranſmittant, referantque acum, quoad penſa legitima ſtatim ſuis horis abſoluant, & linteum pulchrum & elaboratum poſtea proferant in publicum oculis viſendum ſpectandumque, & ad ornatum linteorum, quæ comparant & habent in manibus, nihil pulchrius, neque venuſtius. Quod vt ab omni maculâ & ſudore manuum liberum conſeruetur, aciculis affixum linteum in puluino habeant, interim dum elaboratur opus, & alio linteo craſſiore tegant & obducant, quoad abſolutum poſtea, euoluatur & explicetur, vt cum ex puluino detrahatur, candorem retinens ſuum, proferat picturæ pulchram & elaboratam ſpeciem.

Muſcipula.

MVſcipula machina ad capiendos mures armari ſolet in hunc modum, vt obex ſeu paxillus in muſcipula ſtet erectus funiculo appenſus, ex tigillo, ſiue vnco, tanquam ex ha-

mo appendatur esca murium illex: quam aggrediens mus, ingressus muscipulam vix attinget, cùm deinceps strepitu perterrefaciet murem, & inclusum, & egredi conantem, nunquam autem exitum reperientem capiet, qui muscipu am capiendorum murium causa armauerit.

Hypæthrum.

HYpæthra istiusmodi cùm pateant & aperta sint, sub dio cõstituta præbent vtilitatem maximam verno & æstiuo tempore, manè & noctu, aeris captandi, & corporum reficiendorum ab æstu maximo & colore propter flatus lenes, qui maritimis è partibus flantes, in subdialia istiusmodi feruntur. Quamobrem domestici manè deambulare solent, ad matutini temporis auram captandam. Vnde ædes vrbis, templa, vicos, vias omnes, plateas, & loca celebriora, camporum æquora latè patentium, agrorum amœnitates, cursus fluuiorum, syluas & nemora, & diuersorum iucunditates locorum oculis collustrare possunt, quòd sol exoriatur; cuius ortus hyemali tempore subsidialia complens ad vim frigoris depellendam, prodest plurimum, vt vna, & altera, & ambulatione multa vtamur ad calefaciendum corpus & artus præ temporis asperitate torpentes, & actionibus corporis suscipiendis inutiles. Sed quoniam in ædiũ sublimiore parte subdialia ædificata sunt ad prospectus omnes vrbis & agrorum spectanda, ne te des præcipitem aliquo casu, maloque tuo, clathris latericijs, & interuallis aliquot columellis excitatis præmunita sint, præclusaque ex omni parte, vnde profert caput, requiescere pronus, & in peristilio, quæ fiant, collustrare poteris, si voles, cubitis innitens.

Solarium.

HOrologicum sciothericum, vulgò solarium, egregiè satis effictum, numeris horarum clarè perspicueque incisis, per orbem suum legitimis spatijs interiectis elaboratum facit, vt horarum spatia legitima è solis vmbra dignoscamus. Cùm ergo horam vnam aut alteram tenere cupias, verutum vmbram faciens suspicies, vel indicem alium, & ille tibi legitima horarum interualla (ne vel punctum temporis ab horologio intus clauso contentoque, vel planè dicam, si horologiũ benè compositum constitutumque fuerit, nec à solis cursu discrepet) no-

pet)notabit,designabitque. Stylus enim vmbræ indagator,siue verutulum, quo in medio sciotherici collocatum est, vmbræ proiectu horarum discrimina designat. Sic quondam Romæ L. Papyrius Cursor solarium ad ædem Quirini, duodecim annis,antequam cum Pyrrho debellatum fuit,proposuit spectandum. Nam prius ortus duntaxat, & occasus Solis nominabantur, aliquot post annos adiecto meridie.

Clepsammidium.

QVid clepsammidium, in medio Gymnasio statutum, quod vasculis duobus turbinatis, in medioque coeuntibus, cùm summum turgidum sit in principio,& infimum eodem tumore terminetur, à summo defluente arena, puluisculisve, è contusis ouorum testis in infimum, statum horæ interuallum designat, an vis, vt hic amplius horam legitimam maneamus?

Proscenium.

QVod Romani extruebant opus ad suas fabulas, ac comœdias agendas, id nunc mentis oculis intuere. Nam proscenium longum & amplum erat, in quod actores comœdiarum prodibant. Prodibant autem ex scena aulæis, peristromatibusque obstructa, vt in illam, nisi actoribus, pateret aditus nemini. Hæc autem frondibus, ramis, arboribusque sæpe compositis, & constructis ornabatur. Pulpitum verò, siue odeum scena multò altius surgebat & sublimius: vnde tibicines & cantores statis temporibus, vicissim & tibijs, & vocibus, spectatorum multitudinem demulcebant, inter scenam & inter cuneos Senatoribus locus erat ad spectandum, Orchestra dictus, quòd in eo, histrionibus in scenam abditis, gesticulatores Senatum, & populum saltando detinebant. Cunei verò, id est, graduum ordines confertissimi, quantam capiebant multitudinem,quæ stans inter subsellia sedentium, fabulas & comœdias spectabat? Quæ sæpe tanta, & tam innumerabilis confluebat, vt excuneati multi manerent. Supra scenam machina sublata Deorum numen, & præsentiam populo, visendam spectandamque præbebat: quemadmodum exostra machina, quæ intus gerebantur, celeri & incitata rotarum conuersione, spectatoribus ostendebat. Hæc spectare,

tot interesse rebus, quantam afferret voluptatem? Quocunque te conuertas, siue ornatum scenæ, & actores ex eo loco prodeuntes, siue agentes in proscenio tantâ venustate, siue modulationes vocum, & cantus tibiarum, siue gesticulationes, & salutationes multas, siue deorum præsentiam & aspectum, siue Senatorum tantâ auctoritate considentium dignitatem, siue frequentiam concursumque spectatorum consideres, omnia eiusmodi fuerunt, quæ ad illud vsque tempus, cùm scabella concreparent, aulæum tolleretur, spectatoribus voluptatem afferebant.

Nauis.

LVstrans oculis è ripâ, in quâ stabam, oculis meis Betim prospectans, non tam cursum mirabar placutum & sedatum, quàm tot naues, nauigia, nauiculas, nauigiola, tot naues onerarias, constratas, prætorias, præsidiarias, militares, orarias, paruas illas, & ad legenda littora, vectorias, speculatorias, rostratas, naues longas, triremes, biremes, & omnem cursus celeritate volantem, phaselos, cymbam, scapham, quin & ratem scirpeam vidi, atque classem etiam, in hostes soluentem. Sed nauim aliquam, vnam & alteram inspiciens, quam fabricam, quam machinam intueri videbar? Si à fundamento ordiar, carina est aluus nfimæ nauis. Aluus ipsa spectatur à lateribus tumens ac turgida, & statum nibus suis, tanquam costis firmata, tabulis obducta, & commissuræ stipatæ, ferruminatæque muscitomâ, quasi stuppis infartæ, picæ illitæ, cum puppi ac prora, cum agea, vulgò pergula, in qua tanquam in foris res exponi & agi solebant, excurrentibus ac vagantibus in hoc loco hominibus. Acroteria, plutei nauales, tigna ad ornatum proræ, puppisque eminentia, quantam habent vtilitatem, & speciem insignem? Ad hanc per pontem, quasi per scalas nauales ascendens, excipieris; sicut descendens, exponeris in terram. Lustra nauim omnem, ac primum modium, in quem malus immittitur, malum altissimum cum corbe galeaque sua, mala lignea, id est, orbiculos illos ligneos malum ambientes, ad vela eorum ope facilius attollenda. In malo prospectu notatuque dignissima sunt; siue calcem mali, imam mali partem, siue carchesium, partem supremam, vbi foramen, per quod in summo malo funes traijciuntur, siue antennam transuersam, cornuaque antennarum spectare velis. Ab eo per foros ambulans, puppim, vel

pim, vel proram adibis, & in pergulam altiorem, & prospectus habentem & deambulationem suam. Cum vero hæc admiratus fueris, admiraberis magis ornamenta nauis, tot rudentes, qui malum confirmant, & stabiliunt ad proram & ad puppim, qui ab vtroque nauis latere malum tenent, illos quibus velum demittitur, his proximos, quibus antennarum cornua adducuntur: velum, siue carbasum (quoniam multa sunt) acatium, id est, maius velum, epidromum velum ad puppim, dolon minimum ad proram, quodque mouetur & iactatur in omnes partes: in summo mali fastigio positum, thoracium supparum ad iuuandos nauis cursus languescente vento, intuere, respice, ad quæcunque volueris oculos conuerte. Quoniam vero veli infimæ parti appendix adijcitur, orthiax in tuis oculis versetur, necesse est: funis ille, quo transfertur velum, pes dicitur. At quoniam vrgente necessitate, vento nullo flante, nauis maior, quæ remis non agitur, vel vt pacatius nauigetur, agenda est, remulco trahitur. Quid cum soluere iam, & vela dare volunt, obliquare sinus quot & quantus videbis? vnius temonis, quod gubernaculum est, ope cursus dirigitur, & nauis in quam partem necessarium est, gubernatur. Quid cùm maris altitudinem nautæ explorãt, bolidem è prora demittentes? Quid cùm anthlia, machina hausoria, sentina exhauritur? quem in locum confluit colluuies aquarum, quæ per commissuras exudat, & nauis sordes, vt plane exinaniatur, emittit: omnia hæc oculis intueri poterimus. Atque vt rectius cursus dirigatur, non deest pyxidicula nautica ad poli situm, ne à cursu recto deflectat, explorandum tenendumque, quemadmodum in noctis obscuritate, maximisque tenebris, cùm homines nauigant. Prætoria nauis pharon accensam præfert, vt reliquæ naues præeuntem Prætoriam sequantur. Quod si stabilem vis ac firmam in eodem nauigationis cursu, saburra oneratam videbis. At appulisti portum, manus ferreas, harpagones, anchoras iactas ad retinendas naues aspice: sed refici naues opus est, subdici in ripas, phalanges, siue puluinos subijci mos est, ad phalangarum similitudinem, quibus baiuli ferendis oneribus vtuntur, vnde illi phalangarij appellantur: sed vt inter tantam nauium multitudinem nullam non agnoscamus, tutela, oculis omnium exposita, notat atque designat in prora, quo nomine sit insignita: sed iam ad triremes transeamus.

Triremes.

TRimeres humiliores sunt nauibus, ordine duplici remorum actæ, quæ stipatæ, ac ferruminatæ prorâ puppique notantur, sed prora à rostro acutiore, exporrectoque valde cernitur: perforas, id est, tabulata nauium constrata, nautæ feruntur, & à lateribus, in puppi, proraque tormentis, quæ per columbaria mittuntur, armantur. His Præfecti maris littora legere consueuerunt, & duces classes ornare, instruere ad bella facienda, quæ remis aguntur, quorum manubrium tenentes remiges remigant, palmulis secantes aquas, sublatis, demissis sæpe, ac sæpius remorum scapis, vnde illud, vt remi animalium præbeant speciem alatorum, procul aspecti.

Faber ferrarius.

CVm faber ferrarius opus ferreum faciendum sumit in manus operas præstat vsitatas, cum adiutoribus & consortibus tanti laboris, magno strepitu ac fragore, vt tota malleorum ictibus personet vicinia. Atque ferrum contundendum immittit in fornacem, vnde extractum, & in incudem impositum, flagrans & accensum, multorum malleorum ictibus brachia tollens ac demittens cum alijs magna vi ac robore cædit, & pulsat, & contundit mutuâ vicissitudine & ad numerum, & tam vehementer, vt omnes molliant, & flectant, & afficiant ad eum modum, quem velint inter ictus infigendos anhelare faber ferrarius, anhelitus crebros ducere consortes operis, exprimi scintillulæ ictuum magnitudine, dissilire in omnes partes, & illam massam rudem & informem tenacibus pressam forcipibus in omnes versare partes: alij folliculis excitare flammam, alij reducere ferrum calefaciendum, & accendendũ suis temporibus in lacum intingere, immergere cum opus est, & multa vehementique affectione formare opus, quod volunt, percurrere totum sæpe ac sæpius, donec formatum perficiant & absoluant. Interim inter operas præstandas æmotheta, lignum, in quo firmatur incus, stabilis ac firma propter crassitudinem suam, nec minimum ictuum multitudine moueri videtur: si lima adhibenda sit ad exterendum opus, illud politur, & terebra, vel terebello perforatur, scalpro verò inciditur, si quid excidi necessarium est. Inter tantam autem multitudinem, & diuersitatem operum fabri ferrarij conficiunt seras pensiles, verua, harpagones, lebetes, caldaria, cacabos, ahena, ollas, sartagines,

gines, fuscinulas, cochlearia, verua, verucula, crates ferreas, batillos, forcipes, & forfices, claues, clauos, & hos capitatos, muscarios, seu vmbellatos, vncinatos, & alia opera multiplicia: quæ si in memoriam redigerem, numerando multas paginas complere possem.

Morbi.

ADiungam ad superiorum materiam morborum aliquot genera, quibus humani generis imbecillitas conflictari solet. Et incipiam à cephalæa, quæ diuturnus capitis inueteratusque dolor, ægrè cedens, maxime caput totum afflictat, nec quiescere hominem sinit, propter doloris magnitudinem. Cùm neque affectus sit homo vlli rerum agendarum generi, & semper querentem de dolore, semper manus admouentem capiti videas: quod quasi scindi diuellique dolore videatur, & multis frustra tentatis remedijs nullum profuerit. Queritur miser homo, qui non saltem hemicrania laboret, vt dimidiam doloris partem, vnâ parte capitis laborante, pateretur, quanquam recurreret statis temporibus: non enim vrgeretur, tantopere, neque premeretur, ac multò minus, si cephalalgia laboraret, anterioribus solùm capitis membranis laborantibus. Nam licet disrumpi videatur caput velle dolore, discedit tamen ille, aliquo post tempore, in suam veterem valetudinem homine redeunte. Non equidem vertigo tam molesta est, qua humoribus frigidis & lentis sursum in caput commeantibus, paruâ affecti occasione succedunt, cùm oculis eorum aspectu quasi libero sublato, facultateque integrâ videnti erepta, in orbem circumagi, rotarique videantur, vorticosa quædam quasi spectantes, & rotatilia. Non aliter profecto, atque in promontorio aliquo ventus, reiectus atque in se volutatus, facit vorticem, qui circumactus, & eundem ambiens locum, citatissimâ conuersione fertur in gyrum. Quod in æquoribus camporum, in arenarijs cernere etiam licet, cùm vortice torquetur humus arida, & ab imo tollitur in summum, rotata id temporis incredibili celeritate. Cùm homo deliratione laborat, cùm delirare incipit, ridere omnes solent, & quasi anum quandam deliram putant, quæ dicat, quæ ille dicit. Vnde Annibal, qui Phormionem audierat de re bellica coram se auditore dicentem, dixisse fertur, mul-

tos se deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidisse neminem. Quippe qui præsente Imperatore fortissimo & in re bellica exercitatissimo de re militari loqui non erubesceret. Qui phrenitide laborat, huius nos miseret magis, quàm ridere libet, quippe qui inflammatis membranulis, quas maninges appellamus, idque vel à pallida bile, quæ leuior est; vel à flaua, quæ vehementior; vel ab eadem, sed adusta, quæ est omnium deterrima, insanire visus est ac furere, & ea facere, quæ mente captus, & omni iudicio spoliatus, quem alligare, & vinculis astringere opus est, propter actiones ab omni ratione, mentisque sanitate vacuas, non inconsideratas solum, sed effrænatas ac turbulentas, cæcas ac plane furentes: quibus si non obuiam à præsentibus itum esset, sui impos, & furore percitus, impetus præcipites ac temerarios in domesticos, & in alios quoscunque ante oculos versantes faceret. Qui catalepsi laborant, frigescente capite, sensibus quasi destituti videntur, & graui somno consopiri, vix excitari possunt vocibus multis, & vellicatis corporis partibus, prehensis naribus, nomine suo magna appellati contentione: sic omnino proni feruntur in somnum, non dormire solum, & arctiore premi somno, sed rigere corpus videas catalepsi laborantium, & eò magis mortis periculum impendere, quò cerebrum frigefieri videtur magis: clausis oculis, vigiles interdum manere, excitati tollere oculos, tangentem respectare, stupore veluti quodam oppressi, quod comam medici vocant, videntur. Quid apoplexia conflictantur, stupere neruis omnibus corporis, sensu priuari, orbari mente sic solent, vt corpus & mens stupeant. Paralysis semiapoplexia dicitur, cum non omnes, sed aliquæ partes corporis stupidæ manent, & motu & sensu priuatæ, ad quas morbus incubuit solũ, cum Apoplexis totum hominẽ inuadat. Comitialis morbus quam fædum ac deformem hominẽ reddit? Homo n. videtur consternatus, animo deijci de mentis statu, opprimi stupore multo, tremere totis artub. ac membris, venis palpitantibus in terram decidere, oculis stupentibus, ore spumis oppleto redundantique iacere, volutari corpore, & sæpe in media via, cùm morbus oppressit inopinantem. Id quod comitia quondam Romanorum vitiabat, vt eo die comitia haberi nefas esset. Interrumpebantur enim, quasi ominis & prodigij causa, si quis comitiali morbo concidisset. Tetano affecti quemadmodum rigere solent, instar trunci, vt se nequeant infle-

inflectere, non fungi corporis partibus & muneribus ad ministeria datis à Deo, mentum pectori annecti, caput scapulis adhærere, vel ambæ partes rigere, sic rectæ & rigentes, vt flectere nullam in partem possint, vnde tetanici, morbum hunc patientes. Sed in grauedine defluere ad nares humorem, fluere nares ac manare guttatim, & obrui non parum scimus, vsque eò, vt vocem humor hic obtundat, tussim moueat, & percrepantibus ipsis natibus raucum reddat hominem, comprimat vocem, præcludat spiritum. Sed non ex grauedine solum intelligas hæc fieri, sed ex clamore multo, & frigore, vel calore nimio, cùm homo sudans & anhelans globulis detractis, aëri flanti pectus nudatum & apertum exposuit. Asthma quantam affert spirandi difficultatem, vt sine sono, & anhelitu crebro spirare nequeat homo, & spiritum hunc liberum ducere, & tantis sæpe angustijs pectoris vrgetur, vt quasi præcluso spiritu vocem mittere non possit, quasi mortem in præcordijs conceptam habens. Si asthma molestum & periculosum est, quantò magis angina grauior & periculosior, quæ viam spiritui præcludit, spirandi adimit potestatem, & in tantas angustias adducit ægrotantem, vt spiritu præcluso agere quasi animam videatur gutture tumenti, & inflammato, erepta tussiendi facultate, nullaque euellendi potestate, quancunque adhibeat contentionem: quin opprimi visus est, & animam efflare velle. Hanc simulauit quondam Demosthenes pecunijs corruptus, ne causam ageret, & olim Romæ auctore Macrobio sacrificatum, vt P. R. præmissis votis liberaretur. Ex horum morborum descriptione colliges rationem reliquorum ad tuam voluntatem describendorum. Febres enim, siue intermittentes, siue quotidianæ, febres tertianæ, febres quartanæ, diariæ, assiduæ, hecticæ, extenuantes hominem & paulatim absumentes, donec vim totam, & carnem exedant, & inspirantis, & iam mortui effigiem redigant, præter cutem & ossa, quibus ille vix se continere potest, reliqui nihil faciant in humano corpore. Itaque qui videant, cadauer se aspexisse dicant, misereantur, atque omnes illius, mortuum magis lugeant, quàm è lecto surrecturum, recuperaturumque vires pristinas, aliquando sperent. Sic afflictat & exest febris, nunquam discedit, vt intermittentes, ac febres tertianæ suis temporibus, quartanæque, quæ quanquam redeant, temporibus intermittunt, tamen hominem ad temporis & quietis aliquot interualla, vel diem vel noctem habere, quamuis redeuntibus

cohorrere hominem videamus, eisque rigere capillos præ frigoris magnitudine, albere, pallereque faciem, stridere dentibus, & superiores inferioribus allidi, cooperiri lodicibus, stragula addere opus est contra vim magnitudinemque frigoris. Sed post incrementum suum & statum derelinquunt tandem hominem, rigorem paulatim imminuentes, & ad extremum deducente frigore. Hydropisi laborantes qui viderint, pallidos aspicient, turgescere & inflari, & siti premi semper grauissimâ, vt bibere aueant maximè, & quò plus biberint, sitim insatiabilem explere nequeant. Mitto reliquos morbos describere, contentus nonnullorum nominibus, vt Latinè agat studiosus Latini sermonis adolescens. Atque stupor dentium notus est, nota lippitudo, surditas, aurium sibilus & tinnitus, odontalgia, tussis, profluuium ventris, narium, pleuritis, virium defectio, cardialgia, morbi omnes hi noti sunt. Quid cùm fastidire quispiam incipit, neque sine fastidio stomachi cibum capere potest, cùm nauseare appetit, vomere, ructare, screare, nausea, vomitus, ructus, screatus quantam affert molestiam? Non tam laborioſa sunt sternutamenta, oscitatio, pandiculationes; sed grauiora sunt alui tormenta, colicus dolor, dysenteria, tenesmus, inanis egerendi voluntas, calculi renum, stranguria, dysuria, articularis morbus, coxarius morbus. Adde mensium suppressionem, profluuium mensium, abortum, morbum Gallicum, tremorem, alopeciam, pedicularem morbum, porriginem, lentiginem, psoram, impetiginem, elephantiasim, pruriginem. Non relinquendæ sunt strumæ, varices, inflammationes, tubera multa, pani, pani inguinis, carbunculi è crasso atroque sanguine celeriter escharam facientes, sacer ignis, pusula, seu pustula, apostema, vomica. Cùm verò partes affectæ grauiter corruptæque sunt, & vt ita dicam, mortuæ, gangræna non apparet? Quid mariscæ ficus? quid vulnera ex ore suo, crustâ, cicatrice? quid vibices? quid stigmata? quid maculæ, quid næui? quid postremò vlcera? Chironia præsertim maligna, tetra sinu, quasi ventre, latentique capacitate sua, vt pus subsideat, & exitu præcluso proxima quæque erodat, & sanas partes corripiens, fundat sese latissimè. Hic absoluerem, quod reliqua clara sint, nisi omnibus inseruire vellem: addo igitur callos obduratâ cute, præ labore nimio; clauos, tubercula in cute extantia rotunda, præduræ radici affixa, & summa parte claui caput referentia; pernones, calcem hyeme, cùm maximum

ximum frigus est, vexantes, & ingressu libero prohibentes, ve calceus ab illa parte aperiendus sit, si foras quis exire velit, aut domi se continebit, dum perniones abscedant. Cùm verò quotidie videamus variis duris, & pusillis tuberculis, & velut rotundis salebris, postea paulatim mollescentibus, & in pus erumpentibus, faciem & ora deformari adolescentum, relinquendine illi morbi essent? An tacendæ verrucæ, tubercula in facie eminentia sine sensu? quarum verrucarum alias corpori oblongas, & grandi capite noueris adhærere, exili veluti pediculo innixas, & quasi de chorda pendulas; alias sessiles, & formicantes altioribus quidem radicibus, infra latas, supra tenues: quæ dum stringuntur, sensum inducunt formicarum, (vnde nomen habent) morsibus assimilem. Rediuia sit vltimum, cutis circa radices vnguium resolutio, fissuraque. Qui plura velit, consulat & adeat Medicorum libros. Ego magis necessaria, & quæ in hominum ore versantur, perstringere breuiter optaui genera morborum.

In ægroto quot & quanta necessaria sunt.

IN ægroto corpore quàm multa sunt necessario adhibenda medicamenta, vel ex eo intelliges, quia Medici, præter inediam in grauibus morbis, pastillis, suffituque alio multo, & odoribus accensis vtuntur ad cubiculum perfundendum. Emplastra concinnantur illidò, quorum genera multiplicia sunt. Aliud malagma, ad duritiem emolliendam comparatum; aliud ad durandas partes crustiscum, crustam inducens; decoctum ad partes abluendas aliquot: si grauis morbus est, & febri æstuat, & flagrat ægrotus, continuò scarificatione medicos vti iubere videas, iubere cutim scarificari, venam scindi, medicatas potiones ad alui purgationem præscribi, illinctus, siue ecligma præbere, glandibus balanis adiuuari ventrem exinaniendum; si purgationibus non profuit medicus, catapotia, id est, pilulas præbet. Adde gargarisatus ad gutturis medicinam. Deniq; remedia tentantur omnia, laxantia, astringentia, amara, acerba, austera, dulcia, suauia, sanguinem sistentia, ducentia cicatricem, ad purgandum, ad extergendum, ad emolliendum. His adiunge attrahentia medicamenta, quę materiam foras

foras trahendo euocant, medicamenta anodyna, quæ dolorem sopiunt ac leniunt. Antidotum adde lethalibus venenis resistens, depascens callis obductam, & superuacaneam materiam exedens, & absumens, obstipans & obstruens, ne totus fortasse effluat & exhauriatur homo. Ceratis non parum vti medici consueuerunt, & fomentis alijs, medicamentisque præsentaneis, quæ à medicis petenda sunt, nos, quæ in vsu posita sunt, percurrisse satis est.

Chirurgi theca.

CHirurgicam, tonsoriamque thecam vide, & in illâ loculamenta instrumentorum, quibus chirurgus, & tonsor vtuntur, scalprum chirurgicum, siue scalpellum ad venam scindendam, nouaculam ad barbam abradendam, & tonsuram capitis, forfices ad tondendum cum pectine, volsellas ad pilos prehensos radicitus euellendos, dentiscalpium ad purgandos eradendosque dentes, pericharacterem ad gingiuarum carnem à dentibus separandam in dentium summo dolore. Specillorum verò quot sunt genera? est auriscalpium, siue auricularium, quo vulnerum & fistularum altitudo tentatur. Numeretur latum, spathomela scilicet, ad oculos inungendos, cauterium ad vlcera putrida, & defluxui obnoxia loca inurenda, modiolus concauus & teres, imus oris ferratus, per quem medium clauus demittitur, ad os paruum excidendum. Hæc omnia sunt instrumenta chirurgi, & tonsoris quæ in thecis mediocribus foris deauratis, intus multis loculamentis, pro instrumentorum exiguitate magnitudineve, ductu & ordine ferè quadruplici, ad condenda seruandaque instrumenta sua, quæ suis temporibus extrahat, recondatque, cùm vsus fuerit eisdem. Longiora sunt loculamenta specilorum & pectinum pro longitudine suâ. Sed iamiam vide chirurgum tunicatum, & nudatis saltem lacertis ad curandum hæc & alia instrumenta producentem ad curationem faciendam, tentantem manu, attrectantem etiam, abstergentem vulnera, saniem omnem exhaurientem, deinde turundis, lemniscisue, peniculis, aut penicillis, & alijs vtentem linamentis, vt ipsa curatio postulat, & eò vsque progredientem, quod malè affectis, & sauciatis partibus pittacium imponendum est, id est, pannus modicus, medicamentis illitus, quæ sparsit, & diffudit toto panno ligulis, vulgò spatulis oblongis, priore sui parte ad linguæ modum exitu terminatis suo.

Ton-

Tonsores.

QVid verò Tonsores agunt, cùm tonsum hominem veniũt? secum peluim comportant, & ad caput tondendum inuolucre circumponunt humeris & pectoribus contra decidua capillitij præsegmina, & adhibentes deducentesque pectinem per capillos, vt æquabiliter scindantur, tondent agilitate mirabili. Cum verò caput aut barba abradenda antequam nouaculam admoueant, quam acuerunt iam multò antè in cote, oleo illita, vt aptam & affectam ad radendam barbam adhibeant, pelui subiectâ semel, iterum, ac sæpe abluunt partes illius, & mentum, vt sine dolore & mira lenitate, vt nouaculam vix sentiat tondendus, officio suo fungantur tonsores. Sed hunc etiam cerne tunicatum tonsorem, & nudatis quoque lacertis, & ab humeris fasciolas linteas pendentes habentem, propterque seipsum excipula, & primò vittis ligantem brachium, tentantem manu, & attrectantem venas, explorantem illam præcipuè vnde sanguis emittendus est, & immisso scalpello scindentem venum. Quæ simul atque scissa fuit, sanguis auidissimè & bellissimè profluit in excipula, tam magnoque sæpe impetu prorumpit, vt respergat tonsorem, & astantes spectatores, ni confestim oculos & ora auertant. Vsque eò autem profluere videtur sanguis, quoad vena præcluditur, periculo admoto venæ apertæ ad sanguinem continendum: ligare continuò brachium tonsor iubet, ægrotum quiescere, non mouere brachium, maximè noctu, ne laqueo soluto sanguis erumpat, & exhauriatur ægrotans: quod accidere solet aliquando malo ægrotantis, & morte consequutâ fortasse. De cucurbitulis verbum aliquod faciendum est, quas vitreas scimus, & concluſas ab infima parte, à summa apertas, & aliquanto angustiore collo. Admouentur autem vbi corporis aliquod vitium, & redundantia multa sanguinis: neque olim scarificationis munus prætereundum, cum scalpello leuiter ducto cutis partes aliquot inciduntur, quæ scarificatæ sanguinem mittunt, medicorum proscriptione fundendum proiiciendumque foras.

Balnea siue Balneæ.

IN balneas accessisti, & longum iter conficiens, tandem peruenisti leuandi corporis causa, & sordium non eluendarum

darum solùm, sed pristinæ salutis recuperandæ. Adi iam lauacrum, & spoliatis vestibus in solium ingredere, in quo considēs laueris, pectoribus extans. Sic enim labra sunt altiora, ampliora, quæ comparantur in balneas, inde in hypocaustum ad sudandum te confer. Ita quidem futurum puto, vt morbum corporis depellas, tam grauem, tamque periculosum. Nam sudore depelli morbos quis nesciat? & vaporaria istiusmodi succensis ignibus sub pauimentis calefieri, quibus sudet, & humores corporis pernicioſos foras eiiciat, & propellat homo?

Carcer.

INgressus in carcerem vidi cubiculum in ipsis ferè primis custodiæ partibus ædificatum, & in illo instrumenta plurima vinctorum, & supplicijs afficiendorum hominum improborum, fidiculas scilicet, equuleos, vngulas, laminas, neruos, cippum, manicas ferreas, compedes, laqueos, cauterium, taureas catastas, culeum, & alia torquendorum hominum maleficijs præstituta tormentorum genera, quæ fugit ac reformidat oratio numerare. Quid istud rei? vix exciderant ex ore verba huiusmodi, cùm statim visus fui videre machinam, aliquot intentam funibus, quibus ceu fidibus distendebantur facinorosi ad extorquendam facti veritatem. Rei enim reiectis in tergum manibus, fune suspensi, impetu magno in præceps demittebantur. Visus etiam sui cernere equuleum, id est, stipitem acutum, in quem reus impositus cruciabatur, distendebatur, & viscerabatur quodammodo, & quasi dissolui artuum videbantur compages. Vngulæ quæ illæ? quibus corpora laniabantur, quæ laminæ? quæ ardentes corporibus admouebantur, inuenta videntur, tyrannorum, & ab omni pietate alienissimorum. Quò cippus spectat, nisi vt in illum sontium pedes includantur, quemadmodum eodem soluto seruorum, & captiuorum pedes colligantur? Quo nerui, nisi vt ceruices & pedes copediantur furum nequissimorum? manicis manus illaqueantur, compedibus pedes. Iam verò de cauterio quid loquar, cùm candente ferro scelerosi inurantur? Neque virgas omittam, quibus pulsantur fures & infames homines, nudati & spoliati vestibus, in iumentum impositi, vectique per vias publicas, & loca vsitata, causam & numerum flagellorum intenta voce prædicante præcone. Sed iam non virgis cæduntur terga vimineis, sed taureis, loris è bubulo corio. Quis laqueum, quis furcam non audiuit?

audiuit? de qua laqueo suspenduntur, & suffocantur, statim in humeros insiliente carnifice, insidenteque ad spiritum citius adimendum, ne diu crucientur anganturque, trahentes animam in præcordijs conceptam, vim omnem & contentionem pressu corporis adhibente, obruenteque confestim. Sed inter alia suppliciorum genera, culeus mihi timorem maximum iniiciebat, in quem parricida inclusus cum vipera, gallo gallinaceo, simia, ac fele, quatuor inimicissimis animalibus, deiiceretur in mare, vt qui eum interfecisset, à quo susceptus fuerat, careret ijs omnibus, quæ communia sunt aurâ vitali fruentibus. Sed quid affert horroris, distrahi hominem in diuersum, actis equis, trahi, raptarique per vias publicas, iugulari, in crucem tolli, comburi, dissecari, trucidari, obtruncari, manibus, aut pedibus, linguave mulctari, inuri notam ori, vel fronti stigmaticam, & honoratum hominem catamidiari? Quid turpius est, quàm affici pœnâ decoctorum, qui catamidiati dicebantur olim, cùm in theatro deridendi populo præbebantur vniuerso? Nam illa leuia, homines pecunia mulctari, non grandi præsertim; in exilium mitti, prohiberi vrbis aditu, egressu priuatarum ædium. Quæ pœnæ leuiores statui solent, & irrogari pro leuioribus factis, legibus & consuetudini palam aduersantibus.

Precatio contra laruas, lamias, vmbras nocturnas.

PAter Æternus, Filius eiusdem Verbum ipsum, Spiritus Diuinus, tres personæ, & vnus verus & immortalis Deus, in tribus his Personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto consistens, nos precibus integerrimæ Virginis, Cœlitum cunctorum, & Diuinarum Mentium, Spectris omnibus formidolosis, terriculamentis terrorem iniicientibus, laruis, id est, vmbris nocturnis, manijs deformibus, quarum terrificam faciem pueris plorantibus, vt placari possint, & illi plorare desinant, minitari solent nutrices, liberet ædes nostras. Maximè autem supplici prece obsecramus, ne nos aliquo misero fato lemures nocturni, id est, vmbræ vagantes, ante oculos, & ora nostra volitantes, horribili aspectu deterreant: arceat potiùs Deus ab ædibus, à cubiculis, à locis omnibus, ne occurrant nobis, & animos perturbent. Lemures pellantur procul ab aspectu nostro, ab ædibus abiician-

abiiciantur, si qui sunt, qui nos perturbare possint, ne exanimati deficiamus, & aspectu inusitato, valdeque formidando, moriamur repentinò.

Lamiæ.

SI superiora terricula procul à nobis esse precati fuimus lamias, id est, dæmonum effigies, & simulachra teterrima, quæ mulierum formosarum formam induentes, pueros & iuuenes protinus deuorandos blanditijs allicere fingebantur. Amoue, precamur Deus optime ac maxime, & dæmonis aspectum quemcunque terrificum, tetriorem Empusam veterum spectro, infelicius sese inferentem, & intrudentem, vno pede ingredientem duntaxat, quod vel nominare reformidat homo, ne nostris oculis videamus. Nam illas, quas vulgò striges appellari audio, contemno quidem, & deliramenta poetarum duco, quas veteres fingebant volucres esse, quæ immani capite extantibus oculis, rostris ad rapinam aptis, canis iam pennis, inflexis vnguibus, nocturno volatu cunas puerorum appetentes, & sanguinem sugentes puerilem, saginare se solebant, vnde expletæ satiatæque summo stridore discedebant.

Cursus equestris.

CVm equites in plateam conuenissent, vrbis exhirarandæ causa ante cursus faciendos lustrare singuli curriculum cœperunt, ne equi loci insolentia deterriti, in medio cursu deficerent, inde bini à carceribus curriculum incredibili celeritate transmittentes, ad metam vsque peruenerunt, summa venustate consistentes, & eadem alacritate repetierunt cursus alios, recursusque facientes. Videantur cursum gyrare postea, orbes alios & alios inflexu vario multiplicique conficientes, quos dissoluerunt statim cursus auersos inflectentes, & reflectentes incitatos, mirabilesque gyros agentes.

Miles.

ARmemus militem, suisque armis muniamus, pugnaturum hodie, ac primùm thorace ferreo, vel loricâ, ferreis lamellis, quasi squamuis, & annulis consertâ, pectorali, humerali, & brachialibus, ac denique ocreis ferreis. Galeam ille ferat

ferat in capite, cono galeæ apice eminente, ornato suis cristis plumisque versicoloribus. Ac ne qua pars corporis non tegatur, præmuniamus buccula, per quam respirare queat, & libere spiritum vitalem ducere. Accingamus gladio ab vno latere, ab altero sica, & dextra gerat hastam, quam prius, quasi lacessens, & prouocans aduersarios ad pugnandum, venustate summa vibratam, vi & contentione brachiorum iaciat, & immittat stridentem, & aera medium magna celeritate secantem, quò feratur, quò cassura sit, multi spectent, ac metuant aduersarij, vitare lethalem illius ictum omni ratione conantes. Distringat statim miles hic gladium, & in omnes partes summa velocitate versans, punctim ac cæsim feriendo, hos fuget ac fundat, alios cædat, alios occidat, stragem maximam edens. Ac ne quisquam audeat inuadere, præclarè admodum gladio vtentem, meminerimus, vt sinistra clypeum teneat magnum ac rotundum, corpus obtegentem, si non adsit parma, quæ magis ad tempus facere videatur, quemadmodum equites, peltis corpora sua tueri solent ex equis pugnantes. Gladius sit anceps, quo in omnes partes vtatur, neque ictum vllum inferat inanem. Quòd si gladius fortè frangatur, sica, pugione ve inuadat, mortem non perhorrescens: sic enim fiet, vt si hastam ille, non puram, sed præpilatam miserit, gladio, sica, pugione vsus fuerit, si occumbat fortiter pugnans, gloriosam mortem oppetat, aut saltem commilitones non modò alacres & erectos reddat ad pugnam, sed adeò excitet & inflammet, vt victoriam dubiam & ancipitem, vel desperatam consequatur, vel ab initio certam & exploratam habeat: sed in hoc prælio fortiter vehementerque commisso, cùm castra capiunt vel vrbem milites, quot spolijs onusti recedunt? quas agit imperator manubias? quæ fortasse deportauit opima spolia? Quot milites coronis afficiuntur castrensibus, muralibus, ciuicis, naualibus, obsidionalibus? Adde ouales, atque triumphales; quæ propriæ sunt Ducum & Imperatorum. An non miles auro in valli speciem effformato donabatur, qui primus hostium castra pugnando inuasisset? Qui murum primus ascendisset, frondea, vel pinnis muralibus intercisis donabantur. Ciuis ciui, à quo vitam & salutem accepisset, querneam, vel esculeam tribuebat, gratus & memor accepti beneficij. Qui prælio maritimo primus hostilem nauim armatus insiliisset, corona nauali, vel rostrata, nauium rostris insignita decorabatur: vrbem obsidione liberans, corona obsidionali, ex gramine virenti, ex

eo loco, decerpto, in quo erant inclusi, donabatur. Omnium præstantissimæ, glorioſissimæque ouales, triumphalesque coronæ fuerunt: illas consequebatur, qui hostem incruenta victoria profligarat: has qui subactis Regibus, domitisque bello nationibus honore triumphi vrbem ingrediebatur, quadrijugis excelsus; & in albenti veste, S.P.Q.R. in Capitolium vsque comitante, plausu & acclamatione summâ, honore & apparatu reliquo triumphi celeberrimo ista trophæa bellicæ laudis victoriæque insignia, & monimenta rerum præclarè gestarum clarissima ponebat in vrbis locis celebrioribus, statuebat etiam in montium vertice ac summo iugo, ad sui nominis memoriam sempiternam. Sed antequam ad hanc laudis amplitudinem peruenirent milites, quibus laboribus & periculis perfuncti fuerant? Nonne cùm delectus haberetur, conscriberenturque milites, opus erat dare nomen suum militiæ, sacramentum dicere, vt dato iusiurando conscriberentur, num frontem exercitus, siue tergum tenerent, siue fuso exercitu partes agere militares fortiter, & in quacunque cohorte essent, stationem seruare, phalange etiam fracta? Cùm dandum esset signum, vt illud expectabant, sic quadrata acie, cuneoque militari, vt pes pedi, clypeus clypeo, vir viro in acie consereretur, veteri Macedonum instituto? Nonne si copiæ terrestres essent, cum acies ordinata esset, sic cornua peditum, & alæ equitum, dispositæ turmæ omnes, centuriæque, præsidia, auxilia, subsidiaque comparata erant, vt discrimen nullum exhorrerent? Antequam ad pugnam peruenirentur, quemadmodum castra collocari debebant, siue æstiua, siue hybernacula essent? tentoria, tabernaculaque fiebant, è tabulis confertis mutatilia: casæ etiam, id est, tentoriola, è cespitibus & stramentis: lorica castrorum etiam, ad se defendendos: gerræ, crates implexæ castris pro munimento, præsertim terra aggesta impletæ, aggere, vallo, fossa, omni ratione muniebantur: vineæ solito more agebantur. Ad quæ facienda, quos milites labores susciperet, quantum sudare necessarium erat? illa communia fuerunt, pabulari, frumentari, lignari, materiari, vt omni pabulatione, frumentatione, lignatione materiationeque prouideretur. Commune etiam fuit, vigilias & excubias agere, insidiari, speculari, obsidere, facere excursiones, velitari, id est, leuibus præliis contendere, tesseræ mutæ, siue vocali parere, imperata facere, impedimenta seruare, hyeme multas noctes sub pellibus esse, & antequam vel impressionem facerent in arcem, vel coronâ vrbem inuaderent, & in castra

irrum-

irrumperent, vel prælium committeretur, hæc omnia fortiter & constanter tolerare milites. Et cum iam animos paratissimos ad dimicandum viderent hostes, mouere sua castra, nolle pugnare. Imperatoris iussu conclamare vasa, milites colligere, præliandi abiecta spe, in hos palantes & diffusos, auersos & fugientium similes à tergo insequi, donec editâ ingenti strage, & spoliis omnibus potiti milites, hostibus paucis fugâ euadentibus, cùm receptui caneretur, è prælio reuerteretur, partim captis, partim fugatis millibus aduersariorum, multis interfectis exultantes, & triumphantes victoria consequuta. Qua victoria nunciata, cùm agmen contendere audiissent, & in animo esse ad populos & vrbes inimicorum capiendas longius progredi, nuntios de pace miserunt confestim hostes, & quas vellent conditiones, & obsides obtulerunt, & vt in deditionem acciperentur, datis obsidibus orarunt, & suppliciter obsecrarunt. Non illi nefarios auctores concitati belli, principes perfidiæ præpilatis hastis obiecerunt, & maximè quod actis cuniculis vrbem perdendam potius suasissent, quàm vt Romanis in seruitutem se traderent, se satis pœnarum tulisse dicebant, cùm ex militum infinitis millibus, qui è patriis sedibus exierant, vix quatuor mille reuertissent, & ij fere omnes saucij & grauiter vulnerati, præter paucos, qui in fugâ salutem ponentes, ex primis euaserunt. Addebant se conscios esse Romanæ fortitudinis, quorum nemo repertus, qui missione ignominiosa, sacramento soluueretur, honestam autem multos meritos, qui iam emeritis huius militiæ muneribus, stipēdiisq; confectis, præmia suæ virtutis acceperunt, nullâ temporis diuturnitate delenda.

Arma.

SEd rei militaris arma mihi nonnulla describenda sunt. Ordior autem à gladio, qui ex manubrio suo constat, quod capulum dicimus: quoniam ab eo gladium manu capimus: acies ab vna parte, & altera, gladij acerrima debet esse, si gladium ancipitem volumus, & mucrone terminatur. Hunc in vaginam condunt homines, & ad se defendendos distringunt, in vaginam recondentes, cùm se defenderunt, vel punctim vel cæsim vulnus aliquod intulerunt, sed mucronem conto decoratum aspice ferreo, nitenti, vel deaurato.

Telum.

TElum longum est, non purum, sed præpilatum, ad illud obiiciendum inimico, vt se contineat, vel ad traiiciendum, si defensori, nullo malo, nec iniuria facta, velit officere, si telum gracile sit, vt illud pugnus capere possit cùm velit, & vibrare venustate mirâ, deinde vi contentioneque brachiorum in aduersarium intorquere. Horum signum erectum, vel supinum, medium interiectum hastatorium, militum cohorte stipati signiferi, gradu composito ad militiam progredientes deferunt, & cùm opus est, milites impressione factâ ab hostibus tutantur atque defendunt.

Scutum.

SCutum rotundum est, & ex ære factum, totum maximo nitore splendens, & ab ora suo limbo quasi quodam ornatum tortili. Vmbo medius eminet acuminatus insertis clauiculis, quasi emblematis ornatum est. Quod auersum concauum est nonnihil, quod ansâ ferreâ capientes milites obiiciunt, & opponunt, ad caput, & corpus ab aduersariorum ictibus propulsandum.

Sagitta.

VIdeo sagittam longam, acuminatam illam, vncino suo ad infigendum acutam, alis ab vtraque parte constantem, ad suam celeritatem significandam: crenam habet, vt neruum admittat, incisam, quæ ex arcu emissa stridore multo, multaque celeritate medium aera prætetuolat.

Arcus ballistarius.

ARcus ballistarius scapo tecto & directo brachium ferreum ab vtraque parte inflexum, intortumque sustinet; ab vtroque vero cornu, cuius crenis immittitur vtrinque neruus, vt vnius fibula, siue hamus, siue osseus vncus in epizygin inseritur. In quem vbi adductus est neruus, vi forficis vncinarij intento arcu sagittarius spiculum iaculatur, prius collimans, vt rectam ac directam, & euro velociorem, stridentem, & medium aera secantem emittat.

Funda.

SEd iam de funda, quæ à fundendo dicta, è funiculis facta quantam vim habebat ad fundendos lapides, cum lapidem in scu-

in scutale impositum in gyrum acta funda, ad maiorem vim adhibendam, post vnam aut alteram conuersionem fundibularij mittebant? Lapis emissus ab scutali, stridore magno fragoreque ruens in aduersarium ferebatur.

Sclopi.

SClopi noti sunt, à fictitio sono, qui complosis buccis editur, appellati, qui puluere tormentario infarti, quibus glandes igniario fomite admoto, non minus atque æneis tormentis maiores globi, strepitu, fragoreque terrifico mittuntur.

Tormentum.

MAximæ subtilitatis, & operis admiranditormenta, oblongi tubi, similitudine, ex ære fusili formantur. Quæ non funibus aut neruis intentis, singulas mittunt sagittas, sed inexcogitatâ priscis ratione, ad applicitos tenui à tergo foramini igniculos, cum incremento multiplici rapiendos, certo primum nitrati ac sulphurei pulueris modulo temperato, infertos ore patente ferreos ex arte globulos, catenasque, & alia obturamenta, fulminum instar, flammis eructantibus, horrendo fragore contorquent. Cuiusmodi complura de more dispositа, & collibrata ad nauium feneſtellas milites habent, & suo tempore horrifico strepitu displudunt. Vix autem displosa sunt, cùm primum atro fumo repleri obducque loca videntur proxima, & oculis obduci nocturna caligo cunctorum, vt neque videre seipsos, non naues, non cœlum etiam intueri valeant. Fumo intermicare fulgura conspiciuntur, & oculis obuersari penitus aciem perstringent a, & crebra quasi tonitrua sereno cœlo exaudiri, denique lacerari, exanimesque complures traiecti globorum diritate ferreorum iacere, nauigia partim deprimi, partim lacerari, multis ex partibus conflictari, ad quæ reficienda tempore opus esset, & fabrorum operis vsitatis.

Bellicæ machinationes veterum.

NOn enumerabo machinas omnes bellicas antiquorum, sed nonnullas. Atque hama sit prima, quod ad compescendum ignem, & siphones incendiarij, siue situlæ incendiariæ ad extinguendum, quibus properabant, & festinabant omni celeritate malleolos inflammatos, id est, manipulos sparteos, pice ac sulphure oblitos, & de muris deuolutos incendij causa, quo-

niam flammam concipiebant maximam, extinguere. Atque murices, id est, tribuli, machinulæ ferreæ tetragonæ, aculeis extantibus infestæ, quæ spargi solebant aduersus hostiles eruptiones. Testudo autem tabulatis contexta, & crudo corio, aut cilicinis centonibus contecta, aliave materiâ, quæ non facilè exuri posset, trabem intus habebat funibus suspensam, quæ ad lapides è muro euellendos, vnco ferreo, quasi falce, præmunita, modò exerebatur, modò subducebatur, ad testudinis viuæ, modò exerentis caput, modò subducentis, speciem & similitudinem, vnde testudo dicta. Ad cuius modum congregata militum multitudo, consertis scutis tecta, aduersus lapidum impetum, aliorumque telorum desuper incidentium testudine factâ stare solet, & deiectorum lapidum telorumque vim excipere repellereque, scutis tutans sese, defendensque fortissimè.

Aries.

NOn dissimilis est arietis machina, quæ similiter tabulis contexitur, ac ne exuri possit, corio, siue cilicio vestitur, intrinsecus continet trabem, cuius caput duplici ferro bifurco præfigebatur. Milites eius impetu magno verberare muros, dissicere lapides, deturbare, ac subruere poterant. Non immeritò arietis nomine dicta fuit hæc machinatio belli: quòd arietis speciem præberet, qui cornibus hinc indè durissimis percutit, & ad inuadendum, vt maiorem adhibeat vim, & vires accipiat maximas, retrocedere solet, multò antè interuallo cursum celerem & incitatum susciens.

Vinea.

VInea machina erat alia bellica, quæ in latitudinem pedes octo, in altitudinem septem, in longitudinem sex & decem patebat, tecta duplici ligno, cratibusque contexta. A lateribus vimine sepiebatur, ne saxorum ac telorum impetu perfringeretur, & contra flammarum ardores coriis tegebatur crudis & recentibus. Cùm plures erant milites ordine coniungebantur, & sub vineis oppugnantes, tutiùs ad muros subruendos procedebant. Sicilli aggere, vineis, turribus, castella, vrbesque oppugnabant, vtentes aliis tormentis.

Plutei.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0448
DFG

Plutei.

PLutei, qui speciem cassidis præbebant, contexebantur è vimine, & coriis protegebantur, ternisque rotulis, quarum vna in medio, duæ aliæ ipsis in capitibus erant appositæ. Quamcunque in partem vellent, oppugnatores admouebant: maximè tamen ad muros applicabant, sub hisque latitantes, sagittis, aut aliis missilibus, de propugnaculis deiiciebant detrrbabantque defensores: vt interim scalas admouere, ascendere muros, inuadere vrbem, ac diripere possent.

Cuniculi.

CVniculos agere ad vrbem, vel arcem capiendam solebant Imperatores, vt cùm palam, & viribus vrbem capere non possent, dolo ac fraudibus, foraminibus sub terrâ occultis vrbes suffodiendas curarent, nimirum ad cuniculorum similitudinem, qui sub terrâ cuniculos facere consueuerunt, vt in agris latitent.

Agger, vallum, fossa.

VIs agnoscere industriam Imperatorum in castris muniendis? tria hæc mentis oculis complectere, & milites in aggerenda terra, illos in vallis defigendis, alios in aquarum receptaculis defodiendis occupatos intelliges. Aggere enim, vallo, fossáque castra muniebant. Milites enim vallos, id est, palos circunferre solitos accepimus, & vbi castra posituri erant, humi defigere, terramque illis aggerere, vt tuti essent ab hostium irruptione, fossasque in altitudinem ingentem aquarum sæpè perducere, vt tutiores essent.

Descriptio libri.

QVàm præclarè compactus est, & constructus liber hic, concisus & refectus ex omni parte æquabiliter scalpello ducto, & minio illitus, vel alio colore pallido vel rubro nitens. Tantum marginis in illo relictum est, quantum opus est ad notas librorum, & locorum indices excusos. Coopertus est ille non membrana, sed aluta tenuissima politissimaque, & ad speciem & ornatum vmbilicis pulcherrimis, & in medio clauiculis decoratus argenteis, & in extremitatibus laminulis ex eodem argento perforatis & elaboratis. Ille clauditur & aperitur ex animi sententia vncinulis argenteis in orbiculos in-

sertis & extractis. Dominus tanti librum habet, vt aureo & argenteo colore totum inuolucrum illeuisset, picturis exornasset variis nisi quotidiano vsu deformari, defloresscere vetustate, & omnes flosculos decidere, deletique omnino vidisset. Sed planè glutinator egregius artifex constructorum videtur esse librorum qui sic construxit & conglutinauit librum, vt folia mirificè cohærentia, & glutino deuincta nunquam solui, neque coagmentatio libri destrui posse videatur. Sic ad compingendum malleolo contusum prius & complanatam reddidit, ad explendam & absoluendam omnibus modis tanti libri constructionem, coagmentationemque mirandam.

Literæ scriptæ.

LIteræ manu Antonij, non alienâ scriptæ, re omnia, quæ in literis scribendis, & dandis desiderari solent, continent, vt in chartâ purâ, non bibulâ, & in Augustâ, & parum à Claudianâ distante scriptæ sint: Duæ autem paginæ completæ, cùm in philyra exaratæ fuerint literæ leuigata elephantino dente, tum in capite, & in margine tantùm albi relictum est, quantum ex officio & elegantia communi relinqui solet. Cùm subscriptæ fuerint ad extremum, aureis puluisculis perfusæ ad caracteres exsiccandos, ne puluere, quod accidere solet, aut literæ deformarentur, aut delerentur vel minimùm. Sic micabant & splendebant aureo perfusæ nitore, & atramenti bonitas magis apparebat, & cernebatur, & quàm aptus ad scribendum non solùm calamus fuisset, sed manus auctoris scribendi peritissima. Prætereo hic notas, formam, & venustatem, laqueos, literarum inflexiones, nonnullarum terminationem. Ad illud tandem peruentum est, vt complicentur, postquàm illarum oræ præcisæ fuerint. Quæ cùm obsignatæ signo scribentis, & stemmatis insignitæ generis & familiæ, inscribuntur, & puluisculis eisdem, qui theca pulueraria continentur, aspersæ cùm aliis dantur tabellario in fasciculum coniectæ. Tabellarius literas viro, cui inscriptæ fuerant, reddit, & cùm sigillo obsignatas, & filo lineo alligatas constructasque suo, & accepto fasciculo. Ille, cui redditæ literæ fuerunt, primùm linum incidere incipit, & properat à signo euellere, inuolucrum discerpere, euoluere totum fasciculum, literas ex ordine singulas legere, &, vt debuit, & res exigebat, quam breuiter expediens tabellarium, & mercedem

pro

pro vectura, quæ præfinita erat in litera um inscriptione, soluens, respondit.

ORATIO IN ARITHMETICI laudem ex adiunctis.

COmmendant aliqui Dialecticum, multi Philosophũ, non pauci Iurisperitum, innumerabiles Rhetorem, decus & lumen cunctarũ artium & disciplinarum: ego Arithmeticum ab ijs, quæ in sua facultate insunt, laudare non desinam hac in oratiuncula. Qui imprimis cùm in arte veteri, nobili, fructuosa, & necessaria versetur, quis eius operam, & studium diligens non commendabit? Ex Mathematicis nihil Arithmetica quidem antiquius, quæ cùm viam pate faciat ad cæteras artes, vel secum propinqua cognatione coniunctas, vel longo interuallo disiunctas, atque remotas, ortum suum habuit & originem rudem imprimis & impolitam, more aliarum facultatum, paulatim auctam & amplificatam, & ad summam absolutionem prouectam. Auctores enim illius fuerunt Sidonij, ob numerorum cogitatam rationem, ad nauigationis, qua illi plurimum excelluere honestè rem quærentes mercaturis faciundis, cursus necessariam. Cui plurimum incrementi dedit Pythagoras, materiam relinquens alumnis, Ægyptijs, & Arabum Doctorum generi, vniuersisque Græciæ doctoribus augendæ locupletandæque magis ac magis Arithmeticæ, varijs problematis & theorematis illustrandæ clarioribus. Cuius nobilitas atque præstantia, cùm omnes Mathematici in magna rerum obscuritate, & recondita arte multiplici ac subtili versentur, quanta & quàm illustris erit? quæ non aliorum more repat, & ad vulgaria, & in promptu posita se abijciat; tum ea omnia, quamuis obscura, & à communi intelligentia remota, tamen patenti illustríque demonstratione, clara reddit, & illustria, & ante oculos statim, in claro & illustri lumine, vt dubitandi locus detur nemini. Quamobrem commendanda magis, quæ simplicem & apertam veritatem, inuolucris ac tegumentis omnibus detractis, sine fuco, sine fallacia visendam spectandamque proponit, Platone teste in Philebo, seu dialogo, qui de

ſummo bono inſcribitur. Quòd ſi dignitas ex illorum ſplendore ſpectanda, qui maximè florent in orbe terrarum, Arithmetica, quæ Regiâ celſitate digna eſt, quantum habet ſplendoris inter alias artes? At id planum fieri vis, tibi enim quinam iſtud credibile, qui Reges hac arte inſtructos non videas? Nihil laboro de Regibus Arithmeticam non tenentibus, illud dico, ſuæ dignitati maximè conſentaneum, quod vel paucis verbis tibi probari debet, alijs non modò probatum, ſed literis conſignatum vetuſtioribus. Cùm enim valeat Arithmetica ad honeſtatis ſtudium, Regemque oporteat ſummis honeſtatis opibus exornari, & dignitatem ſingularibus virtutum ornamentis illuſtrari, poſſumus ne quidquam elegantius excogitare, quàm numeros virtutis & honeſtatis abſolutos, quos ex Arithmeticæ muneribus in Regios vſus poſſumus aſciſcere, quibus facilius ad ſummum Rex ipſe dignitatis gradum perueniat? ſed agè iam in vna re militari videamus. An Regis officium facere poteſt ille, qui numerare neſcit? Quomodo enim ſine abſolutâ numerandi ratione exercitum in bello recenſebit? quo ordine caſtra locabit? aut qua ratione pro militum numero aciem inſtruet, ſi numerandi fuerit imperitus? Deinde quomodo præmia pro virtutis ratione diſtribuet? æquitas enim in præmijs atque muneribus rarâ portione & numero continetur, ita vt ſine Arithmeticâ iuris conſtantia conſeruari non poſſit. Iam verò in pace, quam rationem vectigalium habebit is, qui numerorum prorſus inſcius fuerit? Vt enim paterfamilias domum ſuam tueri & ſuſtentare nequibit, niſi in re familiari diligens & attentus fuerit, ita neque poterit vllo modo ſaluas & incolumes Reipubl. partes conſeruare, niſi vectigalium rationem penitus exploratam habuerit. Aliter enim Rex neque bellum mouere, neque vrbes munire, neque præſidia collocare, neque dignitatem tueri, neque hoſtes repellere, neque pericula propulſare poterit. Pecuniæ illum in medio apparatu deficient, copiæ non cogentur, omnis apparatus bellicus intermittetur, præclarum aliquod facinus, toto Regno diuulgatum, & exteris gentibus non ignotum, moliente. Omnes pecuniarum, & ſumptuum rationes ſunt Regi putandæ, quod ſi non fecerit, omnia quidem officia conturbabit. Sed illa iam in Arithmetica inſidens vtilitas, meam ad ſe vocat orationem. Cuius vel illa commoda, quanti ducenda ſunt, cùm ingenium acuat, memoriam confirmet, animum & ad agendum, & intelligendum maximè facilem & expeditum reddat? At-

que

que illud Plato tradit in Epinomide, numerum ab ipso Deo hominum generi traditum, tanquam donum & singulare rationis ad inuestigandam eruendamque è tenebris in profundum demersam veritatem. Quæ nisi adsit, nihil mente percipiatur, nihil stare potest in hominum societate tuenda, iuris & iustitiæ repagulis perfractis omnibus. Quò me verò sacræ literæ vocant? quò fabrica hæc mundi elegantissima, cœlum, æther, aer, maria, infima terra, omnia, quæ sub oculorum aspectum cadunt, quò meam mentem abstrahunt, & ad se totam conuertunt atque compellunt, vt sacrarum literarum scientiam ex Arithmeticâ magnâ ex parte pendere, & spectacula huiusmodi gloriosa, testes potentiæ magnificentiæ, liberalitatis, & sapientiæ diuinæ edita à tanto tamque supremo opifice & architecto rerum omnium recognoscam, cùm in ijs, quæ ex sacrarum literarum monimentis accepimus, tum ex numero, in quo omnia consistunt, & perficiuntur absolutione mirabili. Quod si non aliam vtilitatem caperemus, nisi spectandæ contemplandæque mentis numeris suis absolutæ, facultatis huiusce magni ducendæ præstantiam maximè spectandam, appetendamque rationis participes censeremus. Quantum verò scientiæ comparat Arithmetica Auenzoaris viri Babylonij & scientiæ reconditæ? virum fuisse præclarum, & altâ sententia decoratum, Abumasar auctor est, & scire omnia & nosse perfectius eum & absolutius, qui numerorum scientiam teneret, docuit. Quod ideò prædictum intelligite, quia veteres illi, qui varia admirabilique rerum cognitione præditi fuerunt, acri suo intelligentique iudicio, Arithmeticæ commodorum non inscientes, à trita peruulgataque ratione prælatum philosophandi munus ad numeros mira progressione reuocarunt. Quam excoluit omni studio Pythagoras, Aglophemus, Plato; reliquiq; magni præstantesque Philosophi, ad gradum scientiarum adipiscendum, magnis laboribus vigiliisque expolierunt. Inde illud Platonis, hominem ea de causa animal esse sapientissimum, quòd numerare nouerit. Hinc Oratorem, Philosophum, Medicum, Iurisperitum, Theologum omnibus numeris absolutum & expletum dicimus, cum tantum singulis in facultatibus, & disciplinis maximis consequutus fuerit Doctor aliquis sapientissimus, quantum possit ille consequi cœlesti quasi mente præditus, vt nihil supra, nihil sit, quod ad explendam hominis illius tanta laude cumulati sapientiam

cogi-

cogitari, vel desiderari possit amplius. Quod confirmauit Princeps Philosophorum Aristoteles, homini ex cunctis animantibus sapientiæ principatum tribuens, pro summâ, quæ in illo inerat principe, cognitione numerandi. Sed repeto illud quod superius attigi: Quare præclarè nimis & insigniter in Dei cognitionem venimus? numerorum ratione. Quare egregiè nimis animos ipsos, ipsis corporis compagibus inclusos, cum corpore inire societatem hanc putabimus? numerorum absolutione. Tolle concentum & harmoniam numerorum, & illam insignem stupendamque seriem, aliam ex aliâ pendentem, & quamcunque mirabili cognatione copulatam, dissoluetur protinus & interibit arcana corporis vis, quæ societatem tantam iniuerat, atque conflauerat. Hinc veteres illi Sapientes animum appellarunt numerum se mouentem. Hinc decretum illud Pythagoricorum, numerum proanima rationis participe accipientium. Hinc illud sapientium aliorum naturale principium fabricæ ratione suâ ac mente præcelsâ vtentis numerum esse, quippe bruta animantia rationis expertia, minimè numerant. Vultis scire rationem? afferam. Accipite, & ad Arithmeticæ præstantiam satis celebrandam memoriæ commendate, & quidem ex definitione rei naturam explicante. Quid enim est numerus? nihil aliud profectò, nisi explicata ratio. Quid enim est aliud per numeros rationem quidquam explicare, nisi rationem ipsa se vti. O mirandam Arithmethicæ laudem! O singularem præstantiam! O veras ac solidas vtilitates! Cuius in visceribus ac medullis, cùm ipsa mens sedem ac domicilium habeat, quid maius expetam? cum ratio, quæ præcellit tantopere, & à brutis regium & excelsum animal hominem disiungat, & ad diuinam similitudinem adiungat, suis donis ab muneribus luculenter sit affecta. Narrabo rem egregiam, & laudes Arithmeticæ superiores confirmantem. Iactatus homo grauissimâ tempestate, tandem iectus in littus & terram despiciens, lineas nescio quas, vel formas ac figuras Arithmeticæ Geometriæque primum despexit non parum impressas, gauisus, & prætiliens illicò, conuersus ad comites, gratulatus est continuò de terrâ ab hominibus cultâ, & nullo perspecto quidem homine, sed vestigijs ipsis notisque Arithmeticæ Geometricæque ductus. En rationem ipsam facultati huic tributam, donumque ac munus proprium hominis, mentem, qua nihil à Deo generi mortalium diuinius donatum est. Sed quid his oratione prouehendis moror, cùm

in

in Arithmetica ratione insidente Deum immortalem, summum opificem & architectum liceat præcipua quadam religione suscipere, qua præditus est in omnes partes interminata sua infinitaque maiestate? Nam si Deus ipse est mens præstantissima excellentissimaque, qua nihil celsius, nihil potentius, nihil diuinius esse potest, mens autem hæc est spiritus quidam omnibus, qui cogitari possint, numeris absolutus, vt omnes, vt omnia quæcunque cœlo, terraque continentur, ad tanti spiritus celsitatem comparata, sunt sicut species quædam & adumbratio, relinquitur id profectò, vt vel nominis interpretatione, quæ immortalem Deum attingit, altiore iure celebranda sit Etymologia. Neque iam mirari debeamus, deditos huic facultati capere non vtilitates modò mirificas, sed iucunditates voluptatesque tantas, vt illarum dulcedine à sensibus abstrahantur suis, in illius studium suauissimè iucundissimeque incumbentes. Ex quorum numero Arithmeticorum innumerabilium Archimedes memoratur insignis, qui in Syracusarum graui vehementique obsidione, capta iam vrbe, nec horrisono armorum strepitu, nec militum effrænato præcipitique furore, nec fœda suorum ciuium cæde, neque mulierum plangore & eiulatu, nec dissonis & horrendis omnium clamoribus, potuerit ad aliquem publicæ calamitatis & exitij sensum perduci. Adeò namque erat formis, quas fortè tunc radio in terra describebat, intentus, vt priùs quàm ciuitatem captam esse sentiret, fuerit à milite, qui in illum inciderat, interfectus. Nec me mouet, quod de Lycurgo Lacedæmonum Legislatore in Arithmeticos maleuolorum sermonibus in circulis iactari, vel, quod audaces non metuunt facere, in publicis Gymnasijs loco criminis ac probri maximis multis verborum fulminibus conferri audio, Lacedæmonum finibus eiectam & relegatam fuisse facultatem suam. Quod enim tam optimum, quod æquè omnibus gratum & acceptum fuerit, quodque non multis bonis incognitum, aliarum, quas ipsi damnarunt, rerum seruandarum studio, non abiecerint, atque adeò amandauerint à suis oculis. Neque pluris nobis erit Lycurgus, quàm Aristoteles, quàm Plato, quàm Pythagoras, quàm alij Græciæ Sapientes, quibus cedere debet Lycurgus ipso nomine sapientiæ. Cõcludo igitur, Auditores, & ex superioribus Arithmeticæ laudibus, nostrũ Arithmeticũ in hac arte tã præstantẽ, omnibus afficiendũ laudibus, quòd rem tam antiquam, tam nobilem, tam vtilem

rebus

rebus publicis ostendit: quod eum adiutorem non solum reliquarum artium, sed ducem & præceptorem habeatis: quòd omnis scientiæ, doctrinæ cuiuscunque, sacrarum literarum interpretem maximum, & bonorum studiorum amplificatorem obtineatis: quòd hominis excellentia, quòd ratio, quòd mens ab Arithmetico exculta perfectaque celebretur: quòd Arithmetici laus tanta tamque multiplex fuerit, vt Grammatica primùm, deinde Poesis, tum Dialectica, denique cæteræ artes atq; disciplinæ, Arithmetico se debere plurimùm fateantur. Inter illas ars bene dicendi, cuius proprium est, numerosa volubili concinnitate in auditorum aures suauiter inflectere sermonẽ, si cùm operum Dei admirabilium, cum Dei ipsius potentissimi, supremique rerum omnium opificis recordemur, necesse est istius artis memoriam in mentes venire continuò nostras, suorum animos subeunte absolutione numerorum. Nos istius igitur viri, cùm alijs, tum diuersarum artium Arithmeticæ dotibus maximè instructi laudem hodierno die cunctisque oblatis occasionibus celebremus, vt ex sapientium numero potiùs fuisse, quàm vnius Lycurgi, & aliquorum fortasse obtrectatorum calumnijs aures dedisse videamur. Quod nos eò studiosiùs facere debemus, qui non veterem, sed Christianum Arithmeticum debitis honoribus affecisse dicemur. Dixi.

ORATIO IN GEOMETRÆ laudem ex adiunctis.

LAVDAVIMVS nouo modo Arithmeticum Arithmeticæ commendatione breui, laudemus Geometram in eundem modum breui concinnaque exornatione Geometriæ. Nam quæ laus Matheseos priori datur, & eadem debetur alteri proximum tenenti locum. Quis enim Matheses laudaturus, ab Arithmetica non fecit continuò gradum ad Geometriam? Hoc veteres & recentiores suis accuratis & exquisitis laudationibus præstiterunt, quorum ordinem sequutus ego, in Geometriæ laudes egregias ingressus, non abertasse videbor à recta legitimaque ratione

tione laudandi. Atque in illius laude, vt in enumeratione potissimum versetur inuentionis, præstantiæ, & vtilitatis: Auctorem & ducem illius præstantiam Geometriæ nobis ostendere facilè omnes intelligent, cùm Ægyptij, sapientiæ quondam fama ac celebritate commendati, eam inuenisse dicantur, sicut & alias res ingenio, industria, labore, acumine, inuestigatione dignissimas. Atque hac multi ratione ducti, quòd ea cum maximè indigerent quærendo inuestigandoque ad Nili inundationem apposita præclaraque remedia, tandem primò foras emiserunt Geometriam paruulam, & vagientem in cunis, quæ sic postea adoleuit, locupletata & aucta maximis incrementis, vt ad eam, quam scitis, summam amplitudinem peruenerit. Causa autem inueniendæ Geometriæ ea fuit Ægyptijs. Illi Nilum fluuium longissimum, altissimum, vastissimumque habent, vnum ex maioribus totius orbis fluuijs, trahentem limum, quo inundans & effundens sese oblimat, & opplet Ægypti totius agros. Cum tota æstate tenuerit obrutos & oppletos, recedit, mollitosque & oblimatos, & ad serendum affectos relinquit. Quamobrem necesse quidem erat oriri quæstiones multas inter illos, dissidia, & lites concitari de limitibus agrorum internoscendis, quos sæpe dijudicare non poterant, paucis etiam amantes, & cupidi tollendarum litium potius, quam controuersiarum, quæ ad vexandas & euertendas familias spectant, constituendarum, finibus ipsis agrorum limo obrutis & pereuntibus omnino, & suorum inscijs & ignaris dominis non rarò prædiorum. Inde Geometria, inde tantæ facultatis inuentum, inde tantum & tam singulare donum. Atque Ægyptus, vt quæ propria sunt huiusce instituti dicam solum, scientiarum parens erat, studiorum officina, eruditorum hominum fœcunda colonia. Ad quam ex varijs quondam terrarum partibus, ex Græcia vniuersa literarum inuentrice, tot Philosophos, & in omni literarum studio præstantes, non discendarum solum scientiarum, sed inuisendorum saltem hominum doctissimorum, iuisse, & cum illis Doctoribus multos annos commoratos fuisse non ignoramus. Sed de his auctoribus non solum Geometria gloriari potest, sed de Principe, de auctoritate literarũ, de nuntio Deorum, de Legato Iouis, de maximo eloquentiæ inuentore Mercurio: qui non solum Geometriæ antiquitatem, sed dignitatem ostendit. Quæ quantum honoris affert alumnis, cum non ita facilem & expeditam, ita patentem

omnibus

omnibus ad discendam se præbeat, vt priuato studio, inter domesticos parietes discere possit eam aliquis, & comparare, quemadmodum alias artes, & disciplinas sciens Latini sermonis adipiscitur, nulla frequentatione Gymnasiorum. Sed opus est futuro Geometræ duce ac præceptore ad colendam huiusmodi facultatem, quæ tot gyros ac Meandros obscuros, & inexplicabiles habet inuolucris, & tegumentis planè inaccessis obstructos. Pulchra quidem, quæ difficilia: id est, difficilia, plena honoris, plena dignitatis. Quam difficultatem, vt superarent Geometriæ studiosi, dictu est incredibile, quàm præclaros & excellentes præceptores, & scriptores hæc ars egregia consequuta fuerit. Multi insignes non commemorantur, quòd literarum monimenta posteris relinquere noluerint: sed ex illis, qui in hominum memoriam venerunt, Archytas, vnus Tarentinus fuit, ad cuius laudem eximiam satis esset, Platonem ei sedulam in Geometria nauasse diligentiam. Dicæarchus Siculus non in exiguo fuit honore, Geometra ætate sua clarissimus, qui Regum cura montes permensus est, altissimum prodens Pelion, & passuum nescio quæ spatia tollens sublimiora & exigens ad perpendiculum. Huius honorem adæquauit Dionysius Afer, Byzante natus. Quis ac quantus fuit Eudoxus Gnidius, primus Geometriæ demonstrationes, sensu, & instrumentorum exemplis edens vnà cum Archyta præceptore, qui quanquam à rebus corporis expertibus, & à cogitatione, ad ea, quæ sensibus perciperentur solum, deflectentes, Geometriæ dignitatem imminuere visi fuerunt, non tamen Platonis probris exagitandi adeò, qui Platoni, qui multis alijs à superiore parte tollendam euehendamque Geometriam reliquerunt. In horum numero ponantur Eupompi Macedones, Marini Tyrij, Pausaniæ Cæsarienses, Polemones Helladici, Ptolemæi Ægyptij, Cylaces Cariandæi, & alij multi, quorum hi in terræ, alij in maris, alij in montium, alij in cœli ipsius dimensione, atque adeò singulorum cœlo inhærentium globorum spatijs dimetiendis summa cum laude versati fuerint. Neque in oratione mea pono Platonem, Aristotelem, Pythagoram, quanquam Geometræ magni atque præstantes, & ingeniorum Inuentis, & acumine celebrati fuerint, aliorum tamen studiorum gloria magis doluerunt. Gloria tamē Archimedes, gloria Euclidis alacris, & erecta per omnium ora volitat, & auget magnis quidem incrementis Geometrarum dignitatem & nomen immortale,

Quo-

Quorum de laudibus maximis nulla vnquam sæculorum ætas conticesceret. Hi omnes magistri magni fuerunt, & exquisiti Geometriæ parentes, illustres & præclari admodum Amplificatores. Nostis quæ Euclidis scripta iactentur, quæ explicentur in Academiarum Gymnasijs, quæ in eundem plurimorum explanationes, qui cùm aliorum tum Patris Clauij è Societate Iesu commentarij in vulgus exierint, & omnium Geometrarum laboribus & vigilijs euoluantur. Nos pauca de Archimede dicamus ad Geometriæ dignitatem, quæ licet nota sint omnibus, silentium tamen eorum nostram obscurasset orationem. An illud pulcherrimum Archimedis factum parum dignitatis affert Geometris, qui nauem ingentis & stupendæ molis, quam omnes Syracusani loco dimouere non poterant, ab Hierone suo Rege constructam, & Ptolemæo Regi mittendam, multis mercibus & rebus pretiosis oneratam, vnus Archimedes loco dimouit, & subduxit inuentis & machinationibus Geometricis, præsertim stupore maximo, & Regis ob eam causam cunctis in rebus, portenti ac prodigij similibus, Archimedi nunquam non habendam fidem, voce confirmante quàm intenta? Alterum eiusdem Archimedis, non iam vnum, sed plura facta, qua dignitate præditam esse testantur Geometriam? Marcelli grauem vehementemque obsidionem, vnâ, alterâ, tertiâ, plurimâ machinatione Geometricâ remorari potuit: Qua vrbe capta, quia iam nescio quibus de causis non obsistente Archimede, neque contra bellicas veniente machinas, publicè edicit Imperator, vt in miserrimâ luctuosissimaque Syracusarum vastatione, cædeque cruentâ, omnis sanguinis profundendi exultante militari licentiâ, ab Archimedis internecione milites abstinerent. Quòd verò vnus improuiso, vel insciens Geometræ tanti cor gladio traiecit, quanto in dolore fuit Marcellus exactissimi morte Geometræ? quibus illum honoribus affecit? quâ gloriâ sepulturæ decorauit? quibus artis suæ cohonestauit insignibus ad Geometriæ nunquam interituram gloriam? Cui mortuo, qui honorem tantum habuit, quem haberet Imperator viuo? quo in loco poneret, quàm illustri & excelso? quibus immunitatibus afficeret, & prærogatiuis vestrum omnium cogitationi relinquam, potiùs quam parum ornans, nec minimam partem attigisse videar orationè? Illud etiam quidem & glorioſum de eodem Archimede celebratur. Cùm Cicero prouinciam Ciciliam Quæstor lustra-

ret, & ineederet in Archimedis sepulcrum, tanti fœlicitatem hanc habuisse Eloquentiæ principem scimus, vt in eâ per omne vitæ suæ tempus gloriatus fuerit. Multa alia de Archimede afferre possem, sed ex hoc cæteros Geometras conijcite, vos verò admirari definite quæ fuerit Græcis sapientiæ principibus, tantæ huiusce facultatis scindæ cupido, quæ Platoni, quæ Pythagoræ, quibus amplissimam & carissimam fuisse Geometriam accepimus. Causa enim satis explorata videtur, & quæ ad vtilitates plurimas & maximas generi mortalium allatas tota confertur. Ea enim est Geometria, quæ infimis, mediocribus & summis hominibus, & terrarum principibus vtilis est ac necessaria. Quippe quâ agricolæ, nautæ, Imperatores, Reges ipsi, omnis homo generatim, & speciatim, infimas & sordidas artes, atque ingenuas & liberales tractans, indigeat, neque quisquam suum officium facere possit, cum aliquâ laude, nisi Geometrica consequutus. Huiusce artis præsidio, & elementis omnes latitudines, longitudines, altitudines, profunditates agrorum, montium, insularum, fluminum, maris, adipiscimur. Eiusdem ope dimensionem, atque diuisionem, omnem in cœlo syderum per instrumenta obseruationem, omnem horologiorum vim, & ponderum rationem, omnem rerum apparentium speciem, tam variam ac multiplicem, speculis in fulgentibus, & in alijs perlucidis splendoribus apparentem, in picturis, in aquis, & in aëre variè illuminato prospectam accipimus. Huius artis facultate totius mundi machinæ medium ac centrum, cardinesque, circa quos conuertitur, inuenimus, & orbis ipsum figuram & quantitatem exploratam habemus. Huiusce scientiæ elementis vim cœli vniuersi, syderumque ratam & constantem conuersionem, ortum, occasum, abitum, reditum, ascensum, descensum, diei ac noctis, temporum toto anno per totum terrarum situm & circumscriptionem, & mundi ipsius inclinationem, tam mirabilem varietatem & vicissitudinem cognitam habemus. Huiusce scientiæ adiumento coniunctos & oppositos planetas, & aspectus varios, tam faciles & expeditos habemus, vt loca illorum in cœlo, & defectiones solis & lunæ, multò antequam sint, in posterum tempus Mathematici prædicere possint. Huius etiam artis beneficio, & elegantissimam totius mudi fabricam, ante conspectum nostrum positam, mentis oculis obiectam & obuertantem videre possumus. Ac ne plura, quæ innumerabilia sunt, persequar, ad ipsam Empyrei cœli, quatenus imbe-

imbecillitas ingenij humani ferre potest, cognitionem & scientiã eius ope ascendere possumus. Atq; illud, quod incredibile est hominibus, & omni fide quasi superius, credibile fiet, & planum oculis ostendetur Geometricorum munere præstantissimo. Non longius abeam, quam vt istud credibile faciam, Archimedis ipsius testimonio, qui dicere non dubitauit, propter suæ artis præstantiam excellentem, quod portenti, ac prodigij simile videretur, si terram aliam haberet, in qua vestigium poneret, hanc nostram, quam incolimus, è loco se commouere posse. Cuius illud factum non est prætereundum, & ad Geometricorum vim agnoscendam, qui Syracusis, coronam ex auro argentoque confectam, quam Rex summâ arte fabricari iusserat, non dissolutam, & singula auri & argenti pondera, quæ inter se artificis fraude ac dolo commixta erant, subtiliter ostendit & indicauit. Satis præclara fuerunt superiora ad Geometricorum laudes, sed ego non his contentus esse possum, qui diuinis volo contendere, Geometrica commendans. Quod cœlesti Dei immortalis testimonio diuinius? qui omnia suo põdere & æquabili trutinâ iustissimus & æquissimus examinauit, vtar sacrarum literarum penè verbis, aquas pugillo mensus, cælos palmo ponderat, molem hanc terræ tribus digitis appendit, & montes editos & excelsos pondere colles à terra sublatos librauit æquabili lance stateræ ab vtraque parte propendentis. Quid de cœlis dicam? recito testimonium quoque ad cœli fabricam elegantissimam. Quid tu, mi Deus, ex ore tuo loquente Vate diuino? dextera mea, inquis, fundauit cœlos. Quòd testimonium cùm habeam, nihil mihi opus est legibus, nihil Iurisconsulto, non probante solum artem hanc, sed magnificè commendante. Nihil nunc necesse est illos afferre Doctores, qui ex legibus ad hanc addiscendam facultatem cogunt artium studiosos, si suis facultatibus ac disciplinis vsui esse rebus publicis voluerint. Nam si hac Geometriâ datur aditus ad alias partes & doctrinas, quidni cogantur & impellantur, Geometrica discere volentes, & appetentes ad alia studiorum genera progressionibus maximis aspirare? An verò dialecticem discam, quæ probat: Rhetoricem, quæ suadet; Matheses abijciã, quæ cognoscunt sua perspicuâ valdeq; patenti demonstratione? Vna res, Auditores, restat, Dei cognitio, & altera, virtutis studium: vtramque ex Geometricis alacer & erectus petam. O magnam Geometriæ vim! O donum facultatis huiusce singulare! O mirandam stupendamque scientiam, omnibus

bonorum ornamentis redundantem! De virtute quid dicam, quam mensuræ contemplatione video mihi, vobis omnibus, cuicumque sanctitatis studioso ante oculos obseruari, & in ipsis visceribus ac medullis inhærere? An verò id dabo Arithmeticæ, vt omnem decoris, & dignitatis elegantiam, omnem iustitiæ & virtutis splendorem numerorum lege atque ratione contineri affirmem; id Geometriæ adimam, vt sui studiosos mensuræ consideratione non à vitijs abstrahat, ad virtutem reuocet; & in Dei sempiterni obsequium, cultumque mirificè conuertat? Contendit Arithmeticus, & bene quidem: Omne quod numeris astringitur, aptum est & venustum, & omnium ad se oculos, & voluntates allicit. Quod verò est numerorum lege solutum, id est fœdum & flagitiosum, & id boni omnes oculis & animis aspernantur. Quid est enim pulchritudo, nisi partium apta compositio, numerorum ratione deuincta? Quid est venustas in motu? quid in voce dulcis concentus & harmonia, nisi numerorum pro rata portione distinctio? Quid sanitas in corpore, nisi humorum certa numerorum lege atque dimensione consensio? Quid est denique (ne plura singulatim persequar) animorum concordia, virtutis elegantia, nisi numerorum modus, quo non solùm cohærent & permanent hæc duo, sed ita concinna sunt, vt nihil in suo genere possit elegantius excogitari. Hæc ergo qui cogitauerit, modum virtutis adipiscendæ non ignorabit. Optima principia, processus mirabilis, ergo & complexio numeris suis astricta, non neganda in Geometricis, in quibus par ratio, & idem ius est, numerorum & mensuræ cognatione mirabili. Ergo adolescentes optimi, Auditores studiosissimi, quos virtus delectat, honestas allicit ad se sua pulchritudine, discite ex Geometriæ disciplina paulatim animum à cogitatione earum rerum, quas honestate non metiamini, prorsus abducere, ipsam metiendi rationem & modum, quò res singulæ terminantur, ad virtutis præclaras actiones, ad diuini numinis obsequium conferre. Discite intueri mentem, res cœlestes atque diuinas, & fœdus illud, quo omnia connexa sunt, & quo cœlũ terris per media cum extremis aptissima ratione dimensis copulatur, admirari. Discite cuiuslibet rei mensuram & rationem modo, atque ordine terminatam, & cum reliquis naturis mirificè congruentem esse, vt vos vestra facta, verba, cogitata modo & ratione Christiana, diuinis præscriptionibus, Dei voluntate metiamini; sic iusti, sic temperantes, sic liberales, benigni, mansueti, reliquis virtutibus præditi, similitu-

similitudinem diuini numinis referetis, vt par est, luculenter expressam. Atque vt vno verbo concludam, quod pluribus me demonstraturum esse putaram, de Maiestate diuini numinis, ad tanti Domini cognitionem & scientiam aliquam venietis ex ipsorum Geometricorum dimensione præcellenti? Quæ talem ac tantum proponit, vt infinitum Deum, nullis limitibus circunscriptum, principio & fine carentem, ipsam summam sanctitatem, qua nihil absolutius cogitari possit, nihil perfectius ex infinitate diuina metientes in omnes partes, oculis & animis proponere debeatis. Hæc cùm cogitaueritis, cùm superiora, cum laudes Geometriæ, cum illius antiquitatem, cùm dignitatem & præstantiam, cùm auctores, cùm amplificatores, cùm merita Geometrarum in Rempublicam, cùm reliqua, quæ insunt in Geometricis laudabitis profectò, & in Academiâ, quem vobis commendaui, breuiter licet, tamen pro temporis angustijs, omnibus præmijs & honoribus tam insignem Geometram afficiendum esse videbitis. Quode quoniam prædiximus, in Aristotelem, illius laude ad publicam Physicorum prælectionem viam patefacientes, Eloquentię partem aliquam conferamus.

ORATIO IN ARISTOTELIS LAVDEM, EX ADIVNCTIS, ALIORUM ope subsidioque argumentorum.

SI quantum in armis tractandis, bellisque gerendis fortitudo, tantum in vrbibus rebusque publicis administrandis sapientia valet, immensum est id profectò, quod sapientibus debet infinita humani generis societas. Nam neque vrbes suæ, nec populi, nec prouinciæ, non Regna stare potuissent, & homines ipsi concidissent sæpissimè, fatali calamitate conflictati. Sapientiæ enim munus illud & consuetudo est à primis nascentis mundi cunabulis bene semper de humano genere merendi, iam inde ab illo tempore, cum homines dispersos ac dissipatos, & more brutorum animantium vagantes in syluis, ab agresti immanique vita in ciuilem cultum elegantiamque traduxit, & tectis ipsis, postea

mœnibus concluſis, leges & iura dedit ad ſuarum conſeruationem amplificationemque rerum. Quod tot gentes in prouincias & regna diſtributæ, & ſuis Regibus aut ſenatui parentes abhinc tot annorum millia, bonis moribus ac legibus inſtitutæ declararunt. Atque ipſi ſapientes, gubernacula rerum tractantes publicarum, & in celſiſſimis honorum ſedibus collocati, teſtati fuerunt in hodiernum vſque diem, teſtabunturque per omne tempus, eodem officio ſemper ac munere, magna ſui nominis celebritate fungentes. Id quod in alijs ſapientibus, tum in Principibus, maximeque in Ariſtotele ſapientiæ lumine clariſſimo, ab Alexandro victore terrarum potentiſſimo, tot honoribus affecto, ſpectare potuiſtis. De quo dum dico, quam in alijs ſapientium laudibus, & honoribus eximijs ſoletis, & in hoc totius ſapientiæ Coryphæo maximo, mihi de ſuâ breuiter reconditâ & planè mirandâ rerum cunctarum cognitione dicturo, animorum attentionem præbere ne deſinatis. Neque nouum iſtud, neque vobis reprehendendum, alijs omiſſis, vel Chriſtianorum Heroum, vel Sanctorum laudibus, orationis genus videbitur: cum in hoc volumen & Cœlitum & Sapientum laudes ad Rhetoricæ exercitationes collatæ non deeſſe videbuntur. Et ſi quis ex ſapientibus mihi cõmendandus fuit, hinc ſanè fuit Princeps cunctarũ, quæ cogitari poſſunt, veterum artium ac diſciplinarũ maximarum, & cunctorum ſcriptis, & Doctorum ore celebratus Anteſignanus, & Orbis gentium Academiarum omnium dux præceptorque præſtantiſſimus. Qualis autem ac quantus fuerit Ariſtoteles, fama ac celebritas nominis emiſit in Orbis gentium theatra celebriora. Quæ terrarum pars, quæ priuatæ ſtudiorum officinæ, quæ publica literarum tabernacula, quæ Religioſorum cœnobia, quæ tandem Academiæ, quæ priuatæ & publicæ bibliothecæ, quæ ora linguæque mortalium Ariſtotele Principe bonarum artium, & præceptore omnis generis literatum carere potuerunt? Et ſi quæ loca, ſi quis homo ijs caruit, luce carere dictus eſt ſapientiæ, & in abdito tenebrarum loco iacere. Quod enim genus literatum non tenuit, & ſumma cum præſtantia? An Poëſeos laudem deſideratis, cuius cum alia opera, tum Peplum aureum, Epigrammatibus concinnis & ingenioſis locupletatum, reliquit? An Eloquentiæ, qui tot libros Eloquentiæ poſteritati commendauit, quot noſtis omnes? Qui autẽum Eloquentiæ flumen, & melle ipſo dulcius Orationis genus fudiſſe dctius eſt? Cui Cicerones, cui Quintiliani, cui

Romani,

Romani, cui Græci tantum in Oratoria facultate tribuerunt, quantum certè quidem nemini? Longus nimis essem præter huiusce diei institutum, si cuncta studiorum genera, multiplicem & propè innumerabilem, quibus Aristoteles excelluit, literarum diuersitatem vellem consectari dicendo. Nullum tamen cogitate fuisse scientiæ sapientiæque munus suæ ætatis memoriæque florentissimæ, in quo non summa cum laude versatus fuerit. Desideratis Ius Ciuile? legum peritissimus fuit, & quod Orator de Sulpicio, nos de Aristotele prædicamus: non Iurisconsultus fuit solùm, sed iustitiæ. Medicina colebatur à veteribus, eam & didicit, & percalluit optimè, in eaque se exercuit Aristoteles Alexandri rogatu discipuli, quos orbis terrarum tulit, Imperatorem celeberrimi. Vultis Arithmeticæ, Geometriæ, Musicæ, Astrologiæ fuisse scientissimum? Pelagus fuit immensum atque profundum artium & scientiarum omnium Aristoteles. Sed hæc omittamus: loquamur potius de ijs studiorum generibus, in quibus & nos versamur, & quorum Aristoteles præ cæteris, ingenij monimenta posteritati commendauit, in Doctorum vsus præcipuos, & in sui nominis immortalem memoriam. Quæ cum ad quatuor genera reuocari possint, quorum pars eloquentiæ suasionisque rationem complectitur, his de iam prædiximus: Altera ad ciuilem, moralemque disciplinam pertinet: Tertia differendi præcepta continet: Quarta verò arcana ipsius naturæ, ac rerum occultissimarum, & à communi hominum intelligentia remotissimarum causas rationesque explicat. Quibus de singulis, ac de nostris præcipuè Labyrinthis, & Mæandris inexplicabilibus, si dicturus essem, nunquam finem nostra proculdubio haberet oratio. Quid si, Auditores, loquerer de alijs innumerabilibus, quid si de tot exquisitis & accuratis ab eodem auctore relictis ingenij monimentis? Quot enim, Auditores, quot obsecro numerantur, & literis mandata, & ingenio elaborata prædicantur opera Aristotelis? Tu Cæli, tu Plini, tu Plutarche, vos Philosophi interpretes testes estis, qui me quidem in re tam testata, cunctorumque aures peruagata mentiri non patiemini. Amplius trecentos libros traditur Aristoteles reliquisse scriptos. Horum pro multitudine cum tam pauci extent, cùm reliqui temporum iniurijs interierint, non dolebimus? non lugebimus detrimentum rebus literarijs allatum & damnum inuectum? O magnum Philosophiæ Principem! O profundum cunctarum

artium & ſcientiarum pelagus! O mare immenſum & infinitum, & in quem Philoſophum Deus Optimus ac Maximus, pro bono quidem poſtea Chriſtianorum, & vſu tam multo totius ſapientiæ dotes varias & innumerabiles conferre voluit! Non immerito illud de Ariſtotele ſcriptum legimus, & audimus, in illum ea quidem, quorum particeps & capax eſſe poteſt genus humanum, (larga, quod aiunt, manu) contuliſſe Deum præpotentem omnia. Quis eſt tam parum in Academijs verſatus, quis tam rudis & expers Philoſophiæ, qui in ratione naturæ latentis & abditæ non primas audierit & legerit fuiſſe delatas Ariſtoteli? Quis, qui non illi monſtrum naturæ, prodigium ſapientiæ, oſtentum nec auditum, nec viſum vnquam non acceperis? Dæmonium veteres appellarunt. Heu quod verbum audio? ſigno me ſanctæ Crucis munio, Deus auertat, & tale monſtrum amandet in inferorum ſuas ſedes. Adeſte quæſo, & vim hanc nominis, quondam in bonam partem acceptam intelligite. Vt diuinum Platonem, ſic noſtrum Ariſtotelem Dæmonion, id eſt, diuinum appellatum fuiſſe putatore. Atque hoc nomine demonij appellatus fuit idem Plato, quaſi diuinitatem ſapientiæ conſequutus. Dionyſius quoque Homerum Δαιμονιότατον appellat. Eodem nomine Reges quondam appellati fuerunt, Principeſque terrarum potentiſſimi. Hinc iam nolite mirari Principem Peripateticorum fuiſſe celebratum Ariſtotelem. Deſinite mirari Lyceum reliquiſſe ſuæ ſcientiæ teſtem, & monimentum inſigne ſapientiæ Athenis bonarum artium inuentricibus ſtatutum, per omnem ſæculorum memoriam Ariſtotelis celebritate commendandum. Mittite quoque admirari, cùm audieritis Philoſophum, miſſis nominis celebritate præſtantiſſimis, miſſo Platone, miſſo quoque Socrate, intelligi recognoſcique Ariſtotelem. Si quæ docti ſapienteſque de ingenijs, & deſcriptis iudicia fecerunt, magni æſtimanda ſunt, quas laudes Plato in Ariſtotelem contulit, quas de illius ingenio ac ſcientia voces miſit frequentiſſimo refertiſſimoque gymnaſio? Non cùm ille in gymnaſium veniſſet Philoſophiam explicatum, conuertens in omnes partes oculos, & abeſſe cernens Ariſtotelam, clamabat: ἄπεστι ὁ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος, id eſt, abeſt veritatis Philoſophus. Quid cùm iterum abfuiſſet, non in altam vocē erupit, vt omnes exaudirent, ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν; id eſt, non venit intellectus? Plura dici poſſunt? plura iactari de homine corporis com-

compagibus incluso? Non hæc hominem, sed spiritum attigisse visa sunt. Sed plura desiderantur: quæ quoniam auidè vos excipere video, dicam libentius quidem & auidius. Tuum nunc requiro testimonium Philopone, quid ais? quid testaris? Aristotelis ædes non aliter habitæ sunt ac lectoris, testante verissimeque celebrante Platone diuino. Nec mirum: sic enim Aristoteles excitauit Philosophiam, tam sublimem in gradum euexit, vt ad illius studium omnes ducti Aristotelis ingenio raperentur, & in hunc vsque diem tracti fuerint, plusquam Herculis catenâ deuincti constrictique. Quid enim ille non consequeretur naturalium rerum inuestigator auidissimus, solers sissimusque indagator, qui vsque eo inuestigandorum indagandorumque auidissimus fuit abditorum naturæ mysteriorum, vt in illorum indagatione, bonus Philosophus mortem oppetierit, Philosophiæ penitus explorandæ susceptâ prouinciâ. Quippe qui Euripi septies die ac nocte reciprocantis naturam admiratus, causas altius secum librans, cùm minus voti compos euaderet, animi ægritudine contrahens morbum, ex quo non conualuit amplius, in fretum præcipitem dedit se, præfatus Elogium: Quoniam Aristoteles non capit Euripum, Euripus capiat Aristotelem. Adeo, Auditores, Christianæ Religionis expers, putabat, licet falsò, fœlicitatem versari in reconditâ rerum scientiâ. Quem Philippus Macedonum Rex, quanti habere debeamus, testatus fuit, non tantum de filio Alexandro nato gloriatus suorum successore Regnorum, quàm de nato id temporis, quo vtrique esset, studiorum suorum Aristotele præceptore maximo, cunctorumque orbis terræ Philosophorum sapientissimo. Testata fuit eundem proximè patria, quæ beneficio Aristotelis, non instaurata solùm fuit, sed maioribus aucta incrementis, alioquin diruta, non sublatura caput in perpetuum. Sed quid non ageret Alexander in Aristotelis gratiam, qui tot millia hominum Asiæ Græciæque totius in omni genere animalium inquirendo voluit occupari, vt nullum animal esset, omnium, quæ venatu, aucupio, piscatu alerentur, quæ viuarijs, armentis, piscinis, auiarijs curæ fuissent hominibus, quod scientiam fugeret Aristotelis? Quid non tribueret summo Philosopho, qui tantum tribuit Homero, vt illius libris asseruandis inter spolia Darij Persarum Regis vnguentorum scrinium captum, quod erat auro gemmisque ac margaritis pretiosum, varios illius vtus amicis demonstrantibus, minimè sententias eorum amplexus, addixit atq; deuouit? Quid

non concederet Aristoteli, qui Pindari vatis familiam penatesque iussit intactos incolumesque seruari in Thebarum nobili, maximeque celebrata Historicorum Annalibus expugnatione? Fuit hoc, fuit proprium Principum orbis terræ maximorum, inuictissimorumque Imperatorum, vt literatis hominibus illi multum tribuerent, quoque magis literati fuerint, plus honoris & gloriæ, & omnis generis ornamentorum, & immunitatum, & diuitiarum maximarum, & dignitatum, ac seipsos, suam maiestatem in literatorum ingenium iudiciumque contulerint. Platoni sapientiæ antistiti Dionysius tyrannus, ad feritatem immanitatemque propensus, vittatam nauim misit obuiam, ipse quadrigis albis egredientem excepit in littore. Athenienses Thucydidem in exilium missum, in clariorem dignitatem reuocauerunt, eloquentiam admirati incredibilem atque singularem. Quid Romani? quibus honoribus doctos & sapientes affecerunt? Non Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello tot vrbium, tot oppidorum, tot prouinciarum, tot regnorum victor glorioſissimus, non Posidonij sapientiæ professoris domum ingressurus fores percuti à lictore de more prohibuit? & fasces lictorios ianuæ sapientiæ submisit is, cui se Orientis Occidentisque solis regna florentissima subiecerunt omnia? Quid Cato Censorius? illos nobiles tres sapientiæ principes ab Athenis missos, audito Carneade, non statim dimittendos censuit, quòd illo viro publicè argumentante, quid veri esset, non satis diiudicari potuisset? Quid Scipio Africanus? non statuam Ennij in suo sepulchro honorificentissime statuendam imperauit, populo Romano proponens visendam inter suorum monimenta maiorum? Quot omnes Romani, quot Senatus, quot Rhetores, quot populus Romanus de Cicerone iudicia magnificentissima fecit? Tecum loquor Cicero, te dicente legem Agrariam, hoc est, alimenta sua, abdicauerunt Tribus. Te suadente Tribus Roscio Theatralis auctori legis ignouerunt, notatasque se discrimine sedis æquo animo tulerunt. Te orante proscriptorum liberos honores petere pudùit. Tuum Catilina fugit ingenium acutum & acre. Tu M. Antonium proscripsisti, primus omnium parens patriæ appellatus es. Primum in togâ triumphum omnium meritus es, & cum summâ gloriâ linguæ lauream consequutus. Facundiæ, Latiarumque literarum obtinuisti cognomentum. Tibi Principes victo Pompeio summam

mam bellorum ciuilium detulerunt, obtinereſque imperium ſi velles, & non abiiceres illud in tantâ rerum Pompeianarum deſperatione. Tibi laureatos faſces orbis terræ Cæſar, quoad voluiſti tenendos conceſſit: tecum idem, cùm ille vnus eſſet orbis terræ Dominus, cunctarum gentium Imperium communicauit. Idem dictator hoſtis tuus quondam de te literis conſignatum reliquit, omnium te triumphorum lauream adeptum eſſe maiorem, quanto plus eſt ingenij Romani terminos in tantam amplificationem propagaſſe, quàm Imperij bellico ſtrepitu, armorumque horriſono concrepante fragore. Curæ fuit, & curæ quidem maximæ maximis Imperatoribus, & dominis terrarum potentiſſimis ſapientium laudem & decus magnis præmijs & honoribus amplificare, & pluris ſæpe quàm ſuam dignitatem, aut, vt conſtat ex ſuperioribus, parem facere. Sed quid Monarchas orbis gentium affero, cùm dijs ipſis non minori curæ fuiſſe decorandæ ſemper ornandæque ſapientiæ, nobis fabulæ fictæ cecinerunt? Scitis Archilochum Poetam, magni quondam habitum fuiſſe; at is interfectus fuit, propter cauſas neſcio quas. Huius mortem ægrè tuliſſe viſus eſt Apollo, & in orbis terræ oraculo celeberrimo, multis audientibus, ne eâ de re quiſquam celari poſſet, Delphis obiurgauit interfectores. Cùm Sophocles Tragici cothurni princeps diem ſuum obijſſet, & inſepultum iacere cadauer, probro ac contumeliæ verteretur nobilibus, olim Libero fuiſſe curæ ſepulturam tradiderunt veteres. Itaque honore iuſſit affici ſepulturæ Deus hic Niſæ Thraciæ ſacrificijs & religione cultus idolorum. Id quod factum fuiſſe conſtat obſidentibus mœnia Lacedæmonijs, & ad Poetæ gloriam illuſtriorem Lyſandro Regem per quietem monito. Plura huiuſmodi afferri poſſent, quæ licet ficta & commentitia videri poſſint, eiuſmodi tamen ea ſunt, in quibus licet intueri magnam de ſapientibus opinionem habitam, & honores eiſdem omni loco ac tempore tributos. Quare finis ſtatuatur teſtimonijs, quæ eò ſpectant, vt cùm inter ſapientes principatum tenuerit Ariſtoteles, mirum quidem nemini debeat eſſe, tot ab Alexandro præmijs, tot honoribus, ac patriæ inſtauratione decoratum fuiſſe: atque eò, vnde digreſſa fuit, ad Ariſtotelis nonnulla teſtimonia reuertatur oratio. Teſtata fuit eandem cognitionem Ariſtotelis ingentem, quæ ſummo Philoſopho à Socrate multis in rebus arduis ac difficillimis fuit ſumma diſſenſio. Teſtata fuit eandem ſcientiam, quæ cum

Platone

Platone ingens Aristoteli fuit, de difficillimis naturæ mysterijs, acerrima contentione pugnata pugna. Nam illa prætereo, quæ de Plinio iactata fuerunt, quæ ipsemet in suis monimentis libens agnoscit, suam Historiam naturalem, compendium fuisse, breuemque summam, quinquaginta de eadem re Aristotelis voluminum temporum iniurijs non extantium. At quem dicam Plinium? pelagus arcanorum naturæ penitus abditorum, & omnis generis rerum tanta cognitione, quantam admirantur docti homines, adumbrare tamen nequeunt quocunque aureo oratoriæ facultatis flumine. Testatum fuit eandem scientiam exilium, in quod profectus fuit, mente, qua præditus fuit intelligenti, negans, & execrans idolorum multitudinem, atque adeo irridens. Cuius rei causa in iudicium delatus damnaretur procul dubio capitis, nisi procul Athenis excessisset. Testata denique mors, quam, vt multi tradunt obijsse fertur misericordiam veri, sempiternique numinis implorans, & causam causarum appellãs, vt sui morientis misereretur supplici quidem obsecratione precatus, quæ non solum Philosophum, sed Principem veræ Philosophiæ exitu huiusmodi terminata morte prædicauit. Qua de re nihil dicam amplius, nec de huiusce Philosophi, Principisque sapientiæ maximi laudibus eximijs, quàm ex his, quæ audiuistis, excellentiam illius, principatumque vos posse recognoscere, ac multò plura me potuisse dicere, nisi iam ad exitum peruenissem, & ex his, quæ insunt in Aristotele, quæ vos audistis, & memoria tenere vos certò scio, vellem maximo in honore vobis tantum Philosophum esse: vobisque persuadere cuperem, munere Dei singulari ad scientiarum disciplinarumque maximarum doctrinam stabiliendam firmandamque fuisse donatum Aristotelem, vt illo nemo fuerit, neque esse potuisse videatur, neque Academijs, neque rebus literarijs contigisse quisquam in suo genere præstantior. Hoc scripta Philosophi, hoc comprobatio omnis generis, & ordinis Doctorum, hoc Academiæ cunctæ, hoc cognomenta ipsi tributa, hoc Platonis laus & ingenium tam acutum, & ad omnes artes tam facile & plane natum, hoc postremo, quæ audistis præconia sine dubitatione clarum & perspicuum reddent. Vt Philosophum etiam permiserit Deus optimus ac maximus, humili patria, parente non admodum claro, quamuis medendi non imperito natum esse, nullis propè ante Alexandri tempora facultatibus iure hæreditario acceptis præditum, & hunc eundem facie deformi, ore balbutienti, exiguo

exiguo corpore, immani gibbo fœdatum, vt omnia hæc dotibus ingenij, literarum ornamentis ad generis humani commodum, & vtilitatem sedulus & industrius conferret: Quibus in rebus, si virtus accedat, cùm literati, tùm cuiuscumque hominis & maxime Philosophi, vt recte philosophari dicatur, posita est veræ laudis absolutio. Hanc vobis veram Philosophiam cum virtute coniunctam precor, à Deo Optimo, Maximo, vt vera sapientia & homine Christiano dignissima floreatis, & sitis de Republica bene meriti, cuius honores confectis vestrorum studiorum itineribus quàm ingenti cumulo consequamini. Dixi.

PRO COMPLVTENSI ACADEMIA Legatos, qui Paranymphi dicuntur, præmittente ad Licentiatos, locum Doctorum pro meritis accepturos suis.

ACtio literaria matris Academiæ Complutensis mihi filio suo, literis Latinis & Græcis instituto, & adolescenti vix quindecim annos nato ad Rhetoricæ præceptoris munus obeundum, inter Seguras, Metamoros, Ambrosios Morales, & Ildefonsos Turrinos recepto, non sine ingrati animi labe, prætermissa videretur. Quâ ne aspergar, doctos vos habere velim Rhetores optimos de huiusmodi officiosa honorificaque legatione. Hanc obire solet comparatus ac meditatus, sex ante menses, veteranus & exercitatus Rhetor in theatro Complutensi, omnis generis & ordinis & scholasticorum, & Doctorum refertissimo ad Licentiatos siue in facultate Medicâ, siue in sacrâ Theologiâ renuntiandos suis in locis promeritis, & documents progressionum suarum datis in publicis actionibus vtriusque disciplinæ. Ille venit, quanquam Magister mutata veste in habitum legati, elegans, & politus, ocreatus & calcaria gerens, cum galero plumis versicoloribus, accinctus gladio & sica, & tibiarum cantu acceptus obit legationem. Iubentur autem Licentiati

post

post mandata cuique nomine Academiæ delata adesse in D. Ildefonsi templo, suorum accepturi præmia laborum, & oratiunculâ breuissimâ, & redditis literis matris Academiæ obsignatis. Post huiusmodi officium factum, vnusquisque vt mandatum accipit pro antiquitate suâ, respondet oratiuncula breui, & elaborata, & gratias agens legato, & Academiæ, prælectis literis, recognitoque signo, & quas explicauerat & aperuerat palam spectantibus cunctis, complicitis literis instituit oratiunculam. In cuius exitu matri Academiæ se obtemperaturum esse respondet, quo iubebit die, & hora. Adsunt igitur omnes die & hora, & renuntiantur gradus primi, secundi, tertij, reliquorum ex ordine Doctorum, ad vltimum vsque, & quidem concursu maximo, applausu & acclamatione summâ, concentu & modulatione tibiarum, cum illi stantes, & apertis capitibus medio in sacello expectent huiusmodi renuntiationes. Atque vt renuntiati fuerunt, in primo alioque loco collocati, lauream accipiunt ex ordine in theatro, præeunte actu publico & breuissimarum disputationum, & orationis disertæ & elegantis in Doctoris lauream habendæ.

ORATIO PARANYMPHI.

Ad Illustrem Dominum Antonium Ildefonsum Mendocium.

TE imprimis appello, Antoni clarissime, quem nobilitas generis, quanquam tuorum maiorum aulam sectari, & cum Principibus Hispaniarum versari, visa fuit admonere: in eamque vitæ rationem parentis tui Comitis amplitudo forsan impellebat, natum tam illustri familiâ, tam claro parente, & Comite insigni; tamen viam literarum ingressus, in eum vsque præsentem diem rationes omnes tuorum studiorum prouexisti, vt gradum Doctoris breuiter accipiens, de genere Mendociorum, de literarum studijs gloriari possis, Doctoris præsertim Complutensis insignibus ornatus. Quod vt fœlix & faustum accidat honorifico literis & sapientiæ tuæ loco delato, & optant omnes, & vident venturum tibi

pro

pro tua maxima clarissimaque sapientia. Qui quemadmodum splendore familiæ, & antiquitate tuis præis, & antecellis competitoribus, sic inter illos gradus excellentia, locique principatu fortasse florebis. Quod inter tantos tamque insignes sapientiæ, Antesignanos, si tibi deferatur, ad generis fumosas imagines, adiunges Mineruæ cœlestis stemmata, tuo ingenio, tuis laboribus consequuta. Et quidem cùm Mendociorum familiam tot titulis, & insignibus antiquissimis ornatam video, cùm video tot Comites, tot Marchiones, tot Duces & Principes Hispaniarum, maxime Ducem Infantatus excellentissimum in tuæ illustrissimæ familiæ Regia prosapia Hispaniarum Regnis lucem afferre clarissimam. Video etiam Ecclesiæ Sedes Pontificias plurimas, maxime Pontificatum Toletanum Mendociorum claritate iam inde à primis nascentis fidei temporibus in Hispania, diuersis & florentissimis quidem temporibus illustratum fuisse: vt non solùm Equites Lunæ claritate, & regijs stemmatibus conspicuos, & tam multo, præpotentique dominatu florentes Hispania aspexerit, sed Ecclesiæ Pastorum baculos insignes, thiaras auro fulgentes clarissimo, & crucis insigni elato in sublime, prælatoque tanta cum amplitudine decorasse tui generis & familiæ clarissimæ Principes Mendocios, & ostentasse viderit. Quibus de cùm gloriata fuerit Hispania, sperant omnes, qui præsentes sunt, de te Pontifice, & insigni, gloriaturam fore breuissimè. Quod vt videamus, diuino factum fuit beneficio, vt te in literarum studia, & in sacræ Theologiæ disciplinam conieceris, & ad hunc gradum laureæ iam accipiendæ fœlix & fortunatus perueneris. Cuius cùm labores maximos, & actiones suas Theologicas mater Academia iustis ac debitis laboribus compensare velit, & de more suo veteri stato solennique die has mihi literas tibi reddendas reddit. Illas accipe, &, vt ex illarum materia constat, vbi legeris, gaudebis magnopere. Accerseris enim & in Diui Ildefonsi templum cum omnibus hisce doctissimis tuorum laborum & curriculi Theologici consortibus, præmium, quod spectas, accepturus.

Cape literas, & Academiæ quidem signo obsignatas.

* * *

Respon-

Responsio nobilis Antonÿ ad Paranymphum.

VT me primum ad laureæ locum accipiendum vocasti, facunde Paranymphe, tua tam diserta, valdeque eleganti oratione, primus respondere cogor, agens primum immortales tibi gratias pro nuntio tam læto, tamque honorifico beneficio, quòd in me conferre parat mater Academia, qua suos in filios, alumnosque carissimos benignitate solet esse. Quæ si mihi grata debet esse, si iam diu spectata fuit, & à sua liberalitate non aliena, nunc cùm reipsa spectetur, maiore me quidem gaudio affecit, & vinculo constrixit arctiore: imò tam arcto, quam quod arctissimum est in hominum passim vltrò citroque officijs præstitis, & in honoribus literarijs maioribus & amplioribus Academiarum veteri more delatis. De te quid loquar, qui munus obijsti, & honorifica maiorum meorum laude & laudibus cursim quanquam, pro orationis breuitate, decursis tamen amplis adeò, vt eas attingendo plura, quàm quisquam existimare posset, dixisse videaris? Non enim titulos Mendociorum insignes, neque fumosas maiorum imagines, non ditionis tam multæ, multum diuerseque patentem dominationem amplissimam, non sæculi huiusce gloriam, longè lateque vagantem, & dignitatibus Principum Ecclesiæ gloriosam prætermisisti. Quas enim mihi maiorum meorum thiaras, in Hispaniæ clarioribus Ecclesijs illustri splendore fulgentes attulisti, has omnes recognosco & quem in finem attuleris, vt literarum ornamentis illustratas recognoscam, video planissimè. Sed quæ de literis, de laboribus nostris literarijs, de gradus expectatione præsagire visus fuisti, quod non abs re visa fuit præsagitio tua, quòd aliquo flatu, non Pythio, sed Christiano fuisse quidem illam simplex iste tuus & apertus animus, quodammodo prædixit, in eam accipio partem, vt non falsam fore incipiat iam ab hoc tempore quodammodo te vate præeunte optimo veritissimoque mea mens augurari. Post gratias Academiæ matri tibique actas denuò nostræ Orationis exitu, referas ad matrem Academiam, me illi mandato audientem fore, & cum tantæ gloriæ competitoribus ad futurum die & hora literis suis inuicta. Quod verò ad locum spectat, eum, me ex illius liberalitate solitaque benignitate sperare, referre non obliuiscaris.

ORA-

ORATIVNCVLA SECVNDA
Paranymphi ad Licentiatum Petrum Antonium.

ES in secundo loco, Petre doctissime, quem propter studiorum diuturna tempora, & multò ante Magistri gradum acceptum, ex instituto ac more veteri, proximum nobili Antonio de Mendoca accersiri iubet indulgentissima parens Academia: Ad quem legatio præsens tam grata mihi fuit, & accepta, quàm quod gratissimum, & acceptum admodum. Quid enim honorificentius Academiæ nostræ, quid clarius ad solidam suorum Gymnasiorum gloriam esse potest, quàm te cum his clarissimis viris de gradu decertantem, ad Doctoris insignia vocari, insignibus ornatum breuiter inter tot Patres, lumina suorum ordinum clarissima numerandum? Ecce ad tantum honorem vsitatis concertationibus literarijs necessarium vocaris, vt de cathedra Theologiæ decertare possis cum sapientissimis Doctoribus postea, & præceptoris munus summâ cum Academiæ gloriâ, & honore tuo illustrissimo præstans, lucem afferas rebus sacris clarissimam. Hoc mihi crede tempus est, quod absolutis studijs publicis, Theologiæ actionibus susceptis, accepto huiusce sacræ disciplinæ gradu optant alumni Academiæ. Atque vt omnia tibi cadant fœliciter, cadere gradum præsentem ex primis optant, vt quâ opinione, qua expectatione, qua fama ac celebritate nominis studia prosequutus es in hunc vsque diem, ascendas ad Theologici præceptoris prouinciam sustinendam, prima vacuæ cathedræ quacunq; oblata tibi, de literis, de sacra Theologia tam bene merenti Doctori occasione pulcherrima. Quæ omnia si de te Doctor sapientissime sperant ordines omnes literarij, si sperant in studio sacræ Theologiæ, si sperat tota Academia, si metuunt, si formidant iam ab hoc die candidati sacræ cœlestisque Theologiæ, quid te commendem oratiuncula breui? cum nondum Doctor, Doctoris munus fungi te velint amantes matris Academiæ, appetentes boni publici, & sperent quam breui te in cathedram euehendum, & impetraturum ex præcipuis vnam cathedram, & ad primariam cursu celeri

celeri te efferendum, intelliges, quàm de gradu tuo spem inter doctissimos hosce viros habere possis, non dubio quidem eventu pendentem, sed quasi certam & exploratam, optimi, & ad Principem aspirantis gradus. Interim quò voceris, & vbi adesse debeas, literæ præsentes matris Academiæ te docebunt.

Responsio Doctoris Petri Antonÿ ad Paranymphum.

MAgna tua præstansque legatio, Paranymphe eloquentissime, nomine matris Academiæ obita, erexit animum ad maiora de nostro gradu speranda rei literariæ decora & ornamenta. Quorum si spes iniecta non esset, voluntatem tamen afferret officium tuum, tam egregiè ac studiosè obitum, in literario nunquam itinere, nisi prorsus exhaustis viribus, & animâ nostris in præcordijs conceptâ, nulla vnquam ratione desiciendi. Tantam enim propensionem omnis ordinis alumnorum in nostra studia planè perspectam, tantum studium, & inflammatam nostri nominis augendi voluntatem, tam apertas voces & exclamationem excitatam non ad gradum solum Doctoris, sed ad cathedram appetendam & expectandam magno suffragiorum numero, quis vnquam sperare posset aut auderet polliceri de homine, licet literarum aliquâ præstantiâ prædito, nondum tamen Doctoris insignibus ornato? Aliquid perspectum nostris in progressionibus, aliquid tandem publicis in actionibus sacræ Theologiæ exploratum fuit, quod magnitudine sua contineri priuatos intra parietes non potuit, sed erupit, & emanauit, & ad aliquam nostri nominis gloriam, & ad nostram operam, & conatus in commodum & vtilitatem publicam excitandos. Fateor antiquitatem meam, diuturnitatem temporis cum alijs studijs, tum sacræ Theologiæ tributam. Et quidem cum fateor hanc temporis antiquitatem, quamuis in nobili Antonio vetustiorem videatis, multo ante me Theologum Doctorem futurum iri sperare potuistis, nisi parentum meorum inclinatæ conuersæque res, & vnius mors, fratribus meis vrgentibus, à contento cursu per biennium auocasset. Sed feci quod necessario faciundum, vt parentibus parerem, cederem temporibus, neque fratribus deessem luctu ac

mœrore

mœrore perditis. Qui postquam res omnes explicui, & meipsum expediui, continuo ad studiorum me cursum Theologicorum reuocaui, & quos non potui nancisci condiscipulos in sacræ Theologiæ laurea biennium iam præeuntes, consequar fortasse de cathedra contendentes, & ad Præceptorum munus anhelantes. Nondum enim aliquis eorum decertare cœpit, comparare se iam visi sunt. Et ego per tempus illud, quidquid temporis à negotijs patris vacaui, non intermisi librorum vsum; neque lectionem sacræ Theologiæ, quam potui adhibere, oblitus, ad has me præclaras Theologiæ disputationes, ad actus omnes in Doctoris insigni conferendos sedulo nimis, & vigilijs nocturnis meæ salutis detrimento susceptis, omni labore ac diligentia comparans. Non immerito Paranymphe diserte, volens simplex & apertus esse, & nullo fuco, neque pigmentis rem, sed quemadmodum se habet, exponere, nullum adhibens artificium, vt suspicione vacares, artem adhibuisti dicendo, antiquitatis nostræ, & quod istius temporis minime videbatur, contentionum nostrarum imminentium, & prope præsentium mentionem honorificam facere non pertimescens. Quare pro nuntio delato, pro vtriusque rei mentione facta, gratiæ tibi, quæ debentur, & Academiæ matri, à me nunc aguntur, & mandata, quæ defers, me exequuturum esse die & hora præstituta, eidem matri referes Academiæ.

ORATIVNCVLA TERTIA.

Ad Licentiatum Ioannem Aluarum.

NVnc verum illud esse video, doctissime Ioannes, quod literis traditum est, & sæpe ac sæpius experientia comprobatum, multum ad vim ingeniorum, & acrem acutamque iudiciorum intelligentiam valere patrium solum. Cuius si aer tenuis ac purus fuerit, acuta quidem ingenia, & ad intelligendum aptiora nascuntur: sin crassus & concretus, tardiora & hebetiora, & rebus literarijs prorsus inepta. Id eo spectat, vt quamuis Deus Optimus, ac Maximus, te

tot donis ac muneribus naturæ affecerit, & ad literas, & ad sacram præcipuè Theologiam aptis & habilibus, tamen nescio quam vim ipsa patria habuisse visa est, in te ferendo, & alendo tam magno tamq; præstanti bonarum literarum alumno. Quæ cùm aere salutari, tenui ac puro cœlo, copia rerum omnium & ad vsum & ad delicias abundet, hominibus floret floruitque semper acerrimo ingenio præditis, omnibus bonis literis imbutis, magnis Philosophis, Iurisperitis præstantissimis, Theologis eximijs, & Concionatoribus diuini verbi conspicuis: quorum illustri splendore, & Academiæ Hispaniarum insignes, & Ecclesiæ nostri Regni, & sedes honorum excelsæ, cõsilia Regum, & censorum sacræ Fidei, atque adeo Pontificum præfecturæ sacræ testimonium dederunt, & dabunt in perpetuum. Quòd si nullum alium nobis virum præbuisset, nisi Ioannem & natum ad literas, decus & ornamentum Academiæ, nondum Doctorem, & iam expetitum, & magna contentione appetitum ad celebriora huiusce oppidi, Ecclesiæ, & aliorum amplissimorum tuis concionibus suggesta decoranda; id satis esset ad patriæ tuæ claram & illustrem lucem afferendam. Atque cùm ad concionandi vim, adiunxeris magnam Theologiæ concertatoriæ cognitionem, vt ad cathedras in hac Academia contendere, cum summis Doctoribus decertare, & cuicunque sacrarum literarum scientissimo peritissimoque viro te possis opponere maioris omnino laudis est. Quibus de rebus in posterum, multo illustriora clarioraque testimonia, constare videbuntur, vt me minimè mentiri constet, neque tuam scientiam augere voluisse dicendo. Quamobrem est quòd de patria, quòd de ingenio, quòd de tam multa rerum sacrarum cognitione, quòd de præcellenti, quòd non multis concessum est, concionandi munere glorieris. Atque ita te compares in posterum ad hæc munera tam singularia, modis omnibus augenda, vt studio, labore, lectione sanctorum, & sacrorum Doctorum, vtramque vim sacræ Theologiæ, & in concionibus, & in concertatione positam, nouis in dies accessionibus cumulare non desistas. Quibus duabus amplissimis dotibus lauream Doctoris, primum decus, & primum præmium laborum tuorum accedat. Ad quod vocaris insigne, præsenti Academiæ syngrapha, quam vt illa mihi dedit, idemque legatus, tuam in manum, toto theatro spectante trado.

Respon-

Responsio Ioannis Aluari ad Paranymphum.

QVæ duo in me ornamenta contulisti, Paranymphe facundissime, neque insolenter, mihi arrogo, vt ea solus mihi præripiam, neque tam destitutum me fateor, vt mentiri videar hoc in loco, vbi verum maxime dici debet. Atque vt insolentia fuit odiosa semper, & mendacium turpe, & hominis honestate prorsus indignum; neque insolentiæ, neque mendacij volo quidem argui: vtrumque vitium, & fugi semper, & fugiendum duxi. Quid de me existimari velim, bonorum esto iudicium; & eorum præcipuè, quibuscum versatus fui, & vtrumque munus præstitisse me viderunt. Qui si quid detulerint, id valere vellem ad lauream præsentem, ex qua omnis bona existimatio, omnes literariæ contentiones, nostra præmia, nostri honores pendent; si quid detraxerint, detractum volo, tantum abest, vt illis irascar, qui nostros progressus imminuerint, quibus de nihil dicam. Quidquid ingenij, quidquid acris intelligentiæ, quidquid literarum cognitionis assequutus fui, id totum præceptoribus meis, id matri Academiæ, id vobis, sapientissimi Doctores, debeo. Vos testes fuistis nostrarum actionum. Vos ijdem testes progressionum, vos denique æstimatores, & fuistis, & eritis iudices in laureæ loco, nostris meritis, si quæ fuerint, æquitate vestra, sine fraude, nulla habita patriæ, amicitiæ, neque aliarum perturbationum, quæ respublicas literarias euertere solent, ratione, deferendo: si quæ vero sunt, quæ de nobis significare potuit Paranymphus eloquentissimus, si quæ tacuit (neque enim in tanta breuitate omnia loqui potuit) & ea vos ad vtriusque rei ornatum, & splendorem non modo non deesse videtis, sed fortasse florere, nobis vobiscum vel in gymnasio agentibus, argumentando vel respondendo, vel de suggestis, cùm interfuistis concionibus, ad populum verba faciendo, quæso, valeant illa ad nostram lauream ornandam decorandamque pro suo iure. Nam neque æquum est vos illa non recordari, & cùm recordati fueritis, præmijs eadem carere suis, iustis adeo, tamque viro de Christiana religione temporis progressu laboraturo debitis, iudicantibus tot Cassijs, id est, integerrimis, & valde incorruptis iudicibus. Simul illud oro, quæ attigit legatus insignis, ad naturæ dotes, ad patriæ bonitatem spectantia ne obliuiscamini. Recordemini quoque valere plurimum industriam, la-

bores, vigilias nostras, ad hæc patriæ, naturæque adiumenta magis ac magis augenda. Tu vero Paranymphe egregie, matri meæ gratias ages, quas tanti beneficij magnitudo postulat, quâ summâ præditus es vi facultateque dicendi. Do id tibi, commendoque plurimum, vt omni officiorum genere, omni verborum apparatu responsum augeas & amplifices. Tibi quid respondeam nescio, pro mandatis mihi hoc tempore, hac loci celebritate delatis: tantum dico, quoniam inopia verborum beneficium æstimare pro dignitate sua non possum, illius dum vixero, nullo vnquam tempore, neque secundo, neque aduerso, memoriam me depositurum esse. Dixi.

QVARTA ORATIVNCVLA, PARANYMPHI *ad Licentiatum Ioannem Castrensem.*

PRæclarè hoc à natura comprobatum est, Ioannes doctissime, vt quam maiores artem tenuerunt, eam colant, qui sunt eius generis atque familiæ: quod naturali propensione ferantur ad parentum studia, & quas parentes sequuti fuerunt olim vel bellicas, vel literarias exercitationes, eas auidissime filij sequantur, vestigijs parentum insistentes. Quod ego mihi tacitus cogitans, mirari non desinam parentum bellica studia tereliquisse, complexum vero fuisse literarium, à militari tam procul abhorrens. Sed dum cursum Dialecticæ & Philosophiæ tuum, dum curriculum tandem sacræ Theologiæ confectum à te video, tam mira celeritate, tantis harum & artium, & cœlestis disciplinæ progressionibus maximis testatisque mirari magis debeo: & in nonnullis hominibus excellens ad omnes artes, & studia fateor ingenium inesse, confirmoque constanter, te non parum locuplete teste: vt qui sunt tuæ familiæ non vibrare solum gladios, contorquere tela, tueri castra, & impetus hostiles sustinere ac propulsare sciant, sed versare libros, res literarias agere, omnia bonarum artium & disciplinarum studia colere, ingenij documenta dare, & nullas non cuiuscunque facultatis, & doctrinæ exercitationes suscipere, & naturæ arcana scrutari, inuestigare difficultatem obscuram & latentem, & ex tenebris in lucem tandem eruere. Quod quoniam singulari dono ac munere cœlesti tibi concessum est, dici non potest vir sapientissime, quantam tuorum studiorum decursu tuipse in hunc locum adductus, & tuas literarias actiones,

nes, concertationes, Philosophiæ & sacræ Theologiæ disputationes tanto acumine ingenij, siue oppugnando, siue refellendo habitas, & ad exitum vsque perductas recordantibus, admirationem attuleris. Floruisti equidem illis omnibus laudibus, quæ te ad laureæ locum insignem expectandum maxime clarum illustremque reddere potuerunt, intelligentia liberalium artium, cognitione Philosophiæ, scientia sacræ Theologiæ, & acumine argumentandi, & felicitate cunctorum argumentis faciendi satis, tam mirandum in modum, vt nullius vnquam animum tua responsione non expleueris. Dicam quod omnes sciunt, quod si præteritem, indiligentiæ potuissem argui, cum scholasticus argumentareris propeste, & obiiceres sæpe ac sæpius, neque vnquam te deficerent rationes, cum obsisteres condiscipulis, cum illis te opponeres, siue respondendo, siue propugnando, & in gymnasijs, & in peristylijs, tua quæ acrimonia, quæ celeritas, quæ solutio volubilitasque linguæ? qui concursus ad te audiendum, quæ laudes cunctorum, quæ admirationes, quæ præconia tuorum in te præceptorum? Quæ si scholasticus ostendisti, quid dicam quæ præstiteris, Theologiæ curriculo confecto? Ad actiones tuas, vt respondentem, & propugnantem; ad aliorum, vt argumentantem, opponentem, diluentem responsa aduersarij, adducentem vsque eò argumentum, vt prouehi non possit, neque perduci amplius videre possent. Et multi, qui non interfuissent, Theologicis illis actionibus conuenerunt, & aditus portæ obstructi videbantur, vt Doctoribus aditus non daretur venientibus, sine vi perruptioneque multa. Qui cum ex decertatione Theologica discederent, tuis laudibus Academiam vrbemque complebant. Omnia tibi tam fœlicia ceciderunt, quàm quæ fœliciſſima, vt de gradus præsentis fœlicitate dubitare non possis. Qua, quo die, qua hora perfrueris, præsens Academiæ testimonium literarum, ad te suum alumnum missarum, docebunt planè. Lege literas, vt matri indulgentissimæ parere possis.

* *
*

Responsio Ioannis Castrensis ad Paranymphi orationem.

QVanquam, Paranymphe præstantissime, maiores mei armorum viam sectati fuerint, eisque Christianæ Reipublicæ quantum adiumenti attulerint, & Præfecturæ militares, & imperia gesta, & nomen & insignia castrorum testatum posteritati reliquerint, tamen nescio qua animi propensione, à proauorum studio militari, ab armis tractandis abhorruerim, & totum me ab ineunte pueritiâ literis animo & voluntate deuouerim, & quidem parentibus meis inuitis. Sed natura ipsa magnam vim habet ad insitam propensionem, & inhærentem animo cupiditatem explendam. Vt quod tu facile in me vno declarasti elegantiâ & splendore sermonis, non arma, sed libros; non castra, sed gymnasia; non contentiones præliorum, sed decertationes literarum; non galeas, aut loricas, sed laureas Doctorum, & Epomidem optauerim; & ad Theologorum honores, à patrijs laribus exul, inclusus in cubiculo, frequentans Academias, diurnos labores, vigilias nocturnas suscipiens, hyemis vim omnem, & calorum æstus patiens, omni celeritate properauerim. Perueni iam tandem quò cupiebam, & vltimos literarum honores, ab Academijs ipsis, atque adeo in orbis gentium amplissimo celeberrimoque theatro præstandos. Quæ passus fuerim nolo adumbrare dicendo, qui possem ante oculos statuere commoratione ac demonstratione, duobus Rhetorum luminibus fulgentissimis. Tantum dicam, sic me literarum studio flagrasse, vt neque redierim in patriam, neque in ipso patrio solo quemquam ex oppidanis, ex amicis, ex propinquis reuiserim, tantum abfui à fratribus, à parentibus, ab hominibus mecum sanguinis communione coniunctis, vel per horam & punctum temporis inuisendis. Quæ si ab studijs solent auocare multos reiliterariæ studiosos, sit hoc mihi, Doctores sapientissimi, auxilio vestrum gradum appetenti ad locum aliquem honoratum inter hos sapientissimos viros assequendum. Valeat relegatio huiusmodi, & tam longum exilium ad nostrorum studiorum rationes, quo æquum est pondere, si æqui, si boni iudices estis, æstimandas. Valeat exilium idem cum documentis ipsis ingenij Philosophiæ, sacræ Theologiæ, totâ hac temporis diuturnitate datis coniunctum, ad veritatem & iustitiam suâ tru-

tina

tinâ æquabili ex omni parte pendendam. Valeat idem ad mercedem labori, vigilijs, publicis actionibus, ipsi denique virtuti iustam ac debitam, quo estis candore ac sinceritate persoluendam. Valeat id ipsum postremò ad literarum studium & æstimationem rebus bellicis præpositam, non ex hominum animis ablegendam, iustitiâ semper nostri gradus locum iustum ac legitimum prædicante. Nam si mei labores non compensentur, si huius exilij voluntarij ratio non habeatur, si existimatio tanta non in pretio maximo siet, quis ab alijs exercitationibus, quis ab arte militari, quis à quæstu mercaturæ, quis ab equestribus studijs abducet sese, & quantum eniti & contendere potuerit, ad literarum dignitatem animum transferet? Mitto quæ Paranymphus breuitate coactus orationis de collegijs tacuit, qui humanioribus literis imbutus, in liberalium artium collegijs, vbi virtute & ardenti studio vigent adolescentes, Dialecticæ & Philosophiæ operam, vt qui maximè nauaui, in horum renuntiationibus (quæ vulgò Licentiæ dicuntur) mihi primum locum contendenti in gradu honestissimo licuit consistere. Factus deinde collega trilinguis, quæ sedes eloquentissimorum Magistrorum altrix fuit atque parens, sæpe in theatri huiusce lucem prodij, nostrisque orationibus tanti loci amplitudo sæpe ac sæpius personuit. Iam verò cùm in Theologorum collegium ingressus fuissem, quis se mihi antepositit? Collegam Theologum me maximum D. Ildefonsi collegium expetiuit, habuit, & honorauit, liberalium artium cathedram deportaui, ad Theologorum Doctorum contentiones vocor, si non primariam, at illi proximam cathedram meis, & aliorum præceptorum discipulis lætantibus, & efflagitantibus appetiturus. Vos Patres, meorum studiorum, huiusce enumerationis recordamini. Quò me vocat Academia Mater libens ibo, vestrum omnium benignitate & æquitate fretus. Et tu Paranymphe eloquens, quod reliquum est meo, post gratias actas, nomine Academiæ respondebis. Cui obitæ legationis ergò tam sum obstrictus, quàm qui de se bene merentibus, beneficij memoriâ sempiternâ.

Alias orationes addere possem, sed hæc exempli causa sat sit me adhibuisse. Has, oratio per vnius horæ spatium habenda de laudibus Disciplinæ, ad cuius lauream vocantur Licentiati, antecedit. Laus hæc ad exercitationes bonarum

Academiarum posset conferri æmula legationis elegantia, ac officiosa huiusmodi, quæ magnam vim, & ad excitandos studiosorum labores, & ad eosdem prouehendos, & ornandos mirificam speciem habet.

ORATIO IN LAVDEM BEATI Ignatij Confessoris.

Ex fine, aliorum ope argumentorum.

MIrum vobis P. G. sed planè iucundum videbitur orationis nostræ genus de laudibus Ignatij Beatissimi, præsentibus Rhetorum ferijs, totius Hispalensis vrbis gaudio, ac lætitiâ planè gestienti nobis instituendum, & ad finem vestrorum animorum alacritate tantâ ad exitum vsque perducendum. Nam præclaræ res & eximiæ admirationem afferunt: nihil verò neque maius, neq; præclarius afferre potuit hodierno die, quàm id, quòd cum summâ Sanctorum perfectione coniunctum est. Quo de meam in duas partes distribuens orationem, breuiter pro temporis angustijs dicturus, in hunc locum ascendi. Si quæratis quæ sint, quamquam video spiritus diuini sectatores assequutos esse, tamen ad clariorem instituti perspicuitatem, & quod ita mos Rhetorum fuit, voluntatem Dei & gloriam eiusdem Domini vos intelligite, quæ duo suis semper in actionibus Heros iste sibi cœlestis proposuit, spectandaque deliberauit. Quę materia licet longiorem desideret orationem, & plures pro magnitudine copiaque rerum maximarum, tamẽ ad temporis breuitatem meam orationem ex Rhetorum præscriptionibus conferam. Video enim apud quos dicam, qui reliqua omnia, quæ dicturus eram, quæque alius orator quicunque dicere potuisset, illustri maximaque rerum tanti Principis cognitione supplere poteritis, & nobis tempori consulentibus veniam non solùm, sed laudem ex vestrâ scientiâ metientibus dandam esse censebitis. A voluntate igitur incipientibus nobis, illud occurrit statim vobis non ignotum in voluntate Dei præstandâ mirificè positam esse totius sanctitatis

tatis & consiliorum Christi Iesu perfectionem. Quam Filius Patris Æterni declaratum generi mortalium pro suo maximo & cunctis ad imitationem proposito semper exemplo in hæc terrarum sola venit. Qui nihil aliud docuit, nihil fecit, neque cogitandum, neque præstandum cuicunque generi mortalium suæ totius vitæ sanctitate præscripsit. Id nobis humanæ naturæ societas in vtero Virginis inita, id Natalitiorum celebritas, id sanguis octaua die, resecta sanctissima carne profusus, id totius vitæ cursus, id itinera facta, suscepti labores, cruciatus ingentes, virgæ, spinæ, mors tandem oppetita declarauit. Quid se quoties Patris voluntatem præstitum venisse dicit? Quid docuit ab immortali Patre cœlesti precatione postulandum? Quid ille præposuit in horto Gethsameni precans Patrem Æternum, vt cruciatuum diritatem, vt calicis acerbitatem a se ipso auerteret, nisi summam suam diuinamque voluntatem expleri vellet? Sic enim, ait, fieri volo, sic præcor, Pater Æterne, si tuæ Diuinæ Maiestati collibitum fuerit. Quid in crucem sublatus, interiectus inter duos Latrones, extremum Patri suo spiritum exhalaturus voluit? Quid ostendit, nisi præscriptiones Patris, decreta maxima, ex sua tandem voluntate consummata? Hanc quàm egregiè præstitit Ignatius Patriarcha sanctissimus? Hic nihil magis voluit, nihil magis enixè contendit, nihil suis verbis, cogitationibus, factis præstitit, quàm summam sempiterni Domini voluntatem. Huc se, suasq; actiones contulit: ad huius voluntatis diuinæ studium ita totus incubuit, vt præter Deum, præter eius voluntatem nihil expetendum faciendumque curauerit. Mittamus alia testimonia, ex vno potestis omnia quidem æstimare. Opus pulcherrimum, magnificentissimum, tantum sanctitatis suæ monimentum, Societatis ipsius religionem cùm cogitaret, cum instituere, nonne ex Dei voluntate potissimum esse voluit? non illud ostendit visio pulcherrima magnificentissimaque Patris æterni commendantis Filio seruum & alumnum Ignatium? non Heros insignis audiuit verba, testes voluntatis diuinæ, ex ipsius Christi Iesu ore profecta, se propitium Romæ futurum, Romam id temporis eunti, cum suisque recta pergenti Ignatio? non idem excitatus visione cœlesti rem in Pontificis manu tradidit? non ipsi Vicario Iesu Christi se suosque socios commisit, & addixit? non quarto obedientiæ voto Pontificiæ sanctitati, seipsum, suamque familiam sacram deuouit?

nouit? non hac demissione, non istius facti religione, non tam excellenti obedientiæ vinculo, nihil se velle demonstrauit apertissimè, præter diuinam voluntatem, & hanc illius, qui celsitatem Christi, qui partes Dei tuetur in terris Vicarij auctoritate declaratas? Non hoc potissimùm suis alumnis, & socijs, præscriptionibus, & literis commendatum reliquit in omne tempus? non cùm illos sine perâ (quod vulgò dici solet) & sine viatico vicatim & ostiatim corrogantes mitteret in expeditiones magnas, ex diuinæ voluntatis nutu pendere solum voluit, nullis rebus, neque præsidijs humanis intentos? Sed audite testem vnum omnium magnificentissimum, & cunctorum, quæ dari possunt, testimonium illustrissimum, de tanti Patriarchæ in numen cœleste voluntate nutuque spectante. Quid magis commune cuicunque generi mortalium, quàm suarum rerum amantem esse? quàm operum suorum auidum & appetentem conseruandorum? Agricola seuit arborem, plantamve, quæ tenera cùm adolescere visa est, gaudet eam aspicere, respicit sæpe ac sæpius, irrigat, & ad suam auet prouehere altitudinem. Lysander Rex manu suâ satum hortum quanti habuit? quanto studio conseruandum putauit nitidum eius cultum? Atque Deus ipse hominis conseruandi causa, quot & quàm illustria, quàm miranda, planeque stupenda semper opera patrauit? quòd illum ex limo & argilla fecerit? quòd ad suam similitudinem formauerit? quòd sui viuam & expressam effigiem, præ cæteris animantibus visendam spectandamque proposuerit? Pendere video vos animis, ac oratione præsenti suspensos spectare, quò verba, quò commoratio huiusmodi spectet. O mirandum cœlitis Ignatij sanctitatem! O summum diuinæ voluntatis exemplar! O veram præstandæ Dei sempiterni voluntatis normam præscriptionemque singularem? Instituerat insignis noster illustrisque Patriarcha Societatem Iesu, adoleuerat iam illa, & tanto cum odore, tanta cum fragrantia sanctitatis, & sparsa non solùm ac diffusa Italiæ, Galliarum, & Hispaniarum Regna tenebat, magno animorum fructu, suarum actionum celebritate mirabili, sed maria prætergressa omnia in vltimas Indiarum sedes, oraſque peruenerat tot gentium diuersarum immanissimo Idololatriæ cultu addictarum omnino. Atque venit in mentem sanctissimo Patri, si opus hoc, si argumentum ingens virtutis Ignatij, & monimentum immortale, casu aliquo, vel

permissu

permissu diuino, ad explorandam spectandamque Ignatij sanctitatem solueretur & destrueretur omnino, quidnam ille doloris, quid mœroris capturus esset? At breui tempore, vnius duntaxat quadrantis interuallo colligens sese & confugiens ad orationem omnem animi sensum ac dolorem deponeret facillimè, (vti dicebat) certus de voluntate diuina. Attendite etiam quid addebat: omnino quidem, nec minimum vestigium, nihil sensus reliquum futurum in animo, tam pacato quidem animo, tam tranquillo ore, tam læto vultu, ac si nunquam ille de Societate cogitasset, nec eadem ad se spectasset Societas vnquam. Sed quonam ille modo dicebat omnem se molestiæ particulam abiecturum esse? Æquè quidem atque si sal in aquam coniectum, sic sensum omnem & cogitationem, futurum esse, vt ad nihilum redactum animo suo pacis, & tranquillitatis plenissimo spectare posset. Egregius Christi Iesu æmulus & imitator, maximus Virginis discipulus, vtriusque alumnus præstans, atque mirandus. Sic Virgo, Auditores, cognita Filij voluntate, expiatum se quanuis lege solutâ ab edito Filio in lucem quadragesimo die venit in templum. Sic eadem Virgo cùm Filium indignissimis modis tractatum, tot cruciatibus dilaceratum, sublatum in crucem, tot probris, & ignominijs affectum, aspiceret, mortem ipsius Filij vita sibi carioris ex Domini voluntate, robore ac magnitudine animi incredibili pertulit, atque nullum verbum hostibus & auctoribus tantæ crudelitatis faciens, ad Domini se voluntatem nutumque conformauit. Verus quidem Abrahamus, qui seipsum, qui filium mactare paratissimus, illum diuinæ voluntati deuouit, & transigeret quidem rem, nisi ab Angelo voluntatem diuini numinis accepisset. Hic est, Auditores, scopus, quò veri perfectique nostræ Religionis Principes has actiones, verba, cogitationesque contulerunt. Quare nolite mirari, si demissione tanta, si patientia inuicta, si mansuetudine, si comitate, si paupertatis studio, si caritatis ardore tam inflammato in proximos, in Deum fuisse prædicetur princeps iste clarissimus. Hæc omnia cùm de voluntate Dei, & ad tanti Domini voluntatem spectare planè videret, nihil sibi iucundius, quam voluntatem diuinam mira semper alacritate præstare, homini præsertim tam amanti maiestatis æternæ, & illius gloriæ amplificandæ omni loco ac tempore, multùm, nunquamque non studiosissimo. Verus equidem Dauid ad Dei voluntatem totus factus atque conformatus insigniter. Verus Samuel,

qui

qui Domini dicto audiens tam incredibili inflammatoque ardore morem gessit. Verus Moyses, qui nutus Domini minimos spectans, populum eduxit è misera seruitute Pharaonis, & eodem iubente mare rubrum virga patefecit, liberum præbens transitum Solymorum genti, fluctibus ex vtraq; parte instar muri cõsistentibus, eisdem paulò pòst cœlesti virtute reductis, peditatum omnem & equitatum obruentibus Ægyptiorum, illorumque ducem immanem & efferum, scelus omne crudelitatis anhelantem, ad Iudæorum interitum properantem currentemque Pharaonem. Verus Noe, qui turbulentissima alluuionis generalis tempestate, alacer & erectus cunctis in rebus terræ cœlique supremo molitori fuit obsequutus. Verus profectò Paulus, qui Christi duobus duntaxat verbis, confestim nulla mora Dei voluntatem se exequuturum, & nihil seipsum præter eam facturum esse, pollicitus est. Verus iterum Iesu imitator, & tanti Domini præclarum & insigne simulachrum, in Patris Æterni voluntate præstanda viuum semper & luculenter expressum. Quem nisi tam promptum, tam alacrem, & erectum, tam paratum, quæ vellet Deus immortalis, facere, ne minimum prætermittentẽ, nulla fugientem capitis vitæque manifesta pericula diuina maiestas aspexisset, minimè quidem tanti operis auctorem, Principem tantæ Religionis, Societatisq; Filij sui, Parentem deligendum coaptandumque sibi persuadere potuisset aliquis ex Parentibus sacrarum familiarum. Vos Auditores id æstimate proteritis. Proponite vobis mentis oculis Basilios antiquissimos, & primos sanctissimarum Religionum auctores. Comprehendite Benedictos insignes, Brunos tam admirandos: recordamini Augustinos, Hieronymos. Potestis meminisse Franciscos, Dominicos, omnes Duces & Fundatores sacrorum Ecclesiæ Ordinum familiarumque sanctissimarum toto terrarũ orbe celebratos, columnas Religionis Christianæ firmissimas, arces & propugnacula Ecclesiæ tutissima. Ad hos adiunctum Patriarcham inclytum & insignem Ignatium Loyolæum intuemini, &, quod scitis, quod videtis, quod testari debetis, omnes, illorum similem, & imaginem expressam spectantes ex Domini voluntate factum, directum, & ad extremum vsque vitæ spiritum mirabili stabilitate & constantia spiritu diuino ducente suscipientem suas actiones aspicietis. Quod vt videre planiùs possitis, Confessorem nostrum ad gloriam diuini numinis augendam totum incumbentem, si

me,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0488
DFG

me, quod adhuc feciſtis, attentis animis audiatis, rel quâ vobis oratione proponam. Eſt hæc ſecunda atque vltima pars orationis, quæ gloriam Domini ab Ignatio beatiſſimo verbis, factis, & cogitationibus, quò perfectius & abſolutius diuinam voluntatem præſtaret, omni ratione quæſitam oſtendit. Hic ſcopus, Auditores, perfecti Equitis Chriſti Ieſu præſtantiâ digniſſimus, quantum vobis auiditatis ad audiendum, tantum mihi certè quidem alacritatis affert curſus reliquæ orationis perſequendi. In qua primum velim in memoriam redigatis, quæ de voluntate Domini quærendâ prædiximus. Hæc enim omnia magno fuerunt Beatiſſimo Confeſſori ſemper incitamento ad gloriam Dei omni contentione ſuis in factis quærendam, & ad illam, modis omnibus toto terrarum Orbe propagandam. Ad hanc enim cœleſtem Domini gloriam illuſtrandam & augendam, quidquid agebat, quidquid contendebat, tanquam in ſcopum ſibi præfixum mirabili alacritate, nulli quidem vnquam labori parcens, conferebat. Inſederat quidem in ſanctiſſimi Patris animo infixus & collocatus finis, cuius cauſa gloriæ ſcilicet Patris æterni quærendæ Filius Chriſtus Ieſus in hæc terrarum ſola deſcenderat. Quanto autem, dum in ſæculo ante conuerſionem ſuam gloriæ ſæculi auidior fuerat, traductus ad ſeueram perfectamque conſiliorum Ieſu diſciplinam, tanto maiorem conatum ad Domini gloriam augendam amplificandamque ſedulus ac vigilans honoris diuini cultor adhibebat. Cum ille ſubmiſſione ſe maximâ geſſit, & infra omnes poſuit ſemper; cùm de ſe nec verbum vllum proloquutus fuit, nec minimam elationis ſpeciem præbens; cùm fuerunt tempora, in quibus nec inanis gloriæ minima quidem aura, inimicus humani generis animum pertentauit; cum mentem rectam adeò, & ad Deum intentam, ſuaſque adeò directas actiones haberet, vt ipſum Deum cunctorum Principem & auctorem, duceret & prædicaret ſuorum operum, quodnam aliud niſi gloriam diuinam in animo infixam habebat & inhærentem? Quam minima ducebat omnia, quæ ſectatores huiuſce ſæculi magno in pretio habent, & ſemper habuerunt, inaniſſima fucati ſplendoris ſpecie decepti, & cœleſtium magnitudinem & præſtantiam ignorantes? Cùm loqueretur de cunctis honorificentiſſimè, de ſe verò nimium ſubmiſſè; cùm magnus alienarum laudum æſtimator & præco ſingularis, ſui ipſius, & ſuarum rerum contemptor aſſiduus atque conſtans eſſet, quid-

quidnam potissimum nisi Dei gloriam augendam propagandamque curauit? cùm ipsam fundaret Societatem, & ex instituto saluti proximorum procurandæ operam nauaret, quid aliud contendebat? quò mens spectabat, nisi vt nomen Domini clarius fieret & illustrius toto terrarum orbe? vos Hispaniarum regna, vos Galliæ, tu Lusitania, tu vtraque Castella, vos Aragoniæ Valentiæque sedes, vos postremò Indiæ tam multæ, tam multis in locis longeque distantibus, testes estis huiusce Ignatij Beatissimi mentis, institutique celsissimi, quæ non aliò profecto spectauit, nisi ad afferendam diuini numinis gloriam sempiternam. Non ea de causa certum est tot ædes probationis, tot collegia vbique locorum fundata, tot domicilia Professorum ad gloriam diuinæ maiestatis extollendam spectasse? Quid illa seminaria, quæ tot diuersarum gentium, & Anglicanorum, & Germanorum, & omnis ferè nationum diuersitatis adolescentium, qui curæ studioque Societatis demandati sunt, quæ de causa ex Patriarchæ sanctissimi instituto, ex illius voluntate ac mente instituta sunt, nisi ad errores hæreseos extirpandos, ad adolescentiam bonis literis ac virtutibus, bona doctrina & Christi Iesu disciplina imbuendam, instituendamque? Qui omnes adolescentes sacris initiati, postea persuas vrbes, populos ac prouincias diuini verbi semen diffundant, erroribus liberent obcæcatos, & in obscuris hæreseos tenebris iacentes, & si opus fuerit, mortem pro Christi Iesu honore gloriaque tuenda libenter, & fortiter oppetant? Hæc quidem, quemadmodum prædixi, ita sese habent Auditores, & pulcherrimam glorioſissimamque istius scopi diuini materiam, & segetem vberrimam pepererunt adhuc Ignatio, & dum steterint suis fructibus magnis & præstantibus parient in perpetuum. Quemadmodum enim illi terra cœloque Dei gloriam amplificarunt, mortes pro Religione glorioſas obeundo, sic Ignatij, sic sociorum Iesu, quorum literis, & virtutibus imbuti institutique ferunt, clarum & illustre nomen reddiderunt. Quot possem ex Anglicanis seminarijs Martyres conspicuos, quot Equites Iesu laurea Martyrum decoratos proferre, qui gloriam Dei tam eximium & altissimum finem spectantes, Ignatij Beatissimi doctrina, institutisque suis insigniter satis formati decus supremo Deo sempiternum comparaunt? Quid dicam de Martyribus Societatis Iesu? quid de cæsis in Gallia? quid de mactatis in Anglia? quid de iugulatis? quid de sublatis in crucem? quid de exenteratis, de raptatis, &

omni

omni Dei inimicorum crudelitate necatis? Quid loquar de proiectis in mare post multos cruciatus, post infixos ictus, post illata vulnera, post factas iniurias, contumeliasque impositas innumerabiles? Quid denique afferam de sodalibus alijs in omni ferè India, omnibus pro Dei gloriâ tuendâ cruciatibus crudeliter admodum dilaceratis? Minima fuerunt mala excessisse illos ex populis, ex vrbibus per summum dedecus eiectos, & ad carcerem, & ad supplicia, Idolorum sacerdotibus vrgentibus ac prementibus Reges ac dynastas suos. Hæc omnia gloriam immortali Deo peperierunt, quam Ignatius suis omnia ratione quærendam ostendit, ad vitam vsque cum sanguine profundendam. Familiæ, Auditores, habent stemmata sua, Icones, lupos, castella, flores, rosas, & alia, quæ longum esset & infinitum numerare dicendo: sed Beatissimi Patriarchæ Ignatij, quæ fuerunt suæ Religionis insignia, quæ signa ad internoscendam à cæteris sacris familijs cœtibusque Societatem? Gloria Domini. Hæc vita, & spiritus; hic decor, & ornatus. Atque ille suis in præscriptionibus nihil magis commendat, nihil frequentius scribens, quemadmodum & viuens faciebat, quàm gloriam Domini, quàm honorem Dei, quàm illius decus sempiternum. Illud tritum est, atque peruulgatum, Auditores, quod iactari solet, vt neminem præterire possit, ex cordis abundantia homines ipsos sæpe loqui, quæ intus in animis habent recondita & abstrusa. Quæ magis amant, quæ sibi cariora sunt, de his loquuntur, de his cogitant, & nesciunt aliud. Sic in animo Patriarchæ sanctissimo hæc inerant, vt aliud nesciret verbũ proloqui. Quamobrem nolite quærere, quorsum & qua de causa sub illius effigie, aut supra caput legatis, quatuor illa verba: Ad maiorem Dei gloriam. In his enim verbis summa quædam est, & compendium vitæ Principij, & Fundatoris Societatis Ignatij: summa quædã est suæ virtutis, absolutæ perfectionis: summa consummatæ sanctitatis: summa rerum præclarè gestarum: summa postremò operum admirabilium, quibus orbem terrarum, terra cæloque insignis, sempiterni honoris diuini gloria compleuit. Neque verba vitæ solum, sed mortis insigne fuerunt, & hieroglyphicum illustre. Cur enim è viuis excedere cupiebat? Cur corporis istius ergastulo liberari? Cur in cœlum euolare iam tandem? An vt solum Beatorum gloriam bono duntaxat suo acquireret? Hac de causa, Auditores, vt gloriam Domini, vt honorem etiam Christi Iesu aspiciens, eius gloriæ tanto bono,

tantâ tam infiniti honoris magnitudine, gaudere posset, eidéque Christo Iesu de tantâ gloriâ, de tanto honore, sine vllâ semper intermissione gratulari, vt iam id mirari profectò desinamus, qui audierimus sæpe Beatissimum Patriarcham quæsiuisse opportunitatem nouos modos atque rationes gloriæ Domini propagandę. Vt nos etiam iam mirari nihil nunc sit necesse insuperiora intuentes, cùm audierimus remisisse libentissimè eundem Heroa celsissimum, absolutæ perfectionis magistratum insignem suas vtilitates, cœlestes spiritus iucunditates, accessionis gloriæ Domini cuiuscunque faciundæ causa. Quid illa commemorem? Cùm cœlestes animo voluptates caperet, cùm Deus mentem illius incredibili consolationum diuinarum voluptate perfunderet, cùm postremò suis præcipuis donis ac muneribus cumularet, tacitum secum ea omnia tenuisse animo quidem abdita atque latentia? Quod nihil suum, nihil proprium duceret, omnia ex perenni, & inexhaustæ diuinæ bonitatis fonte profluxisse planè intelligeret, & omnibus vellet penitus intellectum, nihil vnquam nec minimum sibi, nisi à Deo esse concessum. O beatum virum, & insignem gloriæ Domini æstimatorem! O clarum & illustrem honoris diuini propagatorem! Quam præclarè in animo impressum habebat illa, quæ Iosue ad Achan verba fecerat, hortans quàm amanter, & quàm suauiter, vt Domino Israelis gloriam impertiretur iustam ac debitam, nec quidquam eum celaret, sed patefaceret, & daret foras auidissimè? Quàm hærebat in animo Christus ipse, iubens discipulos, & in illorum personâ genus omne mortalium orare Dominum & opificem cœli, & architectum huius Vniuersitatis elegantissimæ, extollens nomen tantæ maiestatis, iubensque excelsum & insigne, præclaris virtutum actionibus, & factis operum mirandorum immortalibus reddere? Quàm infixus erat in pectore ipse Iesus alloquens Patrem æternum de perfecto iam & absoluto humanæ salutis opere, quod sibi demandatum fuerat, ad decorandam illustrandamque tanti numinis maiestatem? Quid illa Pauli? In intimis hærebant visceribus Ignatij, quibus recordari vult hominis pretij, & sanguinis Christi Iesu profusi, ad illos ex inferorum sedibus eruendos, & in cœli sedes restituendos altissimas, vt memores tanti beneficij, omni studio ac diligentiâ gloriam immortali Deo tribuerent, eius numen sempiternum summâ religione colerent, & omni pietatis studio prosequerentur, nunquam ex animo memoriam abijcientes, Deum dies noctesque intimis

sensibus

sensibus impressum atque insidentem habentes, vt debitam referrent gratiã, bonorum semper & gratissimorum filiorum instar sese gerentes. Hoc semper visus est facere Confessor inclitus, vt potum cibumque capiens, vigilans ac dormiens, quibuscunque in rebus occupatus, nihil ageret, nihil loqueretur, nihil cogitaret, nisi ad diuinum cultum, & immortalis Dei gloriam pertinens, omnia denique ille sua facta, rerum euentus suarum, & quancunque fœlicitatem, quoscunque progressus, & incrementa in Dei decus immortale conferret. Fuit ille insignis Iacob, qui gratias agens semper Deo maximas, seipsum præ diuinis beneficijs demittebat, tot ac tantis muneribus indignum, & multis interuallis longè imparem iudicabat: Egregius fuit Moyses, qui cum bonis & gratis admodum Israelis filijs laudibus Dominum singularibus affecit, mari rubro tactu virgæ solummodò patefacto: Daniel verus fuit, qui visione cœlesti tam multâ tamque mirandâ nunquam sese extulit, sed semper gratissimus quancunque diuinæ maiestatis retulit acceptam. Videbat Pater eximius, vt Daniel in visione Nabuchodonosor Regis, sapientiam, fortitudinem recognouit immortalis Dei, & quidem dona Spiritus, munera, & prærogatiuas omnes Sanctorum a perenni & inexhausto diuinæ bonitatis fonte profluxisse, id quod præclarè. Quanuis enim filij Israelis in prælijs acriter ac fortiter commissis victoriam ex hostibus reportassent glorioſam, ingenti inimicorum edita strage, tamen semper in illorum ore verba hæc, Deum percutere hostem, vt victoriam Deo referrent acceptam, & eidem magnificè glorioseque impertirentur honorem. Sed quid hisce testimonijs & monimentis gloriæ diuinæ proferendis tam multus videor? En fortissimum Machabæum, qui suis in periculis spem in Deo habuit, & illis liberatus, & ereptus omnibus malis depulsorem prædicauit Deum immortalem. Et iterum eundem Iudam Machabæum & sæpe ac sæpius, non pro captis præsidijs, non pro vno Timotheo deuicto, sed legionibus inferorum, pro Lucifero sæpe superato, & ad imas obscurasque regiones suas amandato, magnis laudibus Dei beneficentiam, & inuictam potentiam prædicantem. Sed mitto iam Machabæum, quo de si loquutus fui, id feci quidem fortitudinem Ignatij cum Iudâ Machabæo recordatus. Dico te Beatissime Ignati ab ipsa Virgine instructum, quæ suam dignitatem, quæ gloriam, quæ decus Matris Domini, in Dei liberalitatem eximiam contulit: te ab ipso Filio Iesu institutum in

inquirenda hac cœlesti semper & sine intermissione diuini numinis gloria, & cum in omnibus sanè rebus, tum in occultandis, Deoque attribuendis donis ac muneribus acceptis. Quem cùm videres iussisse discipulos in discessum vsque suum tacere gloriam diuinitatis patefactam & prolatam foras in monte Thabor, quid non pulchertimi huiusce facti imitandi causa verus Christi Iesu æmulus & imitator faceres? Facio missam huiusce facti, & reliquorum imitationem. Sed inter alia gloriæ quæsitæ, & honoris Deo tributi decora & ornamenta, si non aliud haberemus, quàm tuæ Societatis, quo de superius copiosè, nomen cœleste ac diuinum Iesu, id satis esset, ad huiusce trophæi celsitatem generi mortalium non persuadendam solum, sed in eorum animis infigendam penitus, nullaque vnquam sæculorum omnium memoria, nulla temporum turbulentissimorum conuersione delendam. Iesum enim, Iesum semper Societatis auctorem & principem esse voluisti, prædicasti, recognouisti que clarissimè. Deus Optimus ac Maximus velit, Auditores, vt quem Beatissimus Ignatius duplicem sibi finem rerum omnium suarum, voluntatem cœlestemque Domini gloriam spectandam decreuit, nos etiam nostris in actionibus eundem scopum proponendum, & intelligamus, & modis omnibus nulla vnquam cum defatigatione & satietate curemus. Rationes omnes, laudes Ignatij, exempla superiora, illustria facta, monimenta glorioſa breuiter colligerem, nisi memoriæ vestræ fiderem, voluntatiq; ad vtriusque rei studium propensiori quidem, quàm à me vtraque fuerit orationis parte demonstratum. Tu igitur B. Ignatij, qui sacros Apostolos, & inter illos Paulum Doctorem Gentium, Petrum Principem Apostolorum, Virginem sanctissimam, gloriam filij sui Iesu, Christum gloriam Patris æterni quærentem imitari, cùm alijs in virtutibus, tum hac in ratione pulcherrima magnificentissimaque voluisti, per gloriam, quam adeptus es Beatorum, per huiusce beatificationis decus, per titulos, quos adeptus es in cœlo multos, & insignes, per eosdem in his terræ sedibus infimis breuiter Romani Pontificis auctoritate declarandos, per gloriam, quam pluris fecisti semper, per te, per tuos omni loco ac tempore, diuinæ maiestati quæsitam, & tanto cum honore Christiani, Religioſique nominis adeptam: Sic nos, qui tuis Ferijs ornandis, decorandæque beatificationis celebritati, tanto concursu, tanto studio ac religione cõuenimus, tuis precibus tueri velis apud Deum immortalem,

vt

vt gloriæ nullius magis, quàm Dei, quàm Christi Iesu, dum vixerimus auidi semper, & appetentes esse velimus. Sic fiet, vt quod de bonitate diuinâ speramus, & de patrocinio tuo, hisce corporis compagibus soluti, ad honorem & gloriam sanctissimæ Triadi cœlestem atque diuinam læti & exultantes & virtutibus ornati maximis, sine intermissione concinendam, in aulæ cœlestis domicilia conscendamus. Dixi.

ORATIO IN LAVDEM B. Ignatij Confessoris ex efficientibus causis, aliorum ope argumentorum.

IDsatis esse videbatur P. G. vt Beati Patris Ignatij meritis, interim dum in Sanctorum numerum refertur, præsentis beatificationis testificatione ad illius virtutem sanctitatemque perspiciendam, debitus honos prædicaretur, cùm eius gloria testata sit & explorata Vicario Christi Iesu, qua auctoriate celsissima nullum maius, neque certius esse potest testimonium. Nam si Orator, vt Cornelium Balbum iure factum ciuem Romanum ostenderet, satis esse dicebat, fecisse Pompeium: Si Catoni omnes Romani, si Aristidi Athenienses tantam auctoritatem propter fallacem quandam, & fucatam virtutis speciem triebuerunt, quid nos diuinis oraculis instituti, quid literis sacris imbuti informatique faciemus aliud, nisi vt veram & expressam in Romanis Pontificibus Vicarijs Ecclesiæ cœlestibus Christi Iesu personam & veritatem ipsam diuinitus eminentem colamus, & suspiciamus humiliter atque demisse? Te colo ac veneror Paule Pontifex Maxime, hoc nomine Quinte, & quod de Christi Iesu milite glorioſissimo, de Ignatio Patriarchâ sanctissimo iudicium præstantissimum verissimumque fecisti, recognosco, commendoque ex animo, quibus modis possum, tuam potestatem, & ab immortali Deo facultatem tributam tollens in cœlum. Sed patere, quæso, æquo animo, da veniam hanc filio tuo, tuæque Sanctitatis cultori

ſtudioſiſſimo, Pater ſanctiſſime, vt ad tui iudicij magnitudinẽ oſtendendam nonnullis aliatis rationibus noſtra præſens deſcendat oratio. Atque illud primum ex igne præſenti volo demonſtrare dicendo. Quis enim ignis potuit clarior & illuſtrior hiſce florentiſſimis temporibus atque Ignatius Loyolæus proferri? Quem ignem foras dare poſſet ad illuſtrandam Eccleſiam ſui ſplendoris magnitudine magis clarè illucescentem, atque Confeſſorem Eccleſiæ tam inclytum? Qui ſic à traductione ſuâ illuxit orbi terrarum vniuerſo, vt flamma ac celebritate ſuæ ſanctitatis, cumulo virtutum maximarum, multitudine ac præſtãtia miraculorum, inſignibus diuinorum in ſuũ animum ornamentorum, trophæo tam inſigni, monimentoque religionis clariſſimo Eccleſiam per omnia terrarum loca illuſtrauerit? Qui nunquam à traductione ſua non dicam extinctus non fuit, ſed nec minimum imminutus, nullam nec minimam offenſionem ſuſcipere viſus eſt, ſed flammas ſemper effundere clariores & illuſtriores, creſcereque in ingentem altitudinem, & tantopere nouis & clarioribus incrementis augeri, vt tolli viſus ſæpe fuerit è terra, ſæpe ac ſæpius in meditatione rerum diuinarum, & quò natura ignis fertur, ſuperas regiones petere? Qui ſic ſe extulit in ſublime, vt mediam aeris regionem, ætheris ardorem præteruectus, in cœleſtem atque diuinum fuerit ſplendorem immutatus, & claritate Sanctorum, diuina luce circunfuſus, inter Heroas cœleſtes locum adeptus, radios diuinæ claritatis diffuderit in theatra cœlorum ampliſſima, terrarum omnibus ſpatijs infinitum in modum præſtantia? Traductio fuit illius dono ac munere diuino, quemadmodum B. Franciſci à ſæculi vanitate, vt ignem cœleſtem ac diuinum diffunderet ac propagaret in omnia totius orbis loca, ſedeſque propinquas, atque diſiunctiſſimas. Verè quod Aſſertor humani generis, quod Chriſtus Ieſus de ſe iactauit, iactare poteſt filius Ignatius, eundem ſibi Dominum conceſſiſſe, vt flammas ignis diuini de cœlo delati ad animorum ſalutem, ad Eccleſiæ amplificationem, ad hæreſeos flammas extinguendas, ad gloriam Domini magis ac magis amplificandam longè lateque dimitteret. Veni, inquit, miſſus ſum à Deo Optimo Maximo, non vllis meis meritis, ſed dono ac munere cœleſti, miſericordia ſempiterni numinis infinita, ad ignem in ſola terrarum immittendum, vt vitiorum flammæ deleantur, illuſtretur in animis hominum gratia Dei ſempiterni, decus immortale vigeat, Sacramenta frequententur, vexilla

Chriſti

Christi Iesu inferantur, & penetrent ab Orientis solis partibus, in Occidentis vsque fines vltimos. Non Meridies flagrans & infestus, non Septentrionis loca relinquantur, infecta tot errorum lerna sceleratissima. Cur non sic obibo partes has & illustrabo clarus & illustris vniuersas, sic dispertiam & diffundam ignem hunc, vt gloriam afferam meo Domino, gratus atque memor quod igne illustratus sim sempiterno? Non id fecit Ignatius beatissimus? Quæ pars terrarum fuit, quæ tam propinquæ, tam disiunctæque gentes? quæ tam barbaræ, & tam immanes, & sanguinem sitientes, haurientesque humanum, quò non Ignatius ignem infuderit per se, per suos veræ sanctæque Fidei splendore collucentem? Lucerna illa, quæ Ioannem Baptistam præferebat, ardens semper & accensa, neque ventorum vi, neque procellis inimicorum, neque temporum iniurijs, neque coniurantium tyrannorum incursionibus, neque quibuscunque tempestatibus concitatis potuit minimum suæ lucis amittere. Baptista venit testimonium daturus, & illis temporibus, cum atra caligine circunfusi Principes veteris Legis in Ioannem conspirauerunt: cùm Herodes rabiem acuit, & inflammauit, caput à carnificibus immani crudelitate præcidens. Quoties hostes vitam Ignatij appetierunt? Quoties in tribunalia detulerunt? Quoties deduxerunt in carcerem? Quoties in vincula coniecerũt, atque adeò in catenas, ferrumque intolerabile detruserunt? Quoties in illum falsa testimonia dixerunt? Quoties petulantissima lingua fuerunt consectati? Quoties postremò sic eam tractarunt, tam indignissimis modis, vt flammis dignum, ignibusque addicendum clamauerint atque contenderint? At ille omni virtutum multitudine magnitudineque præditus, omni robore ac patientiæ firmitate munitus, nihil tot ventorum vim insanientium, nihil procellarum furentium magnitudinem, nihil tot turbulentissimarum tempestatum fremitus horribiles metuens, Deo plenus, ac Domini virtute fretus, omnia libenter adiit, audiens fortiter pertulit, perferens magnanimiter glorioseque superauit. Quod de Laurento Martyre Mater Ecclesia; nos de diuino cœlestique Ignatio, veniam facultatemque dante Paulo, magnifice concinamus, & tollamus gloriosis honorificisque laudibus in cœlum. Quid porro vis ab Ignatio Christe Iesu? vis illius in te voluntatem æquabili trutina examinari? Ille flammas subijt iniuriarum flagrantes, carceris, contumeliarum, vitæ postremò periculorum

innumerabilium pro tui nominis gloriâ & honore propagando, igne tam multo examinatus. Quid non in illo fidei, quid non caritatis, quid non patientiæ, quid non omnis generis virtutum exploratum, non insigniter probatum, & tam multis quidem gradibus habuisti? Verè quidem Heros inclytus iactare potest, ignes & flammas superaui, & tui nominis auxilio saluus semper & incolumis euasi. Tradunt historici in Cypri ærarijs fornacibus ex medio igne maioris muscæ magnitudine volare pennatum quadrupedem, appellatum pyralem, ab alijs pyraustam, in igne viuentem, extra flammas euadentem longiore paulò volatu, emori confestim. Quid afferam Hipanim fluuium, Ponti fines præterlabentem, circa solstitium (atque æstiuum intelligit) tum cùm sol altissimus fertur, flagrat & ardet ingentem in modum, vt æstuare vehementior flagrantiorque nequeat, deferre acinorum effigie tenues membranas, è quibus erumpit volucre quadrupes supradicti modo, nec amplius diem viuens, solis, id est, ignis tam ingentis ardore carens? Quid afferam Salmandram notissimam, in lacertæ similitudinem, in flammis, & ex flammis viuentem? Quid recorder tot ignium è veteribus decantata miracula? nostis illa, legistis, Auditores, neque breuitas istius orationis tantam multitudinem magnitudinemque rerum mirabilem, & valde celebratam capere potest. Ignis iste Ignatius inflammatus, ignis existens in cœlitum naturam igne diuino conuersus, alitur igne cœlesti, ardore flammarum diuinarum, turbinibus & procellis inimicorum concitatis, & magnis in illum commotis tempestatibus crescit, alitur, & suam auget, & amplificat Societatem. Hanc ille doctrinam perferendi auidissimus, & plura pro Christo patiendi certus admodum tradidit & reliquit: cùm verò cum exemplo, tum literis consignatam mandatamque præscriptionibus Societatis Iesu, quæ instar Ecclesiæ, tanquam nauicula in medio mari iactata, tot appetita fluctibus, tot tempestatibus vehementibus adeò ac furentibus incrementa tot accepit, & amplificationem in dies maiorem, & illustriorem, age gratias immortali Deo Societas inclyta, cuius beneficio, & secundum Christum Iesum ab Ignatio beatissimo Parente tuo, Filij Dei immortalis instar, armis patientiæ acceptis, tot laboribus, tot procellis, tot tempestatibus in hunc progressa locum ascendisti. Sic creuit Heros ingens tuus Ignatius, & ad Ordinem suum excitandum, amplificandumque incubuit: neque sine igne laborum,

rum, sine flammis iniuriarum, sine rogis tempestatum flagrantibus pro Dei honore, pro Christi Iesu gloriâ, conquiescere vllâ ratione poterat. Sic ad hanc beatificationis gloriam ascendit, cùm cæteris cunctis virtutibus, tum patientiæ magnitudine, tum igne tempestatum turbulentissimarum æquissimo fortissimoque animo in extremum vsque vitæ exitum perpessarum. Ignis hic prædixit gloriam & decus huiusce dici honorificentissimum: ignis hic decus tam immortale cunctarum gentium studiis & animis lætantibus exhilaratum & exornatum prænunciauit: Ignis hic afferet voluntatem, multis iam signis exploratam, Pontifici Maximo Paulo Quinto asscribendi Principem tantum & tam excelsum in Sanctorum ordinem iam iam imminenti tempore, & quàm breuissimo. Quòd si Seruio Tullo dormienti in cunis ex capite flamma erumpens regni prædixit culmen fastigiumque Romanorum; si Lucio Martio in Hispania interemptis Scipionibus concionanti, & milites ad vltionem exhortanti, ardens simili modo caput victoriam glorioſam tot regnorum florentissimorum sceptra superbissima prænuntiauit; si postremò Iulij Ascanij in Italiam iam appulsi caput flammis ardens flagransque pater aspiciens, & honorem Regni clarum & insignem, & victoriam de Mezentio, de Turno, de cæteris hostibus deportaturum se esse sperauit, & planè consequutus fuit vtrunque, atque ab vrbe Lauinio, Albaque conditâ Reges Albani, inde Romæ cunabula, denique superbissimum cunctarum gentium ac nationum Imperium Romanum consequutum: quid de Heroe hoc cœlesti ignibus tam diuinis non polliceri nobis poterimus? Sed quid non ageret Ignatius flumine fluctuum aduersorum contendens, & aquis tot procellarum maximarum, passim in se, in suos orientium, & alias aliarum consequentium, omniumque inuicta virtute repulsarum augens & amplificans ignem suum, flammamque cœlestem? Sed quid hoc, Auditores? quas aquas audio nominari? Quid aquarum vi flammas & ignes augeri? Quid magis contrarium, & infestum ignibus, quam aquæ? quid magis aduersum, & pernicioſum flammis, quam aquarum multitudo emissarum? An non incendiis maximis valde volitantibus, & longè lateque peruagantibus ædes quascunque flammis, protinus ad aquam confugimus? non comportari lebetes aquarum, non plenos alios & alios in flammas crescentes ruentesque deiici videmus? non aquarum vi maximos ignes & flammarum

ardores extingui? Quid hoc igitur, quod audio crescere Ignatij tam ingentes ignes, aquarum immensâ multitudine? Sic se res habet, Auditores: sæpè magnem vim etiam aquæ ad augendos ignes flammasque nactæ fuerunt. Non audistis in Riphæo erumpere flammam è petra, quæ pluuijs accendatur? Non etiam accepistis Thrasymenum lacum arsisse totum antiquis temporibus? non legistis flagrare in Phaselide monte Chimæram, & perpetuâ diebus ac noctibus flamma? Non legistis Peulti ijsdem in locis ignem illi us accendi, & in flammari similem in modum aquâ non eadem? In Lyciâ Hephastij montes tæda ardente tacti flagrant adeò, vt lapides quoque riuorum, & arenæ in ipsis aquis ardeant, alanturque illi flagrantes ignes pluuijs etiam immanioribus. Qui si miramini hæc, multò magis mirari potestis, cum in medio mari Hicta insula Æolia Italiæ proxima cum ipso mari arsisse per aliquot dies sociali bello feratur. Hæc si narrantur prodigij loco; si hæc omnia stuporis pleniſſima sunt; narrantur tamen vt visa, vt quæ fuerint & acciderint portenti, prodigijque similia; quid de Beato Ignatio narrabimus, quem Deus Optimus ac Maximus Filij sui vestigijs insistentem, & ab illis nec minimum deflectentem, magnum absolutæ perfectionis generi Christianorum suorum agminibus voluit ostendere? Ne longius abeamus, ne exempla vitæ suæ plura proferantur, vel illud satis vobis esse debet, vt hoc in animum vestrum inducatis, quod cùm ignis esset, & ardens, in stagnum ingressus hyemali tempore, cùm omnia frigoribus rigeant, & collo tenus, ac nudus, aquæ frigidissimæ se mersit neque extinguebatur, sed voces maiores quanta poterat contentione mittebat, vt hominem rectà pergentem, quà solebat libidinum explendarum causa, à nefarijs impuritatibus abduceret: quibus tanquam facibus admotis animo flagrantibus ad se redijt, & à libidinibus, à carnis voluptatibus abstinuit in posterum. An verò, quemadmodum alij multi, vt Coronati illi, quibus de multa possemus dicere, tyrannorum & hostium crudelitate in stagnum coniecti, frigoris immanitate, aquarum geliditate confecti fuerunt, Ignatius Confessor insignis non animam efflasset, nisi cœlestis ignis diuino numine cum aqua confligens superior euasisset? Scitote, Auditores, quod Christi Eques insignis ad hominis impurissimi libidinem cohibendam coercendamque libens, & æstu diuino flagrans, subire voluit,

tormen-

tormentum id : tyrannos vero initio nascentis Ecclesiæ, cum Iesu cultores egregios in stagna gelida, & hyemali tempore, & rigente gelu, frigoreque præter modum omnem sæuiente ad spiritum adimendum coniecerunt, in fortissimos Christi Iesu Heroas per omne scelus crudelitatem excreuisse. Sed quid mirum, quod ignem hunc stagnum illud non extinxerit, quem multarum aquarum vis infinita nunquam à tractione sua potuerit extinguere? Fuit hoc, fuit proprium Sanctorum nullis fluctibus, nullis tempestatibus obrui, manere potius saluos semper & incolumes, & cœlestibus quidem ignibus ignes superare tyrannorum. Pueri commendantur, qui fornacis accensæ flammas ingentes igne suo diuino superarunt. Commendantur Tiburtij in eisdem flammis exultantes ac triumphantes gaudijs omnibus, qui aquis charitatis, aquis lacrymarum, aquis voluntatis immortali Deo deuotæ penitus ignes extinxerunt, & Ignatio non dabimus, vt igne suo cœlesti scelestissimos tyrannorum ignes extinguat, & alias quascunque difficultates & pericula stagnorum aqua hyemali rigentium subeat, & superet inuictissimus immortalis Dei robore ac virtute munitus? Vis illa charitatis & ardor inflammatus in Deum tot attulit Patriarchæ sanctissimo victoriarum, & operum admirandorum causas præclaras & illustres. O flagrantem Ignatij Loyolæi mentem! O pectus æstu diuini numinis accensum! O verum ignem, verumque charitatis exemplar! Non miror iam Auditores, tot miraculis Heroa tam insignem præstitisse, qui tot patientiæ, & charitatis radices egerit altissimas. Quod enim genus miraculi cogitari potest, quod in Ignatio sanctissimo, in Heroe cœlesti mirandum & stupendum non reperiatur? Vix ea profectò libri capere posse videbantur, vix librarij diuersis in locis mandandis, vix nostri patres sufficere poterant deferendis consignandisque miraculis instrumentorum auctoritate publicorum, quæ in Cantabriæ partibus, quæ in Valentiæ diuersis populis, quæ in Aragoniæ, quæ in Castellæ veteris ac nouæ sedibus, quæ in ipsa Italia, in vrbe Roma summa cum admiratione & Confessoris clarissimi celebrata commendatione gloriosè patrata fuisse deferuntur. Testes sunt instrumenta plurima, literæque ex tam diuersis sedibus & gentibus locorum tam multo interuallo distantibus delatæ,

signis-

signisque obsignatæ Prætorum & Scribarum, multarum vrbium ac populorum. Testes Indiæ ipsæ, ex quibus noua quotidie miracula veniunt & deferuntur ad nos. Testes verba, quæ ipsi Cardinales sanctissimæ Congregationis rituum & cærimoniarum fecerunt in cunctorum Cardinalium consessu, in ipsius Beatissimi Pauli hoc nomine Quinti, Pontificis Maximi ore conspectuque sanctissimo. Testis ipse Romanus Pontifex, qui cum videret canonizationem ipsam (sic enim volo, vt omnes intelligant, loqui) differri propter Borrhomæi Cardinalis sanctissimi causam nondum expeditam, quanquam non aberat multum temporis à tantæ, tamque ingentis gloriæ celebritate, tamen passa non fuit sanctitas Beatissimi Pontificis fructibus istius beatificationis ad illam vsque temporis exiguam intercapedinem suum carere Ignatium. Testes postremò diplomata beatificationem testantia sanctissimam, & iam multis meritis, insignibus virtutum, trophæisque decoratam, quæ miraculorum honorificam mentionem fecerunt. Et non te Beatissime Paule, non te sanctissime Pontifex amem, qui virtutem amplius, & ignem tam illustrem latere noluisti, sed emergere iam tandem ex occulto tenebratum loco, atque adeò in ipsius orbis terræ incolarum omnium ore clarissimaque luce versari, tuâ cœlesti auctoritate tantum & tam illustrem comprobante splendorem? Non te Patres Societatis Iesu hisce monimentis ad suorum ministeriorum præclaras actiones, & ex instituto suo præclarè sancteque præstandas excitati colant, atque venerentur? faciunt quod æquum est, quod tua Sanctitas merita sat certè quidem, & pedes Sanctitatis tuæ, quemadmodum parentes suæ Religionis fecerunt, quoniam diuersis in locis commorantes, disiunctissimisque terrarum partibus Christianæ ditionis agentes, osculari præsentes non possunt, quòd possunt, id faciunt: id autem faciunt, vt animis tuam Sanctitatem complexi, absentes illi omnes voluntate, quoniam aliter non possunt, ad genua tua prouoluti, demissè nimis & humiliter, obsequij ergo debiti, gratorumque animorum, pro pietate vim lacrymarum ingentem profundentes, ea suppliciter deosculentur. Hæc nostrorum Patrum ad Beatissimi Pauli Sanctitatem verba: mea vero ad vos, Auditores, quæ sequuntur in orationis exitu memoriæ mandetis obsecro: volumus enim causas beatificationis huiusce animis vestris, memoriaque non discedere. Quæ si ex igne tam illustri, & à traductione suâ tam clarè collucent

centi in exitum vsque vitæ petantur, tam claræ tamque insignes: si ignis iste, scilicet Ignatius, luce suâ tantum Ecclesiæ, & cunctis gentibus ac nationibus illuxit: si Ignatius, quod Christus de aduentu suo, id de se iactare potuit, se venisse in orbem terrarum, & à Deo missum ad ignem in sola terrarum inferendum: si verè per se, per suos intulit, & quò nunquam Romanorum, nunquam Alexandri arma penetrarunt, in eas partes terrarum vltimas lucem inferens, Euangelij Christi Iesu fidem sanctissimam intulit, tenebrasque mortalium animis offusas dispulit, atque discussit: si quod de B. Laurentio Mater Ecclesia cecinit, nos de Ignatij examinatâ quidem, valdeque spectata virtute celebrare possumus: si patientia, si charitate, si cæteris virtutum maximarum ornamentis adeò præditus fuit, vt cum multæ tempestates in se, in suum ordinem concitatæ, perturbare non potuerint, omnes autem suo inuicto robore ac constanti virtute superauerit: si tot procellis & fluctibus superatis, quot numerari non possunt, id constat, quod ille, & sua Religio sacra maiora semper incrementa cepit: si non solum ignes humanos igne suo cœlesti repulit, sed aquis in ipsis, id est, in perturbatis temporibus ignem saluum & collucentem conseruauit: si postremò tot miraculorum magnitudine & præstantia viguit, & viget in hodiernum vsque diem, est quidem vt Beati Pauli Pontificis maximi beatificationem præsentem, & tam illustrem, & tam insignem, testatam tot æquissimis iustissimisque causis (quod gentes omnes ac nationes fecerunt) nos Ignatij sanctissimi filij præcipua religione veneremur, teque precemur, Deus optime, ac maxime, vt qualem te nobis hoc fœlicissimo beatificationis tempore præbueris, talem te in canonizationem proximam, & ex nutu cœlesti pendentem præbeas, & eidem suo tempore perquàm breui, quòd de tua bonitate speramus, Romani Pontificis mentem iniicias, quem Heroa tuum, defensorem Verbi, amplificatorem dignitatis tuæ, euersorem idolorum, depulsorem hæreseos, & hostem inimicorum Christianæ fidei capitalem, malleum hæreticorum fortissimum, recuperatorem Sacramentorum, restitutorem amissæ prostratæque tot in Prouincijs, Regnisque Religionis Christianorum præstantem Ducem Ordinis Iesu, tam insignem propagatorem Fidei missum, & à tua Maiestate Filio commendatum, tot pignoribus obsidibusque tuis diuinis notum, & insignibus tropheisque cœlestibus glorioſum, quemadmodum in Beatorum

torum cœtum retulit tuo nomine diuino ductus, in Sanctorum ordinem Confessorum, in Patriarcharum album ascribat, ascriptumque renuntiet sua Pontificiâ auctoritate, declaret generi mortalium vniuerso, vt quam tibi Vicariisque Iesu Christi maximæ curæ sit, egregiè fideles cultoresque tui intelligant omnes, & virtutem ac veritatem coluisse Te videant ad Sanctorum merita patefacienda, & suis præmiis in terris honoribusque decoranda cœlestibus. Dixi.

ORATIO IN LAVDEM B. Ignatij Confessoris, ex Enumeratione, subsidio aliorum argumentorum.

AVdita vobis fuerunt, Auditores præstantissimi, quæ fama toto terrarum orbe, de sanctissimo Patriarchâ Ignatio, Pauli Beatissimi hoc nomine Quinti auctoritate in Beatorum numerum ascripto, detulit in vrbem hanc Hispalensem. Res fuit eiusmodi, quæ ab vrbe Roma Alpes prætergressa in Aulam Regiam peruenit, & inde permanauit loca omnia in hanc vsq; vrbem peruenientes, post Galliæ, reliquasq; vlteriores partes Romanæ genti vicinio-res suâ celebritate completas. Atque rem iam maria omnia peruagatam, vel in Indiarum omnes accessisse partes, vel non procul ab illis iam tandem abesse putatote. Nuntius in tantâ expectatione cunctarum gentium, atque nationum erat, vt propè singulos dies expectarent omnes, propter vota bonorum omnis generis hominum, & tanti Confessoris sanctitatē omnium auribus acceptam, multis vitæ testimonijs & miraculis passim testatam vbique locorum. Cùm nos, cùm omnes (quam vulgò Canonizationē dicimus) iam propè exploratam auidis animis expectaremus singulo in dies. Beatificationem, quæ gradus est primus, vnusque referendi B. Ignatij propior proximusque in Sanctorum numerum, Beatificationem (sic Theologi appellant) gaudentes lætantesq; accepimus: in quo magnam partem rei totius confectam, adiuuante Deo, cùm è vadis emerserit, & scopulos præteruecta fuerit difficillimos, sine dubitatione nobis persuadere possumus. Quòd verò non statim actus vltimus Canonizationi transactus fuerit, & aliorū antiquiorum maximorum

morum Heroum, & de Ecclesia bene meritorum, maximè Cardinalis sanctissimi Borromæi (quod omnes Romanæ Curiæ scientes ignorare non possunt) causæ prius ad Romanum Pontificem delatæ, dilationem hanc & moram afferre potuerunt. Quòd verò non vt contendebat Societas vniuersa, non vt multi Principes Christianæ Religionis, multi sacrarum Ecclesiarum cœtus per literas efflagitarunt; quòd non vt Galliæ Christiani, non vt Hispaniarum Catholici Reges per literas, per legatos cõtendebant, impetrare potuerunt in præsens tempus, impetrarunt tamen, quod proximum est, in Sanctorum declarandi numerum asscripti sanctissimi Patris Ignatij celebritatem: Vtque nondum expeditis causis superioribus, à quibus explicandis nõ multum temporis abest, in Beatorum cœtum asscriberetur pro suis virtutibus, pro sanctitatis singularibus meritis, pro plurimis & ingentibus miraculis, ne tanti Principis solemnioribus celebrioribusq; ferijs, dum interea Canonizationis honos accederet, suorum sacra familia careret alumnorum! O summa Dei Optimi ac Maximi benignitas! O singularis diuinorum consiliorum ratio! O miranda maximeque veneranda omni religione Dei prouidentia! Qui dum tempus necdum est, dum abest Canonizatio, neq; suos, neq; Ecclesiam debito cultu, honoreq; cœlesti carere passus est: fecit enim vt Societas Iesu interim incredibili hac, atq; diuinâ lætitiæ voluptate perfrueretur, & duplicem lætitiam caperet, & ex istius die, & ex Canonizationis feriis solemnioribus, non procul post expeditas superiores causas, expletasq; postulationes absentibus, & iam hominum iudicio sanctissimorum imminentibus. Quid enim ille tuus vultus, & os benignum Patribus ostensum, tam lætum & hilare sanctissime Christi Iesu Vicarie, Pontifex Ecclesiæ maxime, quid tua illa suauitas & comitas, quid tua benignitas & pietas, quid verba facta, quid responsa parentibus nostris, Patri (inquam) nostræ Societatis Præposito Generali, Præsidentibusque quatuor ingredientibus sacrum tuæ Sanctitatis palatium, & ad tua humiliter ac demissè genua accidentibus, & agentibus gratias immortales pro beneficio tam singulari in Societatem vniuersam magnificè liberaliterq; collato declarare visi sunt? Nonne respondisti quo soles afflatu diuini numinis, quo immortalis Dei instinctu Beatificationem decreuisti, te non pœnituisse facti, quin gauisum te fuisse vehemẽter? Nonne postremò dixisti, te in animo habere, nõ hic cõsistere, sed longius progredi? Quousq; sanctissime Pater? vsq; eò quidem, quoad factam reddetes

omnino

omnino rem instituram. Vsque eò, quoad in Sanctorum numerum asscriberes, & quod Patribus Romæ, quod in diuersis terrarum partibus, quod in Regnis, Imperiisque omnibus, quod in omni orâ regioneque terrarum nostræ Societati vniuersæ quidem tam longè, lateque dispersæ omnibus terris, atque locis, à solis ortu in occasum vsque degenti concessisti, id in omnibus ditionis Christianæ finibus fidei nostræ cultoribus liberalitate magnâ diuinoque ductus affatu concederes. Agimus tibi, diuine Spiritus, gratias immortales, neque agere vnquam desinet vniuersa Societas pro tanto in nos collato beneficio, tam ingenti, tam singulari, tam appositò, ad augendam latiusque propagandam Filij tui alumnorum nominis & gloriæ celebritatem: qui mentem dedisti Paulo Filij Dei Vicario in terris sanctissimo dignissimoque factum tam pulcherrimum, quæstionibus habitis, & probationibus legitimis, solitâ Cardinalium excellentissimorum, fratrumque suorum præstanti mirificaque consensione faciundi. Illa sanè verba, de quibus paulò antè, Patre tanto sunt digna, quæ prædicunt multò magis cumulandum, augendumque beneficium, & vt breuissimè dicam, quibus Sanctitas sua Patrum nostrorum expleuit animos iniectâ spe, propositaque expectatione Beatum Ignatium in numerum asscribendi Sanctorum, ritibus & cæremonijs Ecclesiæ, illa publica actus præstantissimi magnificentissimique actione glorioßissimâ, tot Principum Ecclesiæ, tot Pontificum illustrissimorum, tot Equitum, tot Heroum magnorum, tot Regiæ Imperatoriæque Maiestatis Legatorum præsentium splendore, atque in totius vrbis Romæ celeberrimo frequentissimoque conuentu, Cardinalibus ipsis sua purpura fulgentibus, & actus celebritatem partim cohonestantibus, partim Pontificiam Sanctitatem adiuuantibus, cùm Canonizationem ipsam suâ amplissima celsissimaque Sanctitate cœlesti diuinaque religione celebrauerit. Id nobis, id Patribus Societatis nostræ, id vniuerso quidem sodalitio prædicere visa fuit Pauli Beatissimi Sanctitas excelsa. Qui quotidie fecit potestatem Beatificationis celebrandæ, in ipsa primum vrbe Roma Patribus nostris, nec illis solum, sed omnibus Presbyteris cuiuscunque ordinis ac dignitatis, qui nostram in ædem Professorum factum rem diuinam irent, faciendique sacri de Ignatio Beatissimo veniam potestatemque largitus est. At qui concursus illo die, Auditores, quæ frequentia? quæ multitudo virorum,

ac

ac mulierum? Quæ religio omnis generis & ordinis? quam singulare studium Cleri totius? Quæ contentio concertatioque sanctissima volentium facere sacrum, interesse sacro solenni de Patriarcha faciendo non Pontifice? Quæ multitudo frequentatioque sacræ mensæ discumbentium? Quæ concio, & à quo? à Reuerendissimo & omnibus titulis dignissimo Patre Generali Aquauiua, tanto concursu habita de laudibus Confessoris Beatissimi. Qui motus, qui sensus cunctorum ab albente cœlo, in primam vsque horam pomeridianam? Quis fuit adolescens, qui vir cuiuscunque generis ac fortunæ, quæ matronæ honestissimæ clarissimæque, quæ illo die non concurrerint in templum? Qui Præsules, qui Patres Purpurati, qui Equites, qui Heroes magni, qui non venerint animos illius celebritate dici dulcedine completum, pastumque iucundissimè? An verò Legatos diuersorum Principum Christianæ Religionis abfuisse dicemus? An Legatum ipsum nostri Catholici, celsissimique Regis? An Legatum etiam Christianissimi Galliarum Regis illis Ferijs solennibus abfuisse dicemus? Attendite, Auditores, quod dicam. Pro miraculo habitum fuit, pro nouo inusitatoque prodigio, nullique alij sermones tota Vrbe iactabantur, quam quod nunquam auditum, quod nunquam ante visum, quod inusitatum prorsus, vt qui nunquam conuenire consueuerint, nunquam vni eidemque actioni interesse publicæ, nunquam visi in eadem celebritate conuenire, Hispaniarum, Galliarumque Legatos, hac in sacra solennique Beatificationis luce interfuisse viderint, admiratique fuerint omnes Romani; & quidem humanissimè concordissimeque, sine vllâ, quæ inter tantos principes haberi solet, de principatu concertatione locorum. Quo concursu? quâ celebritate? quâ cunctorum religione? videretis ingressus, reditus, mansionesque cunctorum, vt locus dari tempusque poterat. Videretis partim templum Professæ domus, partim sacellum maximum, partim cubiculum Patris Sanctissimi cum religionis ergo maximæ, tum sensu miro, motuque animorum obire ingredientes constrictosque admodum, valdequè compressos totum diem, & per octodialia sanè certè continua. Horum religionem augebat ornatus templi, quod peristromatibus pulcherrimis, vilendisque admodum ornatum per hosce dies videbatur, ex telâ filo aureo intertextâ illustri sua specie & splendore collucentibus. Quorum de pretio & æstimatione nihil dicam amplius, quàm sororem eiusdem Romani Pontificis,

ficis, ſtudioſam noſtræ Societatis, valdeque noſtrarum rerum amantem, templi parietum interiorum, magnificentiſſimè ſibi pro hac ſummâ in noſtrum Ordinem religione, curam prouinciamque depopoſciſſe conueſtiendorum. Itaque non modò ad morem Regium, ſed ad magnificentiam Pontificiam (quæ ſumma eſt tantæ Dominæ potentia, & in vrbem Romam dominatio potentiſſima) videtis eam ornaſſe templum interius vniuerſum. Quo decore, ornatuque cùm niterent parietes, tum templum ipſum, aræ ipſæ funalium claritate accenſorum collucebant & illuſtrabantur? Qui decor altarium, qui nitor, qui ſplendor ornamentorum, quibus aræ micabant collucebantque clariſſimè? qui odores accenſi? quæ thuris fragrantia? quæ ſuffimentorum omnis ſuauitas ferebantur in cunctorum nares? Iam verò effigies multæ, tabulæ pictæ, ſigna nitida, & illuſtria, ipſum Confeſſoris inclyti ſimulachrum in veſte non pretioſa ſolum, ſed auro nitente, fulgente decoratum, cum diademate in capite ex auro puriſſimo fulgentiſſimoque quam præbebat ſpeciem, quam maieſtatem in Beati cœlitis habitum, formamque adornatum? Quæ illis diebus donaria, pulcherrima? quam viſenda, quamque magnifica? Quod diadema eo die donatum tanti pretij & æſtimationis? qui muſicæ dulcedine compoſiti cantus, mirandaque ſuauitate redundantes, totam fornicem, teſtudinemque templi ſuâ iucundiſſimâ concinnitate, varietateque complentes? cœlitum ipſorum modulationes, & tanti Patriarchæ feſtos dies illis lætiſſimis Ferijs in cœli palatijs omnibus cœleſti ſuauitate celebratos ante oculos Romanorum poſitos præferre videbantur. Interim ſuis ſtatis temporibus tota vrbs Roma iucundo hilarique cymbalorum pulſu perſonabat. Quæ ſi magna, ſi iucunda, ſi viſenda proponebantur, & tanto cultu, religione, apparatu, ſplendore præſtita fuerunt ipſa prima Beatificationis luce, ab eiuſdem præeunte peruigilio, quid culta octodialium tota celebritate præſtitum? Quid factum ad actus pulcherrimi religioſiſſimique concluſionem, mirifico, vt parerat, exitu terminandum? Non ſunt, Auditores, ſuperiora cum ſatietate repetenda, ſed maiora, magnificentioraque fuiſſe putatote. Quæ omnia quantam Vicario Chriſti Ieſu Paulo hoc nomine Quinto alacritatem adhibebunt? quemadmodum augebunt ſtudium & voluntatem ſuam? quemadmodum accendent animum illius ad exitum vſque cacumenque Canonizationis ſublime perueniendi? Ille, ille, vel potius Spiritus diui-

diuinus animum mentemque dabit, suo tempore (quantam videbitis, qui biennium vixeritis) celebritatis omnino perficiundæ, suisque tandem numeris omnibus absoluendæ. Quam cum hæc omnis generis hominum studia mirificè consentientium, & ad cultum & honorem B. Ignatij conspirantium vota sanctissima conficiundam, perficiundamque prænunciauerunt: tum prædictiones testantur nostra hac memoriâ singulares, & insignes sanctarum personarum mentibus visiones cœlestes obiectæ, quas vi spiritus ab humanis abstractæ, animorum oculis cernere visæ sunt. Sed quid prædictiones has duntaxat numero? Quasi verò afflatu diuino facta decreta Beatificationis, cœlesti numine edita oracula diplomatis, & consignata non testentur atque promittant? Quæ in quod vsque tempus Beatificationis honorem proditum concedendum & dandum ostendunt? In illud vsque tempus, quo auctoritate suâ rebus omnibus expeditis, quæ propè iam in exitu sunt, Beatus in Sanctorum album asscribatur Ignatius. Nimirum illud est, Auditores, vt Pontifices Pauli, quemadmodum Societatis instituendæ fuerunt auctores, ijdem nomine diuino cœlestique prouidentia Principes sint ornamentis maximis, auctoris sui honorandi cohonestandique Ignatij sanctissimi. Quis enim Societate Iesu nascentem, & vagientem suis in cunabulis comprobauit? Paulus hoc nomine Tertius Pontifex Maximus. Quis eandem etiam primùm sexaginta sociorum numero contentam, augendam & amplificandam, omnium cœtu qui cooptarentur, & sua darent nomina ad superiorum voluntatem sua auctoritate approbauit? Quis tot prærogatiuis, & immunitatibus, tot donis ac muneribus ornauit? Idem Romanus Pontifex Paulus. Quis etiam ad tot decora & ornamenta addidit plura, & superiora quidem sua auctoritate rata habuit, & valere iussit in perpetuum? Alter Pontifex Romanus hoc nomine Quartus. Quis postremo fundatorem minimæ Societatis, Parentem & Ducem Ignatium in Beatorum numero posuit? Paulus sanctissimus hoc nomine Quintus, viuens modò & agens inter mortales. Quis ex fide sua, ex diuini Spiritus afflatu referet in Sanctorum numerum? Paulus hoc nomine Quintus. Scilicet, Auditores, vt Beatus ille Beatos efficit ex mente Dei immortalis, ita Paulus Paulos, id est, Pauli officio fungentes honorare vult, & cohonestare suis donis ac muneribus, & ad ministeria sua, ad instituti sui actiones magis ac magis in animorum salutem omni semper alacritate suscipiendas exemplo

Beatissimi Ignatij excitare voluit, & actus præsentis diuino beneficio tanto Patriarchæ iustum ac debitum Beatorum honorem inpertiri. Quo de quoniam agimus, tam solennis stataque diei Beatificationis amplitudo nobis exponenda est breuiter, quò magis in B. Ignatij studium & religionem accendamini. Honos hic ex nomine satis constat vel inscijs Latini sermonis. Sic enim clarum est atque perspicuum, vt magis Hispanè rem ipsam ostendere videatur, quàm Latinè, quam eleganter. Sed nimirum rebus his deficientibus ineunte sermone Latino, & adulto multos iam annos, postea præsentibus fœlicitate Christianorum accipiundum fuit hoc Beatificationis, quod rem ipsam planam reddit & perspicuam. Eò enim spectat, vt de bonis sanctisque viris in Beatorum numerum referendis agat. Qui gradus quam clarus est & illustris, & quamuis primus quoque gradus factus est ad Sanctorum ordinem renuntiandum, quàm honorificè patet ad illustres sanctos Heroas hoc nomine & dignitate decorandos? Dicat imprimis declaratio gloriæ consequutæ Beatorum. Hac primùm, Auditores, fieri visa potestas est ijs Principibus clarissimis nos ipsos nostrasque actiones studio ac religione commendandi, quæ illos in Beatorum numero esse, socios & comites esse Cœlitum, interesse cum Equitum diuinorum agminibus in aula cœlesti celsissimis spectaculis & honoribus ostendit, quòd Dei immortalis æuo sempiterno frui, quòd illius aspectum eos sibi peperisse, quod os Domini intueri videamus, atque certò sciamus, & tam certò quidem, quàm quæ certa sunt, quæque certissima. At cuius auctoritate? Illius, qui nec falli potest, neque alios in ijs, quæ fidem attingunt, in fraudem inducere. Ex Romani Pontificis auctoritate, ex Papæ sanctissimi decreto. At quem mihi Pontificem Romanum narras? Vicarium Christi Iesu; ViceChristum appellatum in terris, à Christo Iesu datum, & Præfectum vniuerso generi Christianorum, Parentem & Præceptorem communem, & ad aperiendas, & ad concludendas cœli sedes & domicilia cœlestia diuina potestate fungentem: à quo, ceu à corde sanguis in venas, vt à mari flumina, vt à fonte riuuli, vt à sole radij, ab igne flammæ, primordia nostrarum rerum, si aberrare noluerimus, cuncta capiunda sunt. Is, is, inquam, Vicarius Christi Iesu, noster in terris (vt ita dicam) Iesus, & noster, more, quem Christiani intelligimus, dictus & habitus Christus, Ignatium tetulit in cœlum ordinemq; Beatorum. Itaque hunc iam adire Patriarcham sanctis-

sanctissimum nomine Matris Ecclesiæ possumus : huius implorare nostris in rebus opem : huius deposcere patrocinium, huic supplicare, huic nos commendare possumus, & huic non solum preces adhibere, sed concessum est potestate Romani Pontificis statas Sanctorum Horas persoluere, eidem Sacrificia facere, hunc Beatorum honore afficere, rem facere diuinam, & suas sacras solennesque Ferias ritu & cæremonijs Ecclesiæ recolere & instaurare. Quos tamen, Auditores, Beatorum honore afficimus, inter Beatorum & Sanctorum gradum assequutos, hoc interesse videmus, vt Beatis speciatim à nonnullis, vel à pluribus, quibus per Romanos Pontifices licuerit, statos Ecclesiæ honores tribui videamus, Sanctis verò vniuersè iam ab omni genere & ordine fidei Christianæ cultorum. Quod verò spectat ad finem consequutum, ad adeptam cœli gloriam, ad comparatum diuini numinis aspectum, nihil est quo dubitemus. Alioquin cur vt Beati venerandi? cur Beatorum honore colendi? cur ijs vota Cœlitum facienda? cur diuinæ preces persoluendæ? cur patrocinium eorum adoptandum? cur aræ excitandæ? cur postremò cæteri honores tribuendi? Quasi verò interfit hac in re inter Sanctos, & Beatos, nisi quòd publica nondum actio exierit, & emanauerit in vulgus, Romanorum Pontificum auctoritate consignata, tum publicè celebrata in conspectu mortalium & luce clarissimâ? O magna Beatorum gloria! O dignitas celsissima! O decus insigne & verâ cœlitum, verâ Equitum Cœlestium celebritate condecoratum! Quos sic appellamus Beatos, vt Sanctorum iam gloriâ perfruamini; sic colimus eosdem, veneramurque Beatos, vt cœli sedibus altissimis, vestris honoribus diuinis ac cœlestibus condecorati sitis; sic honoramus Beatos, vt iam Sanctorum insignibus in cœlo, inque Dei aspectu vigeatis ornati; sic postremò prædicamus, & extollimus Beatos, vt cùm in cœlo vestrum iam locum & honorem obtineatis, in terris Romani Pontificis declarationem, testificationemque expectemus. Quod vt intelligatis melius, Auditores, & Beatorum sitis studiosi, dicite per ea, quæ vobis cara sunt, si quis domi infans, vel statim atque prodijt in lucem, aquâ salutari ablueretur, non esset Christianus is iam? non si id temporis, vel statim, vel paulò pòst, atque sacra suscepit Christianorum, ex hac vita exijsset, non recta euolaret in cœlum Christianus, & meritis Iesu in cœlum sibi aditu patefacto, & hoc nomine & honore Christiani afficiendus? Nemo vestrum inficias ire potest. Itaque vos confitentes video,

atque ita confitentes, vt fœlices ac fortunatos, tales infantes appelletis. Ad rem, qua de modò, excitate vestros animos, Auditores. Cùm ij iam, qui Beati declarati, qui iam hoc nomine, & honore affecti sunt Pontificum auctoritate Romanorum, Sanctorum sim les, ipsa solùm in renuntiatione publica sint dissimiles duntaxat, quòd nondum actu celeberrimo renuntiati fuerint, neque internis honoribus insigniti Sanctorum, quid ergo restat ad Sanctorum decus? renuntiatio publica, vt ad infantum, quibus de egimus, publicæ matris Ecclesiæ cæremoniæ, ritu que adhibendi. Quod idem vos videtis in ijs, qui nuptiarum dom societatem co erunt, qui sanè iam matrimonij honore coniuncti sunt, sed in Ecclesiam adducuntur, vt cæremoniarum Ecclesiæ, vt rituum solennium statorumque sanctitate non careant. Sed iam, si placet, illud in memoriam redigite, quod quot die videtis in Academijs vsurpari. An non cum Iuris vtriusque alumni, cùm sacræ Theologiæ filij curriculum suorum confecere studiorum, continuò animos appellunt post biennium, quod intra repetierunt recoluerunt que sua studia, post examinis iam periculum, post actiones literarias, & documenta progressionum suarum data, acceptâ iam laureâ Licentiati, probati iam calculis omnium Doctorum, ad insignia Doctoris capiunda, quotiescunque sibi col ibitum fuerit, idonei sunt, & comprobati? Nemo hoc inficiabitur, nisi rudis & ignarus Academiarum, quique hospes fuerit, & ab institutis sanctionibusque so ennibus alienus. Quid igitur reliquum ad Doctoris lauream, num aliquid scientiæ, num specimen aliud ingenij dandum? num in examinis alicuius periculum, seu discrimen venturus est Licentiatus? Quid ergo? solus apex, sola laurea restat, solùm cæremon æ reliquæ, vt in frequentissimo celeberrimoque orbis gentium Academiæ theatro Doctoris accipiat insignia maximi facultatis ipsius auctoritate Decani. Inde laurea, inde nomen Doctoris, inde insigne, & decus, inde postremò lustratio per vias publicas & loca celeb ora ciuitatis. Quid ergo ad Beatorum gloriam perficiundam restat aliud, honoremque suis omnibus numeris absoluendum, nisi auctoritas publica, suis ritibus & cæremonijs confirmata, Pontificis Romani? Itaque cum Beatos renuntiatos, cùm delectos audio Heroes ex hoc sæculo iam egressos, & cœli præmijs perfruentes, intelligo suâ laureâ donatos in cœlo; sed ad Sanctorum insigna renuntianda patefieri adi-

ri aditum, & designari suis breuiter insignibus ornandos in terris, vt id notum compertumque fiet generi mortalium, quod iam obtinuerunt Heroes in cœli sedibus, gradus & ordinis sui decus immortale. Quòd si res ita se non haberet, Auditores, an Sanctos istos, quos iam in Sanctorum numerum assciptos colimus, & venetamur, appellaremus nomine Beatorum? Quid enim hoc esset, nisi tollere Sanctorum honores de medio? nisi priuare suis iustis ac debitis titulis? nisi imminuere decus & gloriam Sanctorum? An vos rectè, & è dignitate suâ appellaretis Principem eum, qui Rex esset? An bene nominaretis Regem, quem sciretis, quem videritis Imperatorem? Quid hoc esset, nisi euertere leges honorum, commiscere & conturbare titulos, & insignia Maiestatis Regiæ vel Imperatoriæ Celsitatis? Quis etiam vnquam Marchionem Comitis nomine, quis Ducem appellaret Marchionem? Quantum, Auditores, ad Sanctitatis præmia, quantum ad Cœlitum honores consequutos, credite inter Beatos & inter Sanctos interesse hoc solum, quòd illi nondum renuntiati sunt Sanctorum honoribus auctoritate Romanorum Pontificum in terrarum infimis sedibus, Sancti iam lauream testatam ac declaratam Apostolicæ Sedis actione publica in ore claritateque cunctorum detulerunt. Dicant hoc cœlestes Spiritus, quos sine discrimine, & Beatos & Sanctos appellamus. Dicat præco Assertoris Iesu Ioannes Baptista, quem & Sanctum, & Beatum & dicimus & prædicamus. Dicant omnes Cœlites quicunque in aula cœlesti commorantur, & gaudijs perfruuntur immortalibus, & aspectu Diuini Numinis sempiterno: non hi Beati dicuntur? non afficiuntur nomine & honore Beatorum? Quis me prohibet, ne precando vel initio, vel progressione precationis, cùm animus caleat, & magis ac magis flagret æstu diuini amoris, & in Cœlitis, cui me commendem, studium & religionem accendat, quin Beatum appellem, & appellando Beatum, nihil de honore suo detraham, nihil de summa dignitate? Sed quid hisce argumentis immoror? quid inuestigandis & afferendis rationibus dare operam videor, vbi tu mater Ecclesia das testimonium eorum, quæ à me prædicta sunt? Non tu in precationibus rei diuinæ, non in confessione eiusdem sacri, ipso statim in introitu Michaelem Archangelum appellas Beatum? At qui Spiritus? præcellentissimus, Dux & Antesignanus earum diuinarum mentium, quæ contra Luciferum gloriam diuinam tutatæ,

Dei robore cœlesti victoriam reportarunt insignem. Quis Spiritus? Custos quondam Synagogæ, modò defensor & vniuersæ custos Ecclesiæ. Te etiam iterum atque iterum appello Mater sanctissima, Virgo Maria, Mater Assertoris Iesu, Regina cœli, terræque celsissima, Imperatrix diuinarum mentium, non tu Beata, non Beatissima sæpe ac sæpius in rei diuinæ Sacrificio, in lectionibus tuarum sacrarum, solenniumque Feriarum appellaris? Te denique, sanctissima Trias, imploro, te testor, quæ eodem decoraris honore, & Beatissima diceris & sanctissima. O nomen Beatorum insigne! O decus & lumen Ecclesiæ clarissimum, & cum Sanctorum omnium laudibus mira cognatione congruens! Te ergo, Ignati sanctissime, ita dicimus Beatum, vt hoc Beatificationis nomine minimè detrahamus Sanctorum Confessorum gradum in cœlo iam consequutum, sed in illud tempus testandum renuntiandumque in terris expectemus, cùm adfuerit, quod breue speramus fore, Pauli Beatissimi decreto, auctoritate, & actione publica, & quæ tuæ Societati potestas & venia datur, omnibus breuiter Sacerdotibus detur concedaturque generatim, & vniuersè. Interim gaude tuo isto tam excellenti bono, fruere gloria præsenti. Fruimini vos, Patres Societatis, fruimini cuncta Collegia, Ædes probationis omnes, Domicilia Professorum. Est hæc Beatificatio ruborum instar vespertinorum, quæ breui solem clarum & illustrem, & vrbi cœlum clarum atque serenum prænuntiant. Est hæc Beatificatio ignis ille, qui flammam citissimè tollet in sublime, & eximio claroque fulgore illucentem ostendet orbi terrarum vniuerso. Nos interim gaudijs lætitijsque exultantes, de Parente tanto, de igne tam claro, & illustri gloriemur, & Ferias iam datas, Beatissimique Ignatij Sanctitate dignas, apparatu Hispalensi, id est, splendidissimo magnificentissimoque post conditam vrbem non aspecto, omni studio ac religione, tanto Patriarchæ dediti obstrictique, suorum alumnorum laboribus & beneficijs singularibus filijs prosequuti fuisse dicamur. Feciſtis enim Hispalenses, quod vos, quod in vrbe tanta natos facturos esse cuncti sperabant, ne studio, ne religione, ne magnificentia à cæteris vrbium maximarum & Academiarum filijs superari videremini. Quid enim in Castella veteri & noua, in Portugalia, in Aragonia, Valentia, in Cantabria, cæteris in prouincijs præstitum fuerit, dici quidem non potest pro multitudine ac magnitudine rerum, noua, inaudita, ac planè stupen-

nè stupendâ. Atque si vrbes singulas vellem percurrere dicendo, libris opus nobis esset & ingentibus historiarum voluminibus: sed libri dati sunt foras, legite, versate, bene sumptus factos, & labores positos putabitis. Quid Madritum, Romanarum Feriarum acceptâ magnificentiâ, non fecit? Cùm Catholici Reges Ferias cohonestauerint Magnatibus Aulæ Regiæ Regnorumque comitati, quid non lucis attulerunt, & splendoris? Mittamus pro fenestris lucernas, & funalia accensa, ignes omnes artificiosos, inuentas machinationes omnes, lustrationes nocturnas Equestres, simulationes personarum in Carpentana, Complutensi, Toletanaque vrbe. Eiusmodi cuncta fuerunt Valisoletanæ, Salmanticensesque Feriæ: quibus in vrbibus quoniam Academiæ sunt, verba deficient oratorem, ad scholasticorum spectacula, simulationesque personarum adumbranda. Illud prætereundum non est, nunquam post conditam Academiam Salmanticensem cuiquam visum, nec commemoratum vnquam, vacationes octodiales datas fuisse, intermissa literarum studia, officinasque literarias conclusas fuisse, dum dies Beatificationis læti hilaresq; celebrarentur. Communia fuerunt edicta, communes omnibus in locis inuitationes ad solutas orationes, & diuersa Poematum genera, communes præmiorum distributiones. Neque de Sacris solenni ritu, concionibusq; habitis quidquam dicendum amplius, quàm Mantuæ Carpentanæ Nuntium illustrissimum reuerendissimumque Romani Pontificis in Pontificio solemni cultu ornatuque fecisse Sacrum; quem Pontifices multarum Ecclesiarum, diuersarum Diœcesum, pro sua in Societatem Iesu voluntate mirifica imitati fuerunt. Quid in Cantabria non gestum est vniuersa, & in oppido, patriaque Ignatij Patriarchæ potissimum? Vix apud se esse videbantur, nèque viri solum octo dies festos continuos exhilararunt, sed pueri: quid dicam adolescentes? non mulieres, quæ natura sua pudore matronarum impediri possent, ab his celebrandis Ferijs continuerunt sese. Et quidem matutinis, vespertinis, nocturnisque temporibus suas præstiterunt, quas tempora ferunt delectationes, inuentaque iucundissima. Quorum non minore studio, si non omnia magna, tamen ex parte spectacula exhibita fuerunt: In Valentia pro Rege ipso celsissimo, Patriarchaque præcellentissimo sanctissimoque & nostræ Societatis studiosissimo, ambobus ad Feriarum celebritatem ornandam, augendamque suis pro potestate modis insigniter incumbentibus. Quid de Por-

tugalia dicam, quæ cùm omni ornatu magnificentiaque floruit, tum miraculorum præ alijs partibus, in quibus maxima patrocinio tanti Confessoris edita fuerunt, claruit & ingenti stupore præcelluit? Diuinitus hoc factum dicam, & singulari diuini numinis prouidentiâ, vt quæ alijs in prouincijs, populis, & vrbibus opulentissimis, speciatim facta perspectaque fuerunt, cùm in Bethicæ ampliſſimis vrbibus, tum in hac ciuitate Bethicæ capite, vniuersa congesta cernerentur, vt cumulus hic & coaceruatio accideret ad cunctarum decus insigne Feriarum. Itaque nulla fuit Ciuitas Bethicæ, qui huic officio celebritatique non faceret satis studiosissimè, religiosissimeque, & in rebus ad Ecclesiæ cultum & religionem, & ad sæculi ornatum & splendorem omni varietate, quæ cogitari & adhiberi possunt, & diuersitate visendâ. Quarum vrbium, & totius Bethicæ Princeps Hispalis principem se ac verè Regiam præstitit, & ostentauit: quam vt caput, & Reginam expectauerunt reliquæ, vt illius se æmulas & imitatrices præberent. Quid enim Senatus Hispalensis, pro suâ vsitatâ magnificentiâ non præstitit? In cujus consilium simulatque delatum fuit de Ferijs huiusmodi, omnes præeuntem Prætorem Marchionem illustrissimum Del Capio sequuti sunt, eique mirificè assenserunt, vt & funalibus ædes Senatoriæ nocte, quæ diem antecedit, accensis & ex ordine dispositis illucerent plateæ vniuersæ. Vt ignes artificiosi accenderentur, rotæ, machinæque aliæ, & tormenta papyracea medium aera præteruolantia, plurimâ dissimilique iaculatione, ad exhilarandam ciuitatem, ex porticibus superioribus, & ex fenestris in diuersas partes spectantibus sono tibiarum & clangore tubarum tota personante plateâ, frequenter dimitterentur, disploderenturque. Decreuerunt etiam Senatores, vt publico præconio iussi (& pœna non parentibus imposita pecuniaria) singuli ciues pro suis facultatibus lucernas vel funalia statuerent ad totam vrbem illustrandam ardore multo, & ad diem veluti in noctis obscurâ caligine efficiendum. Decreuerunt etiam Senatores, vt tauri agitarentur vna octodialium feria, publicaque spectacula præberentur populo. Vt peristromata sua, & ornatum omnem ciuitatis in Professorum domum deportarentur feriarum ergo celebrandarum, eoque parietes templi interiores, quam partem nanciscerentur, pulchrè & egregiè vestirentur: ijsdem ipsis aulæis illo die, quo spectacula in foro publico præbe-

præberentur, ornanda tabulata decreuerunt, in ingentem altitudinem excitata ad taurorum agitationes, ad ludos Troianos spectandos. Concessus vero Ecclesiarum sanctissimè opulentissimeque, liberalissimè magnificentissimeque se gessit. Eandem cunctis Canonicis venientibus in sententiam, & statuentibus de communi consensione, vt totum templum maximum & turris ignibus artificiosis eadem colluceret, cantu tibiarum, pulsuque cymbalorum à Salutationis Angelicæ signo vicissim nocte peruigilj resonante, totamque complente ciuitatem, cum medio die peruigili in Regiarum feriarum & nati Principis more ineuntibus & auditis primò cymbalis templi maximi, reliquis ipso momento temporis correspondentibus, & vnà pullatis tota ciuitas personaret. Quod factum est, & in tam gratum & iucundum modum, vt præ lætitia vix apud se homines essent, sui prope sensus impotes, ad superas sedes animis sublati plurimi, Religionis sensu ac pietate mirifica commoti, lacrymas tenere non possent, Beatum linguis vsurpantes, extollentes & euehentes in cœlum. Ab eo tempore ciues concurrentes in Societatis ædem, ingredientes in templum, & in peristylium, vtrumque obeuntes & stupentes omnia respiciebant, vt ab illo die omnes cunctis horis ac momentis ingrediendi egrediendique finem non facerent. Neque ornatus hominis ore, neque Oratoris eloquentia potest exprimi. Tenetis omnia, vos vidistis, & testes esse potestis locupletes. Quo de ornatu, cæterisque ad diem festum inuentis, & spectaculis, quoniam libri exierunt, adumbrantes ea ex minima parte, quoniam multitudinem & magnificentiam omnem humana mens capere non poterat, neque ego audacissimus omnium attingam: ne dum aliquid dicere aggrediar, in scientiæ & temeritatis arguar; Qui vbi humanæ facundiæ locus non fuerit, aliquis videri volens, fuerim planè nullus, nihil omnino dicens. Ergo nihil dicam de edicto ad præmia publicato, & cum lustratione tam honorifica, & Equitum Hispalensium, & alumnorum Mineruæ in veste pretiosa, versicolore, & filo argenteo, auroque intertexta, opere Attalico, vel Phrygio elaborata prodeuntium, ad numerum accedentium ducentorum, extra florem Equitum comitantium & cohonestantium pompam lustrationis superbissimam. Nihil dicam de comitatu addito Academiæ Hispalensis alumnorum, qui hanc tantam nostrorum multitudinem, tam illustrem

ſtrem ac nitentem exceperunt, obuiam occurrentes procedenteſque in plateam vſque Senatoriam timpaniſtis, & tibicinibus præeuntibus, qui conuenientibus coniunctiſque iam omnibus, ad quingentorum prope numerum, & illorum, & noſtrorum muſicis inſtrumentis vnà pulſatis platea perſonante, hinnitu crebro plurimoque equorum loca illa complente, tanta ſe effundente, ad muſicæ ſonitum multitudine, refertiſſimoque foro toto, vt numerum infinitum capere non poſſet, quàm longiſſimum latiſſimumque eſt, non ipſæ feneſtræ, non tecta domorum, non porticus ſuperiores, non meniana, non pergulæ, quæ ſpectaculum præbuerunt mirandum, atque ſtupendum. Nihil dicam de caſtellis diuerſis in plateis, machinationibuſque ſublatis, & omnibus tormentis papyraceis ex omni parte confectis: nihil loquar de ignibus omnis ordinis ſacrarum familiarum artificioſis: nihil proferam de cunctarum tribuum templis, & de turribus eiſdem luminibus & lucernis nocturnis ſumma claritate noctis tenebras illuſtrantibus. Nihil afferam de perſonarum ſimulatione à noſtris ſcholaſticis, à vobis Auditoribus, tanta varietate, tanta diſſimilitudine, tantis ſumptibus, tam inſigni ſpecie & magnificentia præſtita, & ad trecentos fere creſcente numero perſonatorum. Tacebo luſtrationem ſcholaſticorum Academiæ B. Michaeli ſacram, & numeroſam, & artificioſam, & ſplendentem, & omnium tunicatorum, & geſtantium manibus haſtas & latas in ſublime, portanteſque compoſitiones in bellicam ſpeciem, quaſi congreſſorum & certamini ſeſe offerentium, haſtarum obiectu oppoſituque ſuarum, in multa luce & claritate fulgentium. Præteribo luſtrationem militarem in D. Michaelis platea, ſimulatamque militum ad mille peruenientium, de Prætoris illuſtriſſimi Marchionis Del Carpio, pro ſua in Societatem mirabili propenſione, mandato, conflictuum & tormentorum ſtrepitu plateam tremefaciente, & puluere tormentario, nubem & tenebras obducente cunctorum oculis. Relinquo octodialia præmiorum diſtributione concluſa, porticibus Collegij Societatis Ieſu, & B. Ermenegildo Regi & Martyri inuictiſſimo conſecrati, aulæorum pretioſiſſimorum veſtitu nitentibus & dialogo venuſtiſſimo concelebrata; in quo lepos ipſe cum elegantia & candore comico decertat. Facio denique miſſa periſtromata varia multiplicique Poeſi, Hieroglyphicis, Emblematibus, impreſſis & inſignibus clariſſimis accuratiſſimiſque, quorum vna porticus tantam ſcutorum papyraceorum copiam ad

ſolutæ

solutæ ligatæque orationis positionem, & aduersitatem continuit, vt quod nunquam in vlla Academia, quibuscunque spectaculis, visum fuerit, siue quadrata, siue rotunda, siue alia quacunq; forma varia ac multiplici, valdeque diuersa sectione distincta fuerint, lõgè lateq; diuerso colore rutilantia, adeo vt duo eadẽ specie secta nõ viderentur, quæ mirabili stupendaq; venustate, amplius ducenta hanc porticum ornauerunt, & distinxerunt. Hæc & alia taceo, auidum & sitientem Feriarum Hispalensium ad librum datum iam foras & emissum remitto, dummodo præmoneam eundem, multa eorum, quæ à nobis animaduersa sunt, & hæc vltima Auctorem libri præterijsse, quemadmodum in aris excitatis artem vnius mirabilem parum notasse visus est, dum in figuris aliorum altarium inhærens, architecturam istius non mandauit, cuius exemplum plus triginta & viri sacrarum Familiarum & Moniales expressum sculptumque comparandum ad alias occasiones enixè vehementerque curarunt. Laudo tamen vos Hispalenses nostri, quorum magnificentia & splendore spectaculorum cæteræ vrbes Bethicæ totius excitatæ, tales ac tantas se præbuerunt in Beatificatione Ignatij Sanctissimi celebranda, de quibus nihil à me dicendum, non historici, sed oratoris partes agente. Vos vero cogitate his omnibus toto terrarum orbe gestis, & Pontificiam aulam complentibus, quàm summè lætabitur Vicarius Christi Iesu, & ad Canonizationis acta conficiunda quanto, pere excitabitur, si, quod vulgò iactari solet, conspiratio omnis generis hominum, habere visa est non raro vicem oraculi diuini. Atque tu Pater Beatissime, Patriarcha diuine, Confessor cœlestis, hanc tui studiosam Academiam, tuorum lacte nutritam, frequentantem literarum & virtutis tabernacula, tuo patrocinio tuere ac defende. Sic enim gaudent, concelebrasse ferias tuas, & auent literarum & virtutis institutioni gratiam aliquam referre, vt ad Canonizationis tuæ celebritatem ornandam se totos comparasse, & eorum, quæ ipsis est in animo facere, prima iecisse fundamenta lætiadmodum & alacres arbitrentur. Dixi.

ORA-

ORATIO IN LAVDEM BEATI CONFESSORIS IGNATII, Societatis IESV Fundatoris. Ex eadem Enumeratione.

COgnita vobis esse sciens, quæ verba facta fuerint, de laudibus B. Ignatij Patriarchæ celsissimi, hesterna solenni Feriarum luce generatim, facienda mihi video hodierna tantorum Confessoris incliti studiosorum, auditorumq; celebritate speciatim, laudem ad tres virtutes, quoniam de omnibus habere nos orationem velle longum esset & infinitum, pro temporis præstituti breuitate reuocabo. Atque illas demissionem, patientiam, & charitatem intelligite. Quæ cum in omnibus Christianæ Religionis militibus spectentur potissimum, non erit ab re profectò in Ecclesiæ tanto Principe, institutoque celebritatis suo nomini consecratæ, præsertim cùm vniuersè alio iam die dixerit orator, modò me dicente vos omnes iucundè libenterque recognoscere. Atque cum mihi primùm de demissione fundamento Christianæ perfectionis dicendum sit: Valent in primo loco fundamenta iacta suæ traductionis, quæ non ab alia prius virtute sua primordia duxit, quàm à celebri semperque commendanda demissione. Quæ si in se homine ex limo & argilla ficto, si in sua infirmitate debilitateque cognoscenda posita fuit semper atq; versabitur; quemadmodũ vir iste sanctissimus à lacrymis, & à conflictatione corporis, ab ipsa carnis vexatione, ab humili contemptoque vestitu, ab inopis, pannosique hominis squalore & sordibus obducti, suum initium duxit, videamus. Hic illud sibi potissimum curæ maximæ studioque diligenti fuit, ne quis esset, quo genere natus, quibus ortus maioribus, qua dignitate præditus, quisquam nosse potuisset. Exuerat se pretiosis vestibus, ijsque pauperem induerat, pauperisque centonibus lætus & hilaris corpus texerat. Sed venit pauper in suspicionem facti furti,

furti, properantibus iustitiæ ministris, & admotis equo calcaribus, quàm veloci cursu accelerantibus & properantibus, vt rem, quemadmodum se habebat, doceret Ignatius illis rogantibus. Verum ille paucis profectò verbis dixit, vt pauperem supplicio liberaret, cæterùm de genere, de fortuna, quibus de per contabantur, quod nihil ad rem, nec pauperis interesset, sua verò maximè, in hominum silentio iacere voluit, nec verbum certe quidem vllum fecit. Hanc continuò altera demissionis laus consequitur. Qui seipsum contrahere cœpit, accusare suam miseriam & ærumnam, tollere animum in cœlum, seipsum accusare, dolere casum, qui nec facere quidquam bene potuerit, quod commodum pauperis esset, sine præsenti hominis periculo, & interuentu calamitatis, quæ factum illud contaminaret. Quasi diceret secum tacitus, quot huiusmodi factum fecerunt sanctissimi integerrimique viri, & multò profectò præstantiora, nec auditum fuit, quid exauditum? notum fuit; notum dico? occultatum potius, nec ad aures hominum peruenit, tenebris obductum obscurissimis, quorum nec tenuissima suspicio peruasit animos mortalium? Quid tu Nicolae sanctissime, cùm per fenestram prospiciens loculos pecuniarium nocte obscura in cubiculum intulisses, quantum silentium de eo facto? quemadmodum non exiuit, neque emanauit in vulgus; solum scienti facti maximi pulcherrimique, filiarum, quarum pudicitiam prostituere constituerat, parente miserrimo, atque id noctem vnam altera consequente, quod in specula fuerat, vt obseruaret hominem, vt aucuparetur tempus, vt simul atque ille redijsset, alterius loculi proijciendi immittendique causa properans exiliret, curreret quàm velociter, & cursu minime desisteret, quoad consequeretur, comprehensum teneret, & ad illius pedes abijceret sese gratias agens immortales: quas egit equidem, & multis cum lacrymis, & virum Dei appellans, vnicum suum remedium, auxilium filiarum maximum, subsidium famis & inopiæ, defensorem pudicitiæ, fautorem virginum, malo suo tanto, cum probro illarum, & offensione diuini numinis, quæstu libidineque fœdissima vulgandarum. Non idem contingeret Beato Francisco, quod mihi Ignatio accidit, cùm vestes suas cũ paupere mutauit sericas, pretij & æstimationis maximæ, pluris suas dicetet æstimandas, & carius fortasse. Ita secũ Ignatius: quæ si magnæ fuerunt

runt facta demissionis, quid illud, Xenodochia Ignatium incolere, cum pauperibus agere, cum eisdem cibum potumque capere, & illorum non horrere pædorem, non fastidire squalorem & sordes, humi cubare, sub dio multas noctes, & in podijs, & hyemalibus noctibus, & nudum prope, sine calceis, sine tibialibus, subligaculis aliquot resartis propter honestatem, & famelicum, & expositum tot frigoribus, niuibus, & tempestatibus horrendis? Vbi Ignati maxime illa cura texendi comendique capilli? vbi delibuti intortique capilli? vbi barba nitida, & diligenter adeo pexa? vbi corporis totius ornatus? vbi collare subuculæ suis inflexionibus accuratione summa sinuosum, atque concauum, rigidens admodum, & suis conditionibus incrustatum? vbi thorax politissimus? vestis breuior, & militum, & aulicorum? vbi cingulum constringens, acerrimeque comprimens, ad elegantiam gracilitatemque spectans? vbi femoralia foras proiectis sericis apparentibus, & quacunque incederes, cùm te moueres, tantopere concrepantibus? vbi tibialia suis temporibus ex filo serico? vbi habiles & elegantes ocreæ, quarum ocrearum ad speciem & elegantiam aulicam inducendarum causa, cruris os prominens; ne fœdè caderent, tibi secari passus es grauiore, quàm vllum aliud in tota curatione subijsses, & intolerando plane dolore? vbi postremo cultus & ornatus omnis? Hæc omnia contempseras, maioris animi, cultioris elegantiæ desiderio flagrans, & in humilem Sanctorum Deoque inseruientium summa demissione vestitum, victumque oculos & animum intendens. Saccus quoque illi paulo post iniectus corpori, funis asperrimus quam demissionem præ se ferebat? Cùm in Academijs versareris, superiorum iussu mutare vestem coactus, non humilem, non crassam tunicam induisti? non adeo contemptam, vt riderent, vt deluderent in politiore vestitu cultuque elegantiore procedentes in publicum adolescentes, & magis de corpore, quam de animis cogitantes? Cogitabas tecum id, quod sacrum Euangelium, ex ore Christi Iesu prolatum, perfectioris vitæ amantes monet, vt elegantiæ prorsus inimici, & sæculi luxuriem priuatam & publicam execrantes, qua tegerentur, veste contenti dumtaxat essent. Cogitabas Ignati diuine, vestem hanc esse demissionis amantium, Francisci & aliorum tuæ vitæ mentisque similium. Cogitabas Princeps inclite, Apostolorum vestitum eum esse fortasse, qui in tuam vitam DEO mentem iam & animum instituti paulatim injciente

sanctis-

sanctissimè religiosissimeque caderet. Cogitabas denique, eum fuisse Christi Iesu, eundem Apostolorum vestitum, ex tunicâ solum constante honestè moderateque ad talos vsque delapsa, insigni plane virorum spiritus, & sanctitatis, & demissionis præcellentium Magistrorum. Atque in vestitu postea alumnorum tuorum deligendo, ex auctoritate Vicarij Christi Iesu comprobando, si quærerem abs te cur communem vestitum, & honestorum peculiarem Presbyterorum, & proprium Beati Petri delegeris? Cur non alium singularem, differentem multum, & ab alijs sacris familijs disiungentem proposueris, quod conditores omnes & auctores Religiosorum Ordinum, quod Dominici, quod Franciſci, quod Augustini, quod Hieronymi fecerunt? Responderet pro re, Pater sanctissime, demissio, tuasque agens partes: Quod virtutibus ipsis, quòd Religione, quòd interiore sanctitate suos maximè præditos voluisset Ignatius, cuius si non amantes, si non studiosi fuissent, neque cultus Religione, neque veste foris præferente religionem nomen sanctitatis inane prætendere vulgo potuissent. Quid ergo verba Beatissimi Patris plena demissionis proferam, cùm facta superiora audieritis, aliaque quæ consequuntur, audictis postea cum admiratione? Notum fuit verbum in illo nullum, quod de suis rebus, de suis laudibus, de monimento Societatis fuisset. De se semper non modestè solùm, se demisse admodum, & palam, & ex animo loquebatur: cæteros quoscunque seipso multò præstantiores, & virtutibus plane plurimis ornatos prædicabat, viros integritate conspicuos. Illud ex illius ore auditum sæpissimè, quocunque cum peccatore, homineque flagitiosissimo loqueretur, semper habuisse materiam sui ipsius confundendi, & miseriæ suæ deplorandæ, fructuumque vberrimorum ad animi salutem depromendorum. De domesticis suis alumnis quinam loquebatur? Audiuit ex illius ore, qui cum illo versabatur admodum familiariter, Patrique pro sua summa Religione charissimus Petrus de Ribadeneyra, magnum nostræ Religionis decus, ex domesticis omnibus maximum se virtutis exemplum capere, & materiam sui ipsius demittendi abijciendique prorsus; ex quo verò, nisi ex seipso offensionem susciperet, domi esse neminem: sed quid mirum, qui assiduis & crebris sermonibus vsurpabat, credibile sibi quidem esse, ac facile sibi persuadere, qui plura adeo acciperet, & tam crebra beneficia, atque ipse in orbe terrarum, quique cæteris hominibus, meritis, virtutibus, gratia referenda

inferior esset, esse nullum; & ob eam causam cunctorum hominum, qui vbique gentium essent, dicebat seipsum & appellabat infimum. Quid istud verborum, quid demissionis tam ingentis Patriarcha inclite? An ego, quod socius B. Francisco dixit, tibi dicere non possem? Quem Franciscum teterrimum omnium (quos sola terrarum ferunt,) se dicentem & ducentem ita alloquutus fuit pro singulari in Parentem obseruantiâ: Tu mi Pater, neque furta, neque homicidia, neque rapinas facis, neque alia huiusmodi teterrima, sceleratissimaque facta, quinam igitur mihi credibile sit, verbum istud tantæ demissionis? Cui illico B. Franciscus, si quæ Deus in me vnum contulit, in hos beneficia contulisset, magis gratos, magis memores beneficiorum se præbuissent acceptorum. O mirandam vtriusque Parentis & Religionum clarissimarum conditoris demissionem! Quo propius homines accedunt ad Deum, magis seipsos nosse solent, & suam vilitatem imbecillitatemque ad Dei summam maiestatem & potentiam interminatam. Vultis aliud verbum stupendæ demissionis, te producam testem iterum ex intimis & familiarissimis, magnum nostræ Societatis decus Petre Ribadeneyra Religiosissime, qui cum nullum verbum ex Patris ore excideret, quod non animo memoriæque mandares, nec illud abire passus fuisti. Quod ergo? nonne cum semel cum Patre tuo Beatissimo loquereris, illum dicentem audisti, precaturum se ab immortali Deo, & enixè quidem, vt post obitum discessumque suum ex his corporis compagibus, corpus proijceretur in sterquilinium, aut canibus, auibusque discerpendum. Et quam ille causam afferebat? (cogitans & loquens afficior maxime, Auditores, animo, & vix præsens sum loqui possum, nisi lacrymantibus oculis, & vocibus interruptis singultiens hoc in loco) causam hanc ille Pater sanctissimus afferebat. Quia cum sterquilinium sim execrandum, & stercus ipsum, sordesque sterquilinij, quod aliud precer supplicium ac pœnam meorum in Creatorem peccatorum? Quæ vero illius cogitationes verbis factisque consentaneæ? cupiebat equidem, ac vehementer cupiebat deludi ab omni hominum genere, pro ridiculo ac delectamento haberi, contemni, & pro nihilo duci, trahi infra pedes hominum, cunctorumque conculcari plantis, dummodo ille proximis diuini numinis violandi causam occasionemque non daret. Addebat etiam, quòd si fieri sine offensione proximorum posset, se vias publicas, plateas,

loca

loca celebriora ciuitatis, libenter & iucundè nimis, nudum & aspersum luto, obductum sordibus (vt deludi & irrideri posset ab hominibus) peragraturum omnia. Cur ergo hunc tantum atque flagrantem æstum, ardoremque inflammatum, sensis intimis continebat latentem repressumque contra vim impetumque animi foras prorumpere volentem enitentemque tantopere? Charitas retinebat & retardabat præclaros & ardentes Patriarchæ diuini conatus, impetusque cœlestes cum inflammatâ cupiditate coniunctâ saluti proximorum non officiendi, cui commodandi cupidissimus erat. Illud etiam videamus signum insigne demissionis, in cuius conspectu, si quando quis de suis rebus, si quando de societatis amplificatione, vel de quacunque re, quæ in illius laudem redundare posset, loquebatur, continuo (mirabile dictu) colligebat seipsum, contrahebat corpus, vt quiuis facile animaduerteret, & pudore prorsus oborto virginali, os genasque lachrymis opplens, tollebat animum in cœlum; atque, si poterat, confestim præcidebat sermonem, incidebat verba, quæ fierent, & auertens aliò, in Dei gloriam sempiternam conferebat. Magna audistis Patres, maiora ab hoc tempore audieris. Quod si virtutes alias abumbrare non potero, nec attingere, quemadmodum constitui, date mihi, quæso, hanc veniam, vt eas alijs oratoribus tractandas suâ orationis facultate relinquam. Magnitudo enim multitudoque rerum in hanc demissionem incidentium facit, vt quæ restant propter præstantiam suam non prætermittam. Illud ergo imprimis accipite de Confessore suo homine Religiosissimo sanctissimoque, cui cum conscientiæ suæ sensus intimos, & minimas cogitationes & particulas rerum, quod proprium fuit Sanctorum & Cœlitum maximorum, notas & exploratas redderet, atque ille de Beatissimi Confessoris Ignatij sanctitate summa sermones non paucos haberet, eidem sermonibus interdixit huiusmodi, & obedientiæ sanctissimo vinculo astrinxit, ne se viuente & superstite de se verbum vllum faceret, nec de his, quæ nouerat, quæque Confessarius acceperat, ne quidquam efferret foras. Cum vero solutus hoc vinculo, nescio quomodo, seipsum Confessarius continere non posset, ipso confestim derelicto, alium Heros inclitus accepit Confessarium. Factum plenum hoc

admirationis, simile quidem mandati Iesu Christi, qui iussit Petrum & Iacobum & Ioannem gloriam silere in sese mortuo palam prolatæ diuinitatis in monte Thabor. At vixit postea Confessarius, vt quæ tacuerat, quæque in animo habuerat, plana faceret, & Ignatij alumnis narraret? Quid agis Pater sanctissime, si tesuperst te taceri volebas virtutes & dona & beneficia, ab immortali Deo accepta, at producere vitam hominem hunc sineres: non in tua manu vita salusque Confessarij? Qui aliorum, & huiusce vitam reliquit Deus Immortalis in tua manu ac potestate positam, si suam nolebas, cur Dei tamen non gloriam quæreres? cur non honorem tanti Domini efferendum tuis in beneficijs prædicandumque generi mortalium sineres? Cur precatus fuisti, enixè vehementerque, ne quidquam earum rerum palam fieret tuorum cœtui alumnorum, vt ex te exemplum illi peterent, vt prædicarent in parentem suum magnificentiam largitatemque diuinam? Vt quem parentem, quod caput Religionis habuissent, agnoscerent mortales, & ex illius meritis, & beneficijs diuinis, ex immunitatibus & prærogatiuis maximis Religionis suæ, quod decus, & commodum & salus proximorum requirebat magnifice & singulariter æstimarent? His quid Pater sanctissime respondes? id relinquendum prouidentiæ diuinæ, quæ quod ex maiore proximorum vsu, & præstantiore Dei gloria foret; suo summo consilio sapientiaq; decerneret, sibi id vsui esse, suaque interesse maxime, in hominum silentio obliuioneque iacere, cum ille nihil laude dignum præstare posset, donorum Deus auctor esset, princepsque cunctorum. Ecce Auditores, cum illud tempus spectarent omnes, Deus præcedit, & abstulit precibus Ignatij Beatissimi. Itaque triduo ante obitum Patriarchæ clarissimi diem suum obijt Nauarrus natione, Pater Diegus Ægula Confessarius, præstanti spectateque virtute. Spes Confessarij ad nihilum redacta, desideria & animus non expletus cupientis (vt ille dicebat) vitam paucos saltem dies post parentis sui Ignatij ex hoc sæculo profectionem, & accensum ad superos: vt quorum arcanorum conscius esset, liberiam ac solutus obedientiæ sanctissimæ vinculo, ea proferret in publicum Expectatis plura de demissione? Explebo vestros animos, neque demissionis cancellos hac oratione transilire mihi quidem est in animo, neque, si vellem, id liberum mihi esset. An illud præteream sine summa offensione nostrorum, sine iniuria orationis grauissimæ?

uissima? O pestilens inanis gloria, quæ vbique insidias tendis viris sanctitate præcellentibus, & interuentu sæpe tuo illorum gloriosissima facta tuis velles maculis aspergere! Aggredere, tenta, molire aliquid in Ignatij operum sanctissimorum imminutionem, & decisionem aliquam: nec minimum deportabis ex illius factis cœlestibus ac diuinis. Qui vsque eò progressus erat demissione, in tam altissimum huiusce virtutis gradum ascenderat, sese nouerat ipsum, nouerat etiam Deum, auctorem & Principem virtutis sanctitatisque cuiuscunque, vt nec minima rerum suarum animum inuasisset inanis gloriæ species, & vmbra fallacissima. Tanta erat claritate cœli animus Equitis cœlestis & splendore circunfusus & illustratus, vt dicere soleret, ex vitijs nullum esse, quod minus metueret, atque vanam inanemque gloriam. Quod vitium quàm infestum fuerit & inimicum bonis omnibus, quàm formidolosum, quàm metuendum, quas strages ediderit in Christiana Religione, quæ prælia, quàm grauia periculosaque commiserit, quas victorias reportauerit, quos de summo perfectionis gradu deiecerit, quas cedros Libani altissimas radicitus euulserit, & exciderit, notum est cuicunque generi Christianorum. Pleni sunt libri, plenæ historiæ, plena sacrorum doctorum monimenta, neque vlla vnquam ætas commemorati poterit, quæ non stragis & calamitatum huiusmodi vanæ gloriæ apertis & occultis cuniculi inuectarum plena fuerit. Res omnes Beatissimi Patris demissionem prædicabant, vestis attrita, & resarcita suis centonibus, quanquam expers sordium, & spurcitiæ, lectus humilis, ac proprius pauperum, cibus potusque tenuissimus, & adeo parcus & temperatus, vt perpetua quidem esset abstinentia, & adhibita ex sanctitatis legibus temperatio, & escis crassissimis contemptissimisque assuefacta. Quod ille genus demissionis omisit? quam istius virtutis exercitationem non susceptit? Quod ille quamuis Præpositus Generalis, officium non obijt demissionis? An coquinæ, an verrendi facta prætermisit? an lectis ægrotorum purgandis, & alijs contemptissimis ministerijs intentum & occupatum non sæpe videre sui alumni tanto cum exemplo & cunctorum confusione, vt quod non agerent illi, quibus rebus non animum intenderent & admouerent, sui parentis tot stimulis & calcaribus incitati nescirent prorsus? Nihil illi difficile, nihil arduum; omnia facilia & expedita sibi videbantur pro tantæ virtutis spectaculis

editis, & prolatis maximarum virtutum exemplis in omni demissionis operâ, varia ac multiplici sanctissimè verissimeque præstita. At vbi de facti claritate non constaret, sequebatur ille consilium suum? Quod alius sibi daret, quicunque ille esset, quo candore erat & sinceritate animi, sequebatur statim: & simplex & apertus, quod sibi visum esset, in deliberatione quacunque exponebat. Cum summo consilio in agendo, prudentia in prouidendo fuisset, ad aliorum sententiam, melius quicunque aliquid afferret, suam adiungebat, ex Dei obsequio, & honore ponderans & examinans omnia. Illud scilicet pueri cuiusdam dictum demissionem Patris non ostendit? Qui cum puer esset, & ioco vel serio dixisset, vel pueriliter, id est, stulte, quo tempore rudimenta doctrinæ Christianæ pueris Heros insignis tradebat, vt Italo sermoni operam daret, & emandatè loqui conaretur, scio me, inquit, non Italicè bene loqui, tibi puer erit curæ me prænonendi, vt candore aliquo & munditia loquar Italicè. Dicite Auditores, qui pueris hæc verba faciebat, qui se ita abijciebat ad puerilem castigationem, verba magnorum hominum auctoritate præditorum, & aliqua sanctitate præcellentium non audieret? consilijs capiundis exequendisq; præsto non esset? Venio iam ad illud celeberrimum, & omni laude dignissimum demissionis exemplum, quod quamdiu Societas Iesu erit (erit autem tamdiu, quandiu genus Christianorum manserit, vti de diuina bonitate speramus) non latebit. Quod Religioni suæ nomē indidit quo discerni disiungiq; voluit à cæteris? insigne, & non ine Sociorum Iesu appellauit, & hoc inter cæteras internosci maximeque dijudicari voluit. Cur non à suo nomine, Ignatianos nominari voluit suos? quod ea demissione fuerit, vt non se, sed Iesum auctorem, parentemque ordinis huiusce fuisse testatum relinquere voluerit generi mortalium, illum auctorem, amplificatorem, perfectoremque suorum operum extitisse. Quod vero ad se attinet, nullum Ignatium fuisse, nullius rei participem esse, & ob eam causam nec nominandum quidem, Ignatij nomine tenebris obruto sempiternis. Inde nomen Ignatij nunquam in ore sumpsit, sed cum incidebant tempora de Societate loquendi, minimam appellabat. O virum insignem, & omnibus demissionis laudibus expletum! O Principem ad Dei gloriam augendam & propagandam, & in orbis terræ fines Iesu nomen inferendum à diuinâ maiestate delectum! Qui quemadmodum in suorum oculorum

culorum & animi aspectu, minimus fuit, & omnium minimus haberi voluit; sic filios suos appellari volebat, & haberi minimos, & in hac virtute radices agere quàm altissimas. Beatus Franciscus Minores appellauit filios suos, & in militia versantes sua: Ignatius Minimos, & infra tantos & tam insignes Ecclesiæ Equites suam cupiebat poni familiam. Qui Beatus Franciscus, si laudem magnam ex summa Præfectura, Generalatu scilicet, qua se abdicare toties voluit, tam optimo iure deportauit: quæ laus erit Beati Ignatij, qui initio Præpositus Generalis creatus, dedit operam, & quidem, quantum in se fuit, constitutionem omnem adhibuit, ne sibi tantæ sedis principatus in regimen Societatis demandaretur vniuersæ? Notæ fuerunt preces illius, noti conatus omnes, notæ optimorum & maximorum Societatis Patrum allegationes, nota postremo vis omnis adhibita, quoad & Patri omnes cœtus, & Confessarius, in cuius manus post patefactam conscientiam res omnes coniecerat, scrupulum & religionem obiecit, nisi onus impositum acciperet, quod contra diuinam voluntatem venire videretur. Accepit igitur præfecturam summam, iniit & gessit per paucos annos. Num retinere voluit? non eadem se abdicare constituit? eiusque rei causa indixit Comitia generalia, coegit Patres omnes Professos, aduocauitque Romam? Quem vbi tale quicquam deferentem ad cœtum vniuersum viderunt & audierunt, non confestim omnes reclamare cœperunt, non confirmarunt constanter, quandiu ille superstes esset, Societatem Iesu Generalem præter Ignatium habituram esse neminem? Iam secundo cogitatur regimen tenere totius Societatis, & quidem omnium consensione coactuaque Professorum, accipere iterum recusans, & inuitus Domino duntaxat parendi cupidus. Tertio Pater, imo sæpe ac sæpius tentasset, & egisset cum Patribus de Præfectura deponenda Generalatus, si per Patres eosdem licuisset. Sic ab omni administratione, ad vitam priuatam, & adagendum duntaxat versandumque cum Deo, per solam contemplationem, sibi vni vacans, vnique Deo seruiens, reuocare se totum animo ac voluntate cupiebat. Recitarem hic memoriter epistolam sanctissimi Patris hac de Præfectura deponenda missam ad suos filios, si genus orationis ferret. Sed vos illum sic animo contemplemini scribentem ad Patres omnes, & literas in loca terrarum, vbi Societas tabernacula

nacula Religionis collocauerat, mittentem in hunc modum. Equidem, Patres mei amantissimi, nisi me viribus imbecillem, & huic tanto oneri prorsus imparem in Domino, post multam diuturnamque cogitationem, & rem Creatori meo commendatam, consilio, prudentiâ, virtute, cæteris donis, ac muneribus, quibus opus est ad gubernacula Generalatus tractanda, me longo interuallo non inferiorem solum, sed infimum, & omnibus certe quidem dotibus, & corporis & animi destitutum viderem, non cœtum vestrum cogerem, neque Comitia generalia in tempus præstitutum indicerem: Sed necessitas me ipsa, scrupulus & religio cogit, cogit Societatis vtilitas, cogit amor diuinus, cogit gloria immortalis Dei vos orare & obsecrare, vt his rebus opitulatum veniatis & accurratis in tempore, ne aliquam eorum, quæ prædixi, per sanguinem Christi Iesu, per mortem Agni mitissimi decessionem fieri patiamini. Quæ si fiet, vestra erit culpa, non mea, qui obuiam ire vellem incommodis omnibus, vestras in manus tradendo Generalatum ipsum, potestatem faciendo eius, qui magis idoneus & è Iesu Societatis visu fuerit, Patris deligendi, creandique vestrorum delatione suffragiorum. Neque meas has officiosas, & ad speciem magis, quam verum testantes literas existimetis. Testor me hac de re sæpius cum Deo egisse, sæpe me rem eandem tanti ponderis ac momenti commendasse Deo, & me infinitis quidem partibus, multis equidem gradibus à tantæ Præfecturæ fastigio distare certo scio, testorque. Nihil amplius Auditores, amplius tamen illud, & omni admiratione dignum, quod hic Ignatius Beatissimus donis, ac muneribus, eo consilio ac prudentiâ, ea rerum cunctarum ad hoc regimen spectantium scientiâ fuerat, eâ sanctitate, absolutaque perfectione, quam omnes recognoscant, & prædicauerunt cuncti maiores: quem omnes maximarum Religionum moderatores, præceptorem consiliorum suorum, & exemplar absolutum gubernandæ administrandæque Religionis proponere potuerunt, & poterunt in omnem sæculorum memoriam. Neque vtor hic, Auditores, amplificationibus oratorijs: non videbor profectò bono, prudenti, intelligentique rerum æstimatori, & Societatis à tanto parente relictas præscriptiones sine inuidiâ, aut perturbatione perpendenti quidquam augere dicendo. Vos testamini, quot præsentes estis, grauissimi sapientissimique Patres, & rem ipsam suo nominis

minis pondere penditote, cur ego verba superiora, quasi exierint ex ore sanctissimi Confessoris Ignatij, retulerim? Quia humiles, quò plus lucis habent, minus sibi sumunt, & omnia DEO referunt accepta. Quod in Patriarcha tanto, licèt multò clariùs agnoscere, qui discedens è vita hac, & ad superos euolans confestim, (vt ex visione eiusdem Patris, protinus cuidam in cœlesti conspicuaque claritate, sui studioso, sese cœlitum more visendum spectandumque præbentis constare potuit) neque Vicarium, ad comitiorum vsque tempus deligere voluit, nec quidquam id temporis decernere, ne partem vllam Societatis sibi sumere videretur, quid dicam arrogare? Vir fuit planè ex omni parte demissione clarissimus, omnibus virtutis tantæ reliquarumque numeris absolutus. Quid ergo plura de demissione? Possem quidem, Auditores & plurima quidem, vel multò plura verba facere: sed iam tempus est orationis absoluendæ. Reliquas duas partes, patientiam & charitatem ex alijs Oratoribus spectate, quæ si, quemadmodum initio proposui, oratione meâ celebrarentur, crescceret in infinitum volumen oratio nostra, & nos tempus ad dicendum more vestro præstitum, iam expleuimus. Quæ restant, date veniam, connectamus: sic equidem neque patientiæ, neque charitatis obliti videbimur. Nam si tam insignem & præstantem demissione commendatis Ignatium sanctissimum, necesse quidem est, non modò virtutes duas laude celebrandas, sed neque vllam Magnati cœlestis aulæ clarissimo deesse. Nam præterquam, quòd omnes virtutes ita connexæ sunt, & admirabili societatis vinculo copulatæ, vt aliæ aliarum participes sint, & cœlesti cognatione deuinctæ, tum consideremus in humili maximè Deum acquiescere, in illius animo sedem & domicilium sibi collocare. Quæ cùm ita se habeant, cogitate ex hac demissione præcellenti ortum in Ignatio Beatissimo contemptum sui ipsius, despicientiam rerum humanarum. Ex hac demissione magnitudo animi in laboribus, patientia in aduersis rebus orta fuit. Hinc orta compressio cunctarum perturbationum, quas sic sedatas ac pacatas habebat, vt in carnem imperium & dominationem haberet. Hinc comitas, suauitas, affabilitas, vt natura quamquam bilioſus fuisset, ac flagrans, exercitatione tamen pacatus ac sedatus adeò, vt lentus ac frigidus videretur. Ex hac demis-

sione, id est, ex sui ipsius cognitione, ad gradum charitatis supremum, & in Deum tam excelsum & sublimem ascendit, qui summa est & consummata perfectionis absolutio. Qui amor si emergit, & spectatur potissimum in actionibus amore diuino susceptis, & in factis admirandæ patientiæ laude cumulatis (Amor enim vacare nunquam potest à bonis operibus, neque contentus est solum factis maximis, præclarissimisque, sed gaudet tolerantiâ, patientiaque iniuriarum, calamitatum acerbissimarum, ad sanguinem vsque cum vitâ profundendum) quæ facta pulchertima Patriarcha hic celsissimus fecit? quæ passus est, quâ magnitudine animi, quâ fortitudine, quâ constantiâ? Creuit ille, Auditores, creuit Societas vniuersa tempestatibus in Parentem filiosque concitatis turbulentissimis. Atque uemadmodum Roma quondam, quandiu bellis hostilibus appetita fuit, suam ostendit fortitudinem, & extremis orbis terrarum finibus suum terminauit imperium; decrescentibus verò, atque desæuientibus hostibus, decreuit & imminutum fuit imperium: Sic precamur Deum Optimum ac Maximum, vt bella inferantur Societati, dummodo nulla sua culpa; crescet quotidie magis, & maiora capiet vbique terrarum incrementa. Atque in perferundis superandisque difficultatibus huiusce, in patientiâ, rerumque aduersarum tolerantiâ posita est, & spectatur maximè summa virtus, & absoluta Sanctorum perfectio. Ex hac demissione virtutes omnes, tanquam ex perenni & inexhausto Sanctitatis fonte, quæ maximæ clarissimæque in Beato Ignatio perspectæ fuerunt, in animum redundarunt. Ex hac postremò demissione (vt alia innumerabilia ornamenta missa faciam) stemmata clarissima immortalibus gloriæ diuinæ titulis insignita (cuius honoris colendi maximeque augendi princeps fuit, ad quem suas cogitationes, verba, facta semper contulit) profecta fuerunt. Ea verbis illis continentur (Ad maiorem Dei gloriam) & suis vitis exprimuntur coloribus. Quibus perspectis, & in omni Beatissimi Patriarchæ vita integerrima sanctissimaque collucentibus, quid est, quod aliud expectemus? Planè Auditores, vt se minimum omnium & infimum duxit & habuit Heros cœli illustrissimus, & maximum & præcellentissimum ad Sanctitatis laudem ampliſſimam euexit DEVS immorta-

mortalis: cuius diuinæ maiestatis proprium est, humiles efferre, quoque illi magis sese demittant, & abiiciant, maioribus incrementis augere, & altioribus gloriæ gradibus extollere. Non abeam longius, quàm vt eum, quem tibi IESVM exemplar demissionis imitandum proposuit, hunc velim in vestris montibus insidere tot gloriæ & honoris insignibus terra cœloque condecoratum, & euectum præ cunctis Sanctorum millibus. Quem Pater Æternus caput, quem principem & præceptorem nostrum, quem ducem & Antesignanum Ecclesiæ, quem summum bonum, & nostram salutem, nostrum decus, immortalemque gloriam voluit esse, præfecit suprema cum potestate supremum terræ cœlique dominatorem. Quòd enim ille eò se demisit, vt naturam humanam in vtero Virginis induerit: eam interuentu quidem Spiritus diuini, nulla cum minima Matris Virginis Mariæ integritatis labecula, tam admirabili societatis vinculo copulauit: Quòd nouem peractis mensibus in lucem hanc exiens, porticum humilem & abiectam, ruinosam ac malè materiatam, pruinis, niuibus, gelu, frigoribus, cæterisque hyemalibus tempestatibus expositam, relictis maximorum Regum Palatijs, & turritis Imperatorum potentissimorum arcibus, sedem & domicilium Maiestatis suæ Diuinæ delegit: & diuinorum Spirituum modulatione suauissima commendatur, & Pastorum Regumque aduentu sapientissimorum honoratur, & sanctissimè religiosissimeque adoratur: Quòd octaua à natali die luce ruboribus albentis auroræ purpurascentibus, & ingentes sanguinis sua passione profundendi alluuiones præsagientibus, tenerrimam delicatissimamque carnem Simeonis gladio rescindi, & signum altè sibi, tantoque cum dolore passus est imprimi, notaque Circuncisionis, nomine & honore Iesu, id est, vindicis & Assertoris nostræ salutis afficitur: Quòd post tot labores, post itinera facta, post Samariam, post Galileam, post Iudæam vniuersam pedibus peragratam, virgis cæsus, sentibus redimitus, tolli voluit in crucem, in vertice & summo iugo montis Caluariæ, vnde sibilo boni Pastoris vagas oues & errantes, ad peccatorum veniam, ad pietatis viscera, ad sinum complexumque suum vocauit, exurgite, clamans, huc accurrite, in brachia extenta, & patentia, vestros efflagitantia complexus, excipiam vos benignus & misericors, retinebo & complectar, quæ mihi

tanti-

tanti, quæ tam caro ſteriſtis, quæ ſanguine tam multo, tam acerbâ morte ex dæmonis iugo, ex inferorum faucibus ereptæ, quibus eius potentia oſtentis & miraculis illuſtrata fuit: Quòd hæc omnia, quòd mortem ipſam pertulit humiliter adeò, tam demiſsè: Sole terris ablatus, repentinâ obſcuriſſimaque defectione, orbi terrarum tenebris offuſis vniuerſo, velum templi diſciſſum in duas partes, petræ horribili fragore colliſæ concrepuerunt apertæ, ſepulchra patefacta fuerunt, & à mortuis excitati non pauci, denique tot ſigna diuinæ claritatis effulſerunt, & ſpectacula diuinæ virtutis admiranda, quibus Ieſu nomine omnia perſonuerunt ſola terrarum. Ad hanc demiſſionem cùm Ieſu facta diuina, & honores eiuſdem cœleſtes, & omni ſplendore conſpicui, principatus terræ, cœlique conſequutus ampliſſimus, cùm Sanctorum omnium exempla tum, quæ propoſita vobis fuerunt, Beatiſſimi Ignatij demiſſionis admirandæ ſpectacula clariſſima, toto vitæ ſuæ curſu, ab ipſius traductionis cunabulis, quæ vidiſtis omnia, & non potuiſtis non admirari magnopere, in extremum vſque vitæ ſpiritum admirabili conſtantiâ perpetuitateque perducta, veſtros animos excitabunt; Date operam, vt quæ in traductione ſua, quæ in veſtitu, quæ in ſacco, quæ in Apoſtoli tunicâ, quæ in Sociorum Ieſu inſigni, quæ in verbis, quæ in factis, quæ in nomine delecto Societati, quæ in cognomento Minimæ, quæ in Præfectura ſumma Generalatus deponenda, quæ in omnibus vitæ actionibus demiſſionis nitent & emicant exemplaria, reliquarum virtutum ſocietate coniuncta, mentibus & animis commendetis, futurum ſpero, vt quemadmodum demiſſio præcipuè Chriſti Ieſu, & ab eodem tanto ſalutis & dignitatis noſtræ recuperatore, tot cœli Heroas clariſſimos, & inter illos Magnatem hunc celſiſſimum, Ignatium Societatis Ieſu conditorem, toto orbe celebratum, terra cœloque fecit inſignem, vos filios ſuos, Sanctorum, & Ignatij Confeſſoris eximij claros & illuſtres in infimis hiſce ſedibus, cœlique palatijs immortalibus imitatores efficiat. Atque oratoris nomine vos in craſtinam lucem, quoniam octodialia celebramus, ad ea, quæ de patientia, de charitate ego dicturus eram, beneuolis auribus excipienda hora ſolita conuenturos, & elegantiorem orationem audituros multo.

Vides

Vides in oratione superiore facta demissionis ad hanc virtutem reuocata: quod idem fiet in oratione de laude Patientiæ & Charitatis B. Ignatij, factis omnibus ad easdem duas virtutes arte oratoriâ collatis.

ORATIO IN LAVDEM BEATISSIMI IGNATII CONFESSORIS, & Societatis Iesu Conditoris.

Ex Enumeratione, aliorum ope argumentorum.

EAcerem iniuriam, P. G. Beatissimo Ignatio, Confessori Ecclesiæ glorioſissimo, ſi celebratâ demissione, quam heſterno die audistis oratoris voce præstantissimi, patientiam & charitatem silentio præterirem. Vtraque enim virtus insignem Dei Equitem suis ornamentis peculiaribus tollit in cœlum, & Sanctorum laudem, iactis in demissione radicibus altissimis, Confessorem reddit illustriorem. Neque enim in Sanctorum numerum assciptum audieris quenquam, nisi patientiæ & charitatis monimentis immortalibus redundantem. Pontifices enim, Vicarij Christi Iesu, post virtutum maximarum testimonia, & post miraculorum diligentem præuisamque cognitionem, his duobus Sanctorum insignibus, patientiâ & charitate nituntur: in Sanctorum inuestigandis meritis hæc duo ornamenta desiderant, & omni ratione inuestigant, & efflagitant. Quæ cum in alijs sanctissimis Heroibus, tum in Ignatio nostro licet agnoscere. Dicam igitur primùm de patientiâ B. Ignatij, tum de suâ, & in proximos, & in Deum charitate flagranti, qui ab initio traductionis suæ sic exercitus in omni pugnarum acerrima contentione fuit, vt suis pugnis & prælijs, assiduè vehementerque commissis, nihil neque glorioſius, neque ad suorum trophæorum

rum memoriam immortalem celebretur honorificentius. Traductus ad seueriorem consiliorum Christi IESV disciplinam, statim à tolerantiâ cœpit initium ducere suarum progressionum, cùm cilicio, cùm inedia, cum virgis, cùm sacco, cum omni genere compressionum carnem in seruitutem adducendam sibi proposuerit, & de illa tot & tam glorioſas victorias deportauerit. Ille etiam se patientiæ laudibus insignem reddidit, cum toties, virtutis cultor eximius, in carceres coniectus, toties vinculis acerrimis oppressus, & prægrandi oneratus pondere catenarum, cum in iudicia iniquitate temporum adductus fuerit, ad clariorem honorem & gloriam consequendam permittente, & huiusmodi occasiones Domino offerente. Cùm captus à militibus, vt explorator aduersariorum, & tot injurijs affectus, tot indignissimis modis tractatus, delatus & vexatus, & ad virgas propè postulatus, virtutem coluit, & ostentauit præcipuam patientiæ laudem Beatissimus Ignatius. Cum verò Ierosolymis vi a locis sanctissimis abstractus, parum abfuit à morte: quanquam illam temporis proceliam æquissimo lætissimoque animo tulit, Christo Iesu præeunte, & quasi erigente animum ad omnem contentionem dimicationemque subeundam; tamen, quam ille non patientiam solùm retinuit, sed pertulit lætitiæ magnitudinem? qui si occasionem mortis o petendæ pro Domino nactus fuisset, & animo quidem & voluntate oppetitam ad sancti sacrificij mercedem persoluendam more suo & fide data duxisset liberalissimus fidelissimusque dominus. Cùm verò Hierosolymam nauigaturus, cùm è Hierosolymis reuersurus, inopem & egentem, & aliena misericordia viuentem, recipere naucleri nollent in nauim, cùm se abiectum, & contemptum, & verbis sæpe mulctatum, & re non minore crudelitate iactatum aspiceret, non illa fuit de Christo bene merendi occasio mirifica? Cùm non Complut. solùm, sed Salmanticæ, cùm tertio iam Parisijs tempestates turbulentiores in Ignatium commotæ essent, nulliusque ille hominis opem vellet, solum Deo confisus immortali Domino, & suorum vnico tutissimoque perfugio, non merita illius in suum Iesum ingentia? non ea quidem, quæ Iesum eò adducerent, vt Ignatium solueret custodiæ vinculis acerrimis, toties vehementissimis illis turbulentissimisque tempestatibus cœlesti benignitate detonantibus, tot tantæque fuerunt procellæ in Iesu Christi Equi-

tem

tem insignem coortæ, quot occasionem eidem dederunt in Iesu cunabula, in itinera sua, in vigilias susceptas, in comprehensionem, in virgas, & mortem acerbissimam oculorum corporis, & animi efferendorum. Quæ minæ illius hominis & minimè laici veste cooperti, sed Religiosi, mali tamen ac pestilentis, qui flammis ædes omnes & Collegia vastaturum se esse dixit Ignatij? Quo in dicto plenissimo minarum, nec minimum commotus Ignatius, flammam amoris diuini eidem mala omnia precanti, ignes flagrantes minitanti deprecatus est. Cùm accepisset Cæsareæ Augusti tantum probrum, tantum dedecus illatum, & per summum scelus expulsionem ex vrbe suorum, tranquillitatem prædixit breui, & cùm Sociorum honore reditum illustrem & glorioſum. Qui spem habet, Auditores, in Deo supremo, montium instar altissimorum, nunquam commouebitur, neque de gradu eiicietur suo. Quos tollere vult Deus, & montes Ecclesiæ altissimos in cœli vsque fastigia celsissima prouehere, hos similes laboribus, difficultatibus, periculis, tempestatibus turbulentis, & imminente morte, atque adeò sine dubitatione oppetita Filij similes reddit, qui quòd torrentium acerbitates auidus, & in maiores redundantia hausit, caput extulit supra Sanctorum omnium millia. Inde Beato Ignatio passim occasiones patiendi datæ, passim insidiæ paratæ, passim in illum, in suos, & in hodiernum vsque diem plurima fuere falsa dicta testimonia. Et qui fauere debuissent virtuti, magis eidem suisque sæpe fuerunt inimicissimi, infestissimique, vt iam mirari desinatis hostes Fidei Christianæ, hæreseos Lutheranæ, & reliquarum Deo aduersantium sectarum tam crudeles & infestos fuisse Societati Iesu, & tam capitales inimicos. Quippe institutum suæ gentis direxit, valdeque contulit ad infringendam labefactandamque hæreseos iniquitatem, & hominum conatus bellum infestissimum Deo facientes comprimendos. Quòd verò non Martyris lauream consequutus fuerit Ignatius: quòd non alterius Ignatij similis hac in laude fuerit: quòd vt Beatum hodierno die veneramur, non veneremur Martyrem: quòd vt breui Confessoris gloriam, & in Sanctorum numerum relati cohonestabimus, non Martyris decus illustre celebremus, illa fuit prouidentia, illa sapientia Diuinæ Maiestatis, quæ voluit ad suorum, & innumerabilium hominum salutem, reseruare Ignatium ingentem, quemadmodum quidem

Franciscos

Franciscos, Augustinos, Dominicos, & alios Religiosarum familiarum Duces clarissimos. Quanquam si voluntas laude & merito suo compensatur æquè atque factum, cùm flagrans fuerit, & accensa nimium, sui voti fructus feret vberrimos, cur non & Confessorem dicam Ignatium, & Martyrem quoque glorioßissimum? Hinc mansuetudo, benignitas, cæteræque virtutes cum animi magnitudine coniunctæ participesque meritorum patientiæ maximorum. Sed accedamus iam ad secundam orationis partem, ad charitatem tanti Principis flagrantem ostendendam. Quæ cùm attingat & Deum & proximos, in Deum qualis ac quantus fuit; qui in eum ascenderat charitatis gradum, quem tenere æquum erat eum, qui rebus huiusce sæculi, tam verè & ex animo nuntium remiserat? qui omnia quæcunque sectatores sæculi maximi habeant, quæ mundus fallax & fraudulentus maxime proponat suis satellitibus appetenda, ille parui duceret, pedibus traheret præ summo in Deum immortalem amore: qui morbos, qui iniurias, qui acerbitates omnes ardens totus & flagrans amoris diuini facibus, fitienter appeteret? qui dum Dei voluntatem præstaret, dum eidem inseruiret, dum gloriam quæreret Dei immortalis, & eam proferret, & amplificaret, nulla vnquam pericula recusauerit, probrum omne posuerit in lucro maximo, & duxerit gloriam illustrem? Qui amor si nulla re magis exploratur, & perspicitur, quàm tolerantia multa, & rerum aduersarum patientia memorabili, repetite quæso memoria, Auditores, quæ de patientia prædiximus, & addamus etiam in omni genere materiaque patientiæ varia ac multiplici, sic illum exercitum fuisse, & mira excurrisse semper alacritate, vt nulla magis ille re, magis Societas Iesu creuerit, quam temperatum magnitudine, quæ in se suosque commotæ fuerunt omni loco ac tempore, turbulentissimæ. Atque illud ex Patris sanctissimi ore acceptum nosse vos velim, qui dicere solitus est, omnia quæ sola terrarum & vniuersitas hæc suo ambitu complectuntur, si in bilancem coniiciantur, non tanti se pendere, neque æstimare, atque beneficia, quæ acceperat ab immortali Deo, ex iniurijs, ex vexatione plurima, ex custodia, ex vinculis, ex tot in se temporum concitatis turbinibus ac procellis, præ summa in Diuinam Maiestatem amoris magnitudine. Neque quidquam, sanctissimus absolutæ perfectionis magister addebat, comparari posse ad animi lætitiam gestientem, voluptatem que

temque infinitam, quam quis patiendo pro amore Christi Iesu libens & lætus acceperit. Rogatus enim semel à viro viam breuem & quasi compendiariam proficiendi in diuinæ perfectionis ratione, respondit, patientiam esse, & laborum & aduersorum tolerantiam pro Christi Iesu amore cœlesti. Hanc gratiam acquirere & colligere ab immortali Deo suos perfectosque viros volebat, qua multorum meritorum & maximorum cumulus coaceruatur & augetur in cœlestem Beatorum amplitudinem. Hæc sanctissimus Pater docebat, hæc præstabat, ex quibus charitas eiusdem infinita explorari facilè cognosciqué potest. Sed amoris istius in Deum, & in proximos Dei causa, quæ ille signa, quam clara & illustria? Scopus enim cogitationum suarum, actionum cunctarum finis, non aliò profectò spectabat, quam ad maiorem Dei gloriam. Hanc ille quærendam, hanc comparandam, hanc latissimè diffundendam vbique locorum, & amplificandam omnibus modis & rationibus curabat. Quid enim dicam indiligentiam in honore Diuini Numinis quærendo vitasse semper & incuriam quamcunque minimam? Quid ad omnem abhibendam diligentiam vires totas & neruos intenderit? quid dicam Ignatium verum honoris diuini procuratorem fuisse, non contentum solum offensionis diuinæ declinatione, cùm id maximè quærebat, vt Dei nomen & gloria crescerer & augeretur rectè factis perfectisque virtutum actionibus? Quid commendem etiam in sanctissimo Patriarchâ solum gloriam sibi diuinam propositam fuisse suis in rebus & factis vitæ decursu faciendis, cùm in duorum concursu factorum, illud faciendum delegerit decreueritque potissimum, quod maiorem immortali Deo gloriam compararet? Cùm sæpè ac sæpiùs cum Deo loqueretur, & incredibili spiritus suauitate delinitus, cum suo se oblectans Creatore, & mille delicias ac suauitates dicens, lacrymis ex oculis cadentibus, & argenteorum instar granulorum, opplentibus decorantibusque genas admodum venerandas, repetebat & ingeminabat illa verba: Mi Deus, summe præpotens Domine, quid velim ego? quid possum præterea appetere præter te? præter te video nihil. Quòd si Beati Pauli laus, in loco claro & excelso posita fuit, qui ex corporis vinculis cupiebat exedere, & euolans esse cum Christo Iesu, vacat tua laus eximia & excelsa, habeas hæc inter alia cum B. Paulo singulare, qui corporis istius compagibus solui cupiebas, & ad Deum tandem quasi pennis elatus euolare. Atque hæc de te prædicemus,

quòd ita sigillatim in aliorum sanctissimorum & maximorum literis commendatum non legimus, vt non tam Dei aspiciundi, & illius diuino aspectu perfruendi causa, quàm gratulandi eidem Domino de sua maxima infinitâ sempiternaque gloriâ, & ob infinitatem gloriæ nunquam interminatam gaudendi per omne tempus. Vultis aliam causam huius desiderij, & discessus in Beatorum sedes optati? Optat amicus, Auditores, cùm aliquem sibi familiarem & charum valde, ex intimis vnum, & alterum prope se ad gloriam & honorem euectum audiuit, tantâ gloriæ magnitudine perfruentem, in excelso dignitatis gradu collocatum suis oculis intueri, eidem gratulari, de sublimi honore comparato: quiescere non potest, quoad optata consequatur. Verus Christi Iesu amicus Ignatius, verus sui Iesu & flagrans amator è viuis excedere, ad superos euolare cupit, neque dies noctesque quiescere potest, quoad animum expleat, & humanitatis Iesu Christi ad tantum gloriæ culmen euectæ gratuletur gaudens & gestiens. Vsque eò exarserat diuini amoris infinitâ magnitudine. Magna sunt hæc argumenta amoris in Deum, neque altius ascendere posse videtur æmulus & imitator Christi Iesu maximus. Sed quâ laude commendandum dictum illud, & propositum, ac deliberatio insidens in animo constantissimè collocata? Cui si optio daretur exeundi statim è vita, certus confestim diuini boni visendi, & Dei immortalis aspectu perfruendi in omnem sæculorum æternitatem aut in sæculo manendi in longius tempus, propter factum singulare in Dei obsequium cultumque faciendum, sed tamen incertus salutis suæ & gloriæ Beatorum adipiscendæ, hoc se procul dubio posterius metu ac periculo animi optaturum potius, quàm illud prius tantum & tam singulare bonum. O virum verè Dei amantem! O magnum diuini honoris amatorem! O perfectum gloriæ Domini amplificandæ cupidum! sanctè perfecteque appetentem! Miramini dictum, Auditores, nouum, ante hunc diem inauditum? Non sine causa id dicebat; & faceret & præstaret diligentissimè studiosissimeque. Quis Princeps, aiebat, aut quis Rex in summum dignitatis gradum ducem aliquem euexisset, aut summam Præfecturam eidem viro detulisset, qui ducis istius obliuiisceretur, si hanc repudiaret ignauissimè, aut iret Regi in seruitium & defensum arcem aliquam, quamuis discrimine ac periculo vitæ suæ amittendæ, maximè in eadem Rex spem in illo positam haberet, & Regis non solum sed Regni interesset, & ad Regiæ dignitatis illius tempo-

ribus

ribus bellis acerrimis appetitæ gloriam spectaret? An non dux in Rege spem haberet maximam, victoria reportata, maiorum, pro re fœliciter gesta, honorum consequendorum, & talem ac tantum futurum esse Regem, qui copias maximas & totam Regnorum vim potestatemque in prælium contulisset, vt maioribus præmijs & honoribus meritum tantum gratiamque referret? Sed mittamus præliorum contentiones acerrimasque pugnas, idem Rex non ducis conseruandi, augendique maioribus incrementis vinculo stringeretur obligatus memoria beneficij præcellentissimi? Quinam igitur metueret Ignatius, qui in euentum huiusmodi dubium & ancipitem in tantum pro Christo Domino periculum sese obtulisset conscius liberalitatis largitatisque diuinæ qui distulerat gloriam suam, & quasi abierat honoris ergo diuini? Non cadit istud in liberalissimi Domini magnificentiam: seruo suo succurreret procul dubio; malis omnibus occurreret, neque illum in peccatum incidere, non à Creatore deficere pateretur. Quid dicam tam egregiè fidelem administrum derelinqueret, & auxilio cœli destitueret? Cogitent alij (dicebat Ignatius) contrarium, mihi neque venit in mentem, id de tanto Domino cogitare, de tam celsissimo, magnificentissimoque Rege. Vultis aliud signum amoris diuini maximum? Semel in hac cogitatione versari visus, si (quod Dominus omen auertat) Deus ipse Ignatium in Inferorum sedibus esse vellet, quid sibi, animi fuisset, qua mente, quo sensu ageret inter tot ac tantas cruciatuum acerbitates, & flammarum ardores tam intolerandos interiectus, & inter iniurias, & probra damnatorum ori sacrilego Diuinæ Maiestati illata? Atque illa censebat, nullum sibi dolorem, posteriora grauissimum, & intolerabilem inurerent. Quo igitur amore, quàm flagranti, quàm inflammato foret, qui sic in Deum immortalem affectus? Multa alia potuissem afferre, ferè vbi similia signa constiterint, sed quid alijs opus est argumentis? Hac de causa libens prætereo ea, quæ se facturum esse libentissimè dicebat Patriarcha noster, vt simulata dementia nudus, & cornibus onustus, sordibus oppletus, vt alio fœdo corporis habitu prodiret in medias vias, & loca ciuitatis publica, ad temeritatem multitudinem concitandam, vt omnes se luto, lapidibus appeterent, cœno, stercore, alijs sordibus cooperirent, deluderent, & clamoribus insectarentur, omnibus probris & contumelijs onerarent, nisi salus eum & vtilitas proximorum priuata prorsus an-

reponenda contineret. Prætereo officium quasi anteambulonis, vel perductoris, mulieribus à meretricio quæstu abductis, præstitum toto populo Romano inspectante, vt à violando toties Diuino Numine spurcissimum & turpissimum profligatarum mulierculârum genus auocaret. Quo in facto, neque seipsum, neque honorem respiciebat, & cum multi dicerent, ad pristinam vitam & mores redituras eas mulierculas, Ego verò, respondebat, his per noctem vnam a libidinibus suis adductis mulierculis, precium operæ ac vigilantiæ meæ quàm ingens tulisse contentus ero. Mittamus alia facta, quorum similia sexcenta possem sigillatim enumerare. Qui tam flagranti, & infinito in Deum amore succensus ferebatur, quâ contemplatione rerum diuinarum ad Beatorum sedes, & ab humanis abstractus ferretur ad Deum? Ex hac contemplatione fructus ipsius Spiritus, & amoris diuini capiuntur maximi planeque supremi, proprij Sanctorum Christi militum, de quibus paucos proferre nostri est, & præsentis instituti, vt suos veros & excelsos amatores, quibus modis, quàm illustribus, ac verè cœlestibus ipsa celsitas supremi Domini cumulet & adaugeat, agnoscatis in Confessore Iesu Christi glorioßissimo. Atq; e inter alia diuini amoris pignora, quis commemorabit variam ac multiplicem illustrationem claritatis diuinæ radiis incensam, qua nituit & emicuit sanctißimus Ignatius? Quoties enim, quoties multi intuentes Patriarcham inclytum, faciem & os viderunt miro splendore coluicens, & diffundens radios diuinæ claritatis? Quoties caput eadem claritatis magnitudine circunfusum aspexerunt, & admirati ex aspectu prædicarunt Patris eximiam sanctitatem? Quoties ingressus cubicula multorum conclusis fenestris, & foribus suo splendore clarißimo solis luce clariora reddidit, & illustrauit? Quoties Barcinone, in rerum diuinarum contemplatione visus est in clarißimâ luce conspicuus? Quoties à terra sublatus idem Pater aspectus, & longo interuallo cum Deo immortali familiarißimos sermones conferre, & hæc suauißimè pronuntians: O mi Deus, O mi supreme moderator! O si mortalibus notus esses! Quoties Sacrum faciens, cernitur splendoribus diuinis illustrati, totus fulgere & emicare clarißime? Quoties eundem splendorem diffudit impertiens sacram hostiam virorum mulierumque generi, & quidem sæpe à terra sublatus in aera? Quæ si magna, si excelsa, si illustria testimonia sunt, cum hæc ex animo

animo redundauerint in corpus, an non diuini amoris obsides fuerunt visiones eiusdem in diuina contemplatione versantis tam admirandæ, tam stupendæ? Non agam hic de diuinis consolationibus, de suauitatibus & delicijs, de iucunditatibus hauritis, & sibi cum alijs Sanctis plane familiaribus. Hæc Patri sanctissimo sic communes fuerunt, vt ijs volumina plurima complere potuissemus orationum. Sileantur hæc omnia, propter multitudinem suam. Illa illustratio multiplex, & numerosa, visiones illæ claritissimæ illustrissimæque, cui notæ non fuerunt à traductione suâ, & ante conuersionis deliberationem? In lecto iacenti, & grauius periculosiusque ægrotanti visus est B. Petrus, nuntius reddendæ restituendæque salutis missus ab Immortali Deo in cunctorum summa desperatione, & deploratâ iam & à medicis, & à suis valetudine. In ipsius traductionis primordijs vigilias agenti, & imbecillitatem debilitatemque carnis meruenti, nota fuit visio Virginis ac Reginæ cœlestis Mariæ, quæ id temporis Filium suum brachijs portauerit, & ingentis luminis magnitudine illustrauit, & præsentiæ suauitate recreauit, & ex animo turpes omnes cogitationes & imagines impressas & afflictantes acerrimè deleuit omnino. Mauresæ, cùm se cilicijs, inediâ, castigatione corporis excruciaret, sedatis iam tempestatibus illis & scrupulis & anxietatibus conscientiæ silentibus, consolatus fuit alumnum, & refecit & exhilarauit Dominus diuinarum visionum affluentiâ mirabili, & mentem illustrauit imagine sanctissimæ Triados clarissimâ, tantâ ue consolatione animi, & tantâ voluptate cœlesti affecit, vt neque lacrymas continere, neque cohibere singultus, neque cogitare, neque loqui, nisi de mysterio sanctissimæ Triados augustissimo celsissimoque posset, atque id tam mutata similitudine, tam multis & illustribus exemplis, vt spectatores, & auditores in magnam raperentur admirationem suspensi, attoniti, & sui ipsius penè impotes. A quo tempore quam infixum & impressum insederit in mente sua tantæ Triados arcanum reconditum & abstrusum testis esse poterit liber, quem de sanctissima Triade literis mandare cœpit, octoginta folijs constantem, & id temporis cùm legendi & scribendi solum peritus esset, inscius Grammaticæ primorum adhuc Rudimentorum: atque decursu vitæ suæ, tam altæ, tam profundæ, atque tam à communi hominum intelligentia sanctissimæ Triados

impressæ fuere notitiæ & splendores clarissimi, siue de diuinâ essentiâ, siue de distinctione, siue de proprietate (volo in re mirandâ Theologorum sermone loqui) vt ex Theologorum schola tantam abundantiam rerum percipere quidem non potuisset. Sed ad Manresam reuertor, vnde deflectere coactus fui arcanorum cœlestium multitudine. Iterum Manresæ obiecta fuit animo species visenda huiusce vniuersitatis, quam oculis aspicimus, quomodo, quaque mirifica ratione fabricam elegantissimam molitor tanti operis creauit. Tertiò etiam aspexit mentis oculis, & præsens Sacro in B. Dominici cœnobio, dum efferretur hostia, & quidem clarissimè, Christum Iesum panis tegumentis contentum, atque latentem, quo modo, qua ratione cultores Christianæ fidei credimus, profitemur, & colimus. Quid dicam de diuersis temporibus, cum spectans & intuens acerrimâ quidem contemplatione cœlestia, naturam Christi Iesu humanam vidit, atque respexit? Quid dicam de Virgine etiam sæpè ac sæpius eidem Patri obiecta, & obseruanta suis oculis, & Manresæ, & Paduæ, & Ierosolymis, & alijs in locis? Illud quis prætereat silentio beneficium, cùm propter littus fluuij Manresani sedens, abstractus ad supera, rerum accepit cognitionem altissimarum, neque cœlestium solum, & ad nostram fidem spectantium, sed artium & scientiarum maximarum? Atque raptus hic (quid enim vocabula quæram?) extasis tam diuina permansit ad longum temporis spatium. Sed illud multo maiorem affert admirationem, quod de nullo Sanctorum legisse, nec audisse vos recordamini; Qui continuos octo dies, & totidem noctes ab vno in alterum Sabbathum abstractus ab humanis, & arreptus prorsus mente in extasi continenti permanserit, cunctis, qui miraculo interfuerunt, admirantibus, & pro mortuo habentibus, cùm staret ille & recto corpore, & raptus ad sublimia. His octo diebus præteritis ad se rediens, quasi ex somno profundo suauissimoque excitatus est, nomen dulcissimum Iesu sibi melle suauius, ore suauiter, ac iucundè nimis efferens. Quid clarius, quid illustrius illa visione sanctissimæ Triados sibi oranti, & Romam contendenti in tanto lumine claritatis obiecta? Cum Pater Æternus, Filio commendauit Ignatium? Cum Filius respondit, se Ignatio, suisque Romæ propitium futurum esse? Cùm verò in monte Casino esset, vbi B. Benedictus animam vidit sancti Germani in igneo globo diuinorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0544
DFG

rum spirituum opera tolli sublimem in cœlum, non Ignatius animum Comitis Hosii in cœlum ascendentem, eximia claritate circunfusum vidit? Non vidit etiam Romæ animum Ioannis Coduri proficiscentem in cœlum, idque conuersus ad Patrem Ioannem Baptistam Violam, comitem id temporis suum patefecit? Cùm verò Pater Leonardus Kessel, natione Flander, & antiquus Societatis miles, & vitæ sanctitate conspicuus, in optatis haberet, videre suis oculis Beatissimum Ignatium parentem, non literas ad eundem misit, non per literas contendit summopere, vt sibi per eum liceret Romam adire, & Patris sui, cuius desiderio flagrabat incredibiliter, Ignatij solum aspectu perfruendi causa? cui Ignatius cùm respondisset, quod ex proximorum vsu & ad Dei gloriam spectare videbat, vt ibi, vbi erat, maneret, futurum, si collibitum Deo esset, & facile Deo quidem esse, vt Coloniæ, qua in vrbe Pater Leonardus erat, & amplius trecentas leucas ab vrbe Roma distabat, vt quem in optatis habebat, videre posset. Mirandum sanè, vigilanti Leonardo, Coloniæ agenti, & in Collegio nostro commoranti, & nihil tum fortasse de Ignatio cogitanti, visendum se spectandumque præbuit Ignatius. Qui agens inter viuos, cum Leonardo Patre fuit per tempus aliquod cum eodem colloquutus, & cum consolatus esset, ac refecisset mirandum in modum, gaudentem ac lætantem, optata consequutum, & tantum amoris diuini pignus adeptum reliquit, ex illius aspectu subducens sese. Sed huiusmodi multas alias relinquo visiones & species admirandas, quas & breuitatis causa prætereo, adiungens ad Beatissimi Ignatij gloriam, & alias huiusmodi fuisse innumerabiles, quas occultatas habuit veræ dimissionis amantissimus, neque diuulgare voluit, dona huiusmodi referens accepta semper immortali Deo. Alterum est, quod plus debet omnibus admirationis afferre; in tanta visionum & splendorum diuinorum multitudine, magnitudineque miranda, nec verbum vllum fecisse Parentem tantum: nec siluisse solum, sed demissionis, patientiæ, charitatis, castitatis, reliquarum virtutum ornatum extulisse, commendasse suis, & omni contentione comparandas verbo & re præcepisse. Quippe qui diuini amoris facibus incensus, gloriam Deo tribuendã. & virtutibus quærendam intelligebat, reliqua eiusmodi esse dona, quibus quos veller, & cum opus esset, suos alumnos Maiestas Diuina cumularet. Sed iam desidera-

bitis Ignatij Beatissimi amorem in proximos. In cuius rei laude quid est, quo magis possim adumbrare, (diffido enim me demonstrare posse, quid dicam ornare dicendo?) quam si ex amore diuino coniiciatis? Qui tanto Dei amore flagrauit, quo proximorum flagraret, qui sciebat, Patrem Æternum, à quo tanta beneficia acceperat, hominum ex inferorum faucibus eripiendorum causa misisse Filium in terratum sola, huic quicquam prius, quicquam antiquius esset proximorum salute? Quid opus est pluribus verbis? tempus est orationis absoluendæ, & huiusce virtutis consilium non à magnitudine multitudineque meritorum in proximos alienum erit alijs oratoribus relinquendæ. Quid enim illum fustibus cæsum, & morti proximum fuisse dicam causa proximorum salutis procurandæ? Quid insidias paratas, quid mortem imminentem, quid iniurias factas, quid contumelias impositas proferam? Quid eorundem proximorum causa ad virgas publicè, summoque cum dedecore perferendas adductum ostendam? Quid labores susceptos? quid adita pericula? quid contentiones pro liberandis ex dæmonis ore mortalibus habitas, & tempestates in eundem Equitem insignem con itatas enumerem? Quid frigidis in locis hyeme summa nudum collo tenus in stagnum se conieciisse immersisseque dicam hominis ab impura mulieris consuetudine reuocandi causa? Quid alia proferam huiusmodi sexcenta & innumerabilia facta, cum singulis horis ac momentis mille mortes pro salute animorum, & quidem acerbissimas oppetere fortiter constanterque paratus esset, cum sæpè à suis amicis, ab alijs periculorum non inscientibus, à commodis proximorum abstrahi reuocarique nequiuerit, glorioſum ducens, & nihil magis appetens, quam profundere sanguinem, & mortem subire crudelissimam in proximorum causa? Societas ipsa, Auditores, amorem Patriarchæ in proximos flagrantem & accensum declarat. Cuius institutum, ab Ignatio secundum Deum & afflante Spiritu sancto, quòd Romani Pontifices suis diplomatibus consignarunt, duobus potissimum muneribus, & sui ipsius & proximi salute contentum est. Quemadmodum exemplo & præscriptionibus sanctissimi Patris sui alumni præstiterint, & in omni loco sedeque terrarum præstare conentur, equidem satis planum fieri rudibus, & ignaris credo, si secum cogitauerint, quod videant, & probè norunt tanto animorum fructu præstari: nihil esse Societati concedent, quod illa ad proximorum salutem pro-

procurandam non præbeat, diligentissimeque exequatur. A pueris enim illa, dum eos legere & scribere docet, & in scholarum huiusmodi pueris informandis Christianæque doctrinæ rudimentis imbuendis, & ad omnem instituendis pietatem suos occupatos habet alumnos, proximorum saluti commodare incipit. Ab his scholis pueri deducuntur & Grammaticæ humaniorumque literarum studijs erudiendi Societatis Iesu præceptoribus traduntur: tabernacula patent Græci, Hebraicique sermonis, in Rhetoricis versantibus, & multis in locis vnà cum Grammaticæ institutione à primis cunabulis, non spectata Rhetorum classe, cum Latinis Græca & Hebraica pueri coniungunt: studia item liberalium artium Philosophiæ, sacræ Theologiæ eisdem in Academijs Sociorum vigent ac florent. In excipiendis Confessionibus, in ministrando Eucharistiæ Sacramento, in adiuuandis proximis, frequentatione xenodochiorum, in vinctorum custodiâ quacunque visenda seduli sunt ac diligentes Socij Iesu. Notæ sunt conciones publicæ, priuatæque adhortationes, notæ Sodalitates adiuuandorum proximorum causa institutæ, omnes personant suis statis diebus doctrinæ Christianæ cantu, puerorum, & adolescentum, & virorum natu maiorum longissimo procedente agmine, & pompa consistente tota concionandi causa celebriore aliquo quidem in loco, vel publicis in plateis, aut compitis concursu frequentioribus, magisque vrbem peruagante multitudine lustratis: frequentes hoc in munere, neque die solùm, sed nocte intempesta, quocunque anni tempore, sunt alumni Societatis Iesu, vt vocati domos adeant, adsint morientibus ad extremum vsque spiritum. Cumque damnati capitis, vel in crucem tollendi deferantur ad patibulum, eos comitantur (quemadmodum viros nobiles) in locum vsque vbi iugulandi sunt, aut alio supplicio mactandi. Denique, ne omnia persequar, expositi sunt Sodales Iesu ad omnem operam, quicunque ea vti voluerint, ex instituto suo præstandam. Vbi verò, Auditores, hæresis flagrat ac sæuit, quales se ac quantos, & legendo, & scribendo, & nefarijs hæreticorum conatibus obsistendo præbeant discipuli Ignatij, noua esset instituenda quidem oratio, si rem, quemadmodum se habet, ostendere debuissemus. Vos scitis omnes & nostis melius, quam ego possem ostendere. Hæc omnia, laudes sunt Ignatij glorioßissimi, hæc trophæa, monimentaque Patriar-

chæ præcellentissimi. Hæc postremò decora & ornamenta Confessoris istius inclyti, quæ nulla temporum obliuione ex hominum mentibus excident, pro multitudine magnitudineque suâ, pro gloriâ præstantissimâ immortalitatis insignibus cohonestatâ. Date operam Auditores, vt quæ de amore diuino, de charitate in proximos ardenti ab initio in hunc vsque locum audistis, vestris animis commẽdetis: quæ de patientiâ & charitate, de vtraque præcellentissimâ virtute, tantis donis ac muneribus redundanti, tot virtutibus decoratâ cœlestibus, tot illustrissimis spectaculis & visionibus illustratâ diuinis accepistis, quæ tanto honore in Ignatium Confessorem & Patriarcham inclytum liberalissima Dei manu infinitaque largitate collata omnia dona sunt, in animis & in memoria habeatis, & qua patientia, qua fortitudine animi esse debeatis, & quod amare vos oporteat, quod odisse intelligetis, si Diuinæ Maiestati, quod vnum est optandum, & gloriam cœli immortalem parit, grati admodum, & accepti semper esse volueritis. Dixi.

ORATIO IN LAVDEM B. Ignatij Confessoris.

Ab Adiunctis, ope aliorum Argumentorum.

OVæ de Beatissimi Ignatij Confessoris Ecclesiæ glorioſissimi laudibus hoc tanto concursu nobilissimorum hominum, Doctorumque frequentia honoratissima stipatus dicturus sum, ea in fortunæ, corporis, & animi dona conferam. Neque vereor reprehensionem mussitantium iam nonnullorum, & probro vertentium tritam hanc ac peruulgatam laudandi rationem, & quasi parum ad Sanctorum laudem spectantem: Nam non omnibus nota sunt, Societatis quanquam alumnis, & eiusdem studiosis notioria sint, quàm mea nosse quicunque poterunt oratione: Et si nouerint omnes ad Cœlitis inclyti laudem collata, maiorem illa quidem spero cognitionem, & eidem

Magnati

Magnati curiæ cœlestis insigni laudem illustriorem afferre posse. Nam cùm parentibus clarissimis non responderunt solum, qui sunt eius generis ac familiæ, sed virtutibus suis clariorem & illustriorem nobilitatem reddiderunt. Quid maius & ad institutum, quod de agimus, appositum afferre potuit orator? Id quod præcones Beati Dominici nunquam prosapia Gusmaniorum omissa, cum tanti Principis Ecclesiæ laude gloriosa maiorum stemmata coniungentes, nobis nunc primum de Patriarcha præcellentissimo Ignatio, tanquam de sancto, & in Beatorum ordinem adscripto dicentibus, faciendum celebrandumque prædixerunt. Neque ob eam causam veræ laudes animi dotes prætermittendæ sunt, & aliæ multæ habendæ, mandandæque literis sunt orationes, nulla nec minima suorum illustrissimorum facta mentione maiorum. Quapropter, quæso, detis mihi primum omnium hoc vsitato artificio dicenti, nec maius meis viribus onus audenti solitam veniam attentionemque animorum ad orationis ingressum spectata cum benignitate coniunctam. Patria Beatissimi Ignatij Cantabria fuit, fortis & inuicta, & ad Martis congressus horrificos quasi dono ac munere præcipuo nata. Qua cum gente armis, & gladijs, & hastis gaudente acerrima bella gessere Romani; neque vllam ex Hispaniarum gentibus magis fortem, & planè indomitam, prælijs grauissimis periculosissimisque commissis, quàm Cantabriam nominarunt vnquam, suorum talem ac tantam, annalibus posteritati commendatam: in ea verò Ignatius bello pietateque insignis natus fuit parte, quæ in finibus vrbis Aspeithiæ posita est. Quibus in locis duo sunt oppida Ognis & Loiolæ, à qua Loiolæa familia, & cognomen horum Cantabriæ dynastarum ductum fuit & propagatum insigniter. Hæc patria licèt clara & illustris non esset, eam tamen Domini Loiolæi illustrassent suo splendore & maiorum nobilitate clarissima, maximè Ignatius hic insignis, qua claruit in rebus bellicis gloria, & in perfectionis itinere susceptoque consequutoque absolutionis consummatæ fastigio, & Beatorum in militanti Ecclesia gradu gloriosissimo. Nam de Confessoris, & sancti & maximi Principis culmine iam in cœlo, quod postea clarum ostendemus, summa cum celebritate delato, quis nisi inuidus & obtrectator impius dubitare potest? Gloriare igitur imprimis Patria Ignatij, non tã de Beltramo Parẽte, de maiorib. illustri nobilitate florẽtibus, de

magno-

magnorum, illustrium, & immunium planè municipum altrice terra, quàm de Beatissimo Ignatio, quod licet in tenebris primis temporibus iaceres, posset ille suæ sanctitatis fama, & cœlesti celebritate ab obliuionis iniuria vindicare, & cum antea, tum nunc maximè ope Vicarij Iesu Christi, qui fulli non potest, Beatorum sede delata, & quod tu, quod sui breuiter sperare possunt, & cum magna animorum voluptate, boni sanctique Christiani videbunt, gloriari iam incipere potestis de Ignatio breuiter in Sanctorum ordine collocando. Huius ergo patria si clara fuit, si tam illustris, non minus illustres, & fumosis maiorum imaginibus paterna, maternaque prosapia procreati fuere Loiolæi Principes & Domini sua ditione celebrati. Hac patria h maiotibus commendatus fuit Ignatius, qui cum parentes locupletes ac copiosos habuerit, & Dominos Ognis & Loiolæ præstantes, ijs reditibus annuis, & insigni fortunæ dominatu, stirpisque Loiolæ principatu florentes, parentum vestigijs primum insistere in animo habuit, atque viam sæculi contendere cœpit ea iactatione, qua se filij Heroum clarissimorum, & fortuna tam ampla florentes ostentare solent. Quod in illo satis insigniter vigere visum fuit adolescente, præsertim oris dignitate, recto & eleganti corpore, mira membrorum omnium conformatione, tanto lepore ac venustate lineamentorum suorum, vt si cognomenti generis, solo patriæ non omnibus notus esset, suam tamen florentem fortunam, & maiorum claritatem insignem ore ipso, reliquaque corporis elegantia satis egregiè præ se ferre videretur. Quod testatus fuit liberali, & Equite illustrissimo digna educatione, & Aulæ regiæ Ferdinandi hoc nomine Catholici victu quotidiano: In quam cum alijs filijs Heroum, & Magnatum clarissimorum missus à parentibus, Regiæ Maiestati venit in seruitium. Inde spiritus illos Equestres, animos Magnatum insolentes didicit, & accepit, vt ad fortunæ gradum excelsum, & fortunæ dominatum amplissimum natus fuisse cerneretur. Huius aulæ moribus, & institutis imbutus, magno & erecto animo ad rem militarem animum adiecit, prima militiæ tyrocinia apud Ducem Naiarensem cum Loiolæa familia vetusta necessitudine coniunctum, honorificè nimium posuit Ignatius. Qui corporis ornatu elegantissimus, armorum, militiæque vsu præcellentissimus, quanquam in factionum rixarumque periculis, in sæculi immanissima iactatione tempus consumeret, tamen in illo bonæ indolis,

indolis, & virtutis occursu temporis futuræ satis illustria indicia, atque adeò spectandæ religionis præsagia videbantur emicare. In tantâ enim licentia militari, in tam corruptis moribus, nulla vox paulò atrocior, nullum iusiurandum auditum, sacra omnia, sacrorum Antistites summâ religione venerabatur. Agnoscite quoque illum diuitijs humanis minimè inhiantem, nullâ auaritiæ labe aspersum illud temporibus, quibus prædis faciundis, dediti sunt militares animi. Denique ne vos morer, in re militari eas progressiones fecit, vt cùm in Naiatæ expugnatione fortitudinis suæ documenta quàm illustria dedisset, à diripiendâ vrbe, quàm prædæ, direptioniq́ue dux ipse reliquerat, pro sus abstinuerit, cùm ad illum tùm expugnationis, tum prædæ præcipua pars pertineret. Inde maximè notus omnibus, ab hac expugnatione pluris Duci habitus; à quo ad maximas res & arduas, vbi alacritate, fortitudine, consilo opus esset, agendas, expediendasq́ue deligebatur. Ecce vobis interquosdam Cantabriæ populos, ortæ seditiones, motusque turbulenti fuerunt, quæ ad vtriusque factionis exitium, ad oppidanorum interitum apertum spectabant. Dux ipse Naiarensis, pro nobilitate, pro fortitudine, pro consilio spectato, Ignatium & adolescentem, & alijs militibus multò recentiorem legatum misit, qui controuersias, & breuiter & prudenter diremit, gentesque acriter & hostiliter dissidentes magno vtriusque partis consensu, & approbatione composuit, & reconciliatas reddidit amicas perpetuum. Qui iuuenis legationem obibat, quid negotij, quid muneris non obiret ætate maturior? Magnum erat nomen, magnum decus legati, vt Principes Reipub. maximi semper in omni moratâ, maximeque Romanâ Reipublicâ munus hoc obierint. Seruius Sulpitius ad Antonium Iurisconsultus maximus Senatus auctoritate legationem obijt. Eandem obierat ad Caium Cæsarem L. Cæsar pro cognatione, consilio, auctoritate suâ, decernent. Senatu, vt ab armis discederet, & ad petendum Consulatum Romam supplex accederet. Qui verò missi fuerunt Saguntum ad Annibalem, iussi transire Carthaginem, si Annibal obsidionem Saguntinam, non solueret, magnis Reipub. muneribus functi fuerant. Sed pluribus nolo rem trahere, legatorum auctoritatem commendans, quæ per se commendata semper fuit, cùm inter hostiles gladios, & tela semper integra & intacta veneretur. Dicam id

quod

quod literis mandatum est, nullum negotium Ducem Naiarræ non per Ignatium cepisse prudenter, & confeciſſe feliciter. Tanta in illo prudentiæ consilijque magnitudo elucebat. Sed id declarauit apertè prouincia ducis Pompeianæ vrbis & arcis defendendæ Ignatio paucis comitato delata, dum dux ipse Nauarræ imperio Præfectus exercitus cogeret imperij defendendi causa. Quid hic magnanimus Ignatius, absente Prorege, cæteris de deditione agentibus, multitudine Gallorum deterritis, & simul oppidanorum animo diffisis? solus ille cum paucis arcem defendit, contra Gallorum tormenta vimque omnem admotis scalis in arcem ad ascendendum, & vsque eò restitit, quoad globo percusso, confractoq; crure semianimis corruerit. Defecêre id temporis Hispani animis, dedere se Gallis, & arcem tradere sine cunctatione, Quod aliud fortitudinis, & magnanimitatis signum dari potuit? Decidit in terram, vt subleuaret se, & animum tolleret ad cælestia, & qui deijcere Gallos volebat, deiectus fuit tormentorum vi, vt à sæculi militia ad cœlestem transiret, & magnorum copias militum duceret, tormentisque omnibus oppugnaret, & expugnaret, castraque Luciferi, & inferorum sedis cunctorum. Proh! sancte Deus, quibus ille modis, quibus miraculis à sæculi vanitate ad Christi Iesu perfectionis iter traductus! Quem paulò ante accinctum gladio ficaque cum galea in capite, cum lorica in pectore, cum scuto in vna manu, in altera cum gladio militis ingentis partes agentem, & aut gladio arcem tuentem, propellentem accessum, & ascensum aduersariorum, quem à congressu videratis elegantiæ, auliciique cultus appetentem, sericis concrepantibus incedentem, ornatum plumis versicoloribus, & gestantem de collo murenulas aureas, capillo pexo, ac nitido, vel intorto cincinnatoque, indutum ocreis politis & habilibus ad crura, more militum glorioſorum, vel in habitu politorum & elegantium aulicorum; en exutus vestibus suis & ornatu serico, cum pannoso, & sordibus oppleto, centonibus mille resarto vestitum pretiosum mutat, & induit vilem & attritum. Quid de hinc? Corrogantem ostiatim aspiceres, quem summæ Regum arces aluerant, xenodochia adeuntem incolentemque, cum inopum genere versantem, & iucundè cum illis aliena misericordia viventem, & vescentem corrogatis escis. En illum pauperem. Hunc paulò pòst in peregrini habitu aspicies, sacco vili, crassoque obductum, accinctum fune asperrimo, de fune pen-

pendente scutica ferreis globulis, aut rotulis grauiter exulcerantibus, & carnes lacerantibus insertis, qui pedibus nudis Hierosolymam Martyris coronæ studio cupidissimus contenderet. Postremò, vt qui perduxerit militem suum Christus Iesus, aspicias, cernes post annos aliquot, in nostrorum habitum assumptam vestem honestissimorum B. Petro inseruientium Presbyterorum? Quæ hæc commutatio, tam multa, tam varia, & hominum iter perfectionis affectantium, propria atque peculiaris? Diuina dextera, cœlestis Dei immortalis prouidentia fuit, quæ famulum & administrum diuersis rationibus exercuit, & ad præfectum & ducem sociorum filij sui perduxerit, vt quoniam miles strenuus, quoniam dux fortissimus fuerat, laboribus assuetus magna vi, & robore animi, certus occumbendi potiùs, quàm deficiendi, exercitus Christi maximos duceret, res maximas gereret, pugnas acerrimas cum humani generis hoste nequissimo committeret, victorias reportaret, & maximarum insignia victoriarum, signaque Christi Iesu in vltimas orbis terræ partes inferens, eadem in arces extollens Crucis sanctissimæ monimenta relinqueret statuta ad sæculorum memoriam sempiternam. Quæ prædixi notiora sunt, quàm vt quisquam probationem desideret. Sic Ignatius Beatissimus nuntium sæculo rem sit, vt visione Beati Petri ad traductionem excitatus fuerit, Virginis altera iucundissima magis erectus atque confirmatus. Quarum ille memor imaginum, nihil sibi prius faciendum, nec antiquius duxit, quàm vt vestem sæculi relinqueret, gladium ante Virginis simulachrum, vigilijs primum de more Christiano susceptis & actis, summa religione gratus appenderet. Quemadmodum verò viam purgantem inierit compressione carnis, inedia, vigilijs, meditatione, sciunt omnes, qui acceperunt, illum ter singulis diebus carnem acriter vehementerque vexasse, ad sanguinem non solùm exprimendum, sed ad dilacerandas vsque carnes: sic enim in sæuientem carnem sæuierat, vt sæuire non sineret, nisi huiusmodi crudelissima prius exercita carnificina. Id Beatus Ignatius acceperat Beatum Dominicum fecisse primis suæ perfectionis arreptæ cunabulis. Id Beatum Franciscum, carnis capitalem inimicum, carnificinæ genus ad domandam comprimendamque carnem exercuisse probè nouerat, eisdemque modis & cruciatibus carnem malè mulctasse acceperat alumnos veræ consummatæque perfectionis. Quæ verò illius preces,

quanta

quantâ vi & animi contentione adhibitæ? Quæ rerum diuinarum attenta assiduaque meditatio, cùm totos ferè dies & noctes in rerum cœlestium contemplatione poneret, nullam ferè intermissionem faciens, nisi quam corporis sustinendi, & à tantâ contentione reficiendi necessitas facere compellebat? qui vsq; eò speculator diuinus fuit, vt sine cibo, sine potu, quod Sanctorum cui acciderit legisse non memini, à rebus humanis abstractus, & ad superas atque cœlestes sedes animo sublatus, omnino sensibus omnibus id temporis arreptus in cœlum, octo dies & noctes continuas incredibili dulcedine perfruens, & cœlesti absorptus suauitate consumpserit. Sed in pelagus immensum & profundum ingressus præcindam reliqua, ne virtutes alias cogar intactas reinquere. Quæ inedia Patriarchæ clarissimi fuerit initio traductionis, ignorare non possunt illi, qui illum ostiatim corrogasse sciunt, & famelicũ nunquam non fuisse, & semel prandum duntaxat, sæpe biduum, aut triduum impransum, nunquamque ad corpus reficiendum accessisse, nisi vrgente necessitate, ac sæpe quidem premente conscientia. Quod illud abstinentiæ genus? quod inediæ visum auditumve vnquam fuit præscriptum vlla sæculorum ætate? in vllo Christianæ non dicam disciplinæ cultore, sed neque in maximo spiritus præceptore, parenteque celebrato, cùm octo dies & totidem noctes manserit ieiunus, plures quidem mansurus, nisi Confessarius scrupulum & religionem iniecisset? Ita quidem tractabat carnem, vt non pasceret, sed afflictaret, non reficeret, sed opprimeret, & adduceret in angustias maximas, vt iumentum onus perferre doceret, & alias lecti incommoditates humi cubando, & cum se sustinere non posset, tolerare cogeret. Quibus verò lacrymis vitam præteritam lugebat, post expiatam generali Confessione conscientiam? Meministis Auditores Dauidem, qui media nocte surgebat, lacrymis eluturus magis ac magis peccata in Diuini Numinis Maiestatem admissa: Meministis Magdalenam ingenti lacrymarum acerbitate lugentem deplorantemque peccata sua, & eisdem aspergentem pedes Assertoris Iesu, & eosdem capillis auro clarioribus abstergentem: Meministis denique Petrum audito Galli cantu continere se non potuisse, quin ingentem vim lacrymarum effunderet, recordatus peccati in Iesum admissi, & perfidiæ iusiurando confirmatæ: Horum similem Beatissimum Ignatium recordamini, quem vitæ præteritæ peccatorum in Dei numen

men admissorum sic pœnituit semper, vt obliuiscì non posset, & solâ recordatione in lacrymas totus solueretur acerbissimas. Ad gradum iam diuinæ contemplationis tam sublimem euectum, & in viâ illuminante tantâ cum excellentiâ, & splendore cœlesti versantem, quis pro meritis cõmendare poterit? Quæ denique (vt alia omittam) fuit contemplationis magnitudo? qui gradus tam excelsus, & sublatus ad Dei cognitionem summam atque supremam? Non dicam amplius, quàm quod sui, quod vitæ Ignatij studiosi nouerunt, quod admirari debemus, & summo quidem iure obstupescere, sic se habuisse in rerum cœlestium spectatione Patriarcham cœlestem, vt pati potiùs quam agere videretur, adeò ferebatur ab humanis abstractus ad cœlestia. Cuius gradus celsissimi testes sunt visiones diuinæ de sanctissimâ Triade mentis oculis obiectæ, & in illius animo tam insigniter impressæ, vt nullis adhuc literis præditus librum de sanctissimæ Triados altissimo mysterio composuerit, literisque mandauerit ad suorum consolationem filiorum, & ad liberalitatem in suos diuinamq; largitatem magnificè prædicandam. Testes sunt visiones Virginis Mariæ, & Filij sui Christi Iesu, nunc istius Domini terræ cœliq́ue supremi, nunc Reginæ cœlestis aulæ, nũc vtriusque, & tanto cum splendore, tam claro lumine sæpè ac sæpiùs, vt nihil supra. Testis visio sanctissimæ Triados Patris, Filij, & Spiritus, in quâ Pater Filio commendat Ignatium, & Filius in suam tutelam accipit, & Spiritus Diuini radijs, & clarissima multorum cœlestium arcanorum cognitione completur. Testes multi, qui cùm contemplantem & spectantem arcana cœlestia cernerent, faciem sæpè splendore circumfusam viderunt, & loca, in quibus erat spectator cœlestis & Angelicus, lucis immensâ magnitudine clarissimè collucentia. Testes denique innumerabiles, qui sublatum à terrâ superas res meditantem, cœliq́ue voluptates haurientem conspexerunt, & quidem longo interuallo, & quasi corporis mole carentem. Quid nunc raptus, vt ita dicam, & extases diuinas (volo enim hisce vocabulis vti; quibus rem clarius auditores intelligunt) commemorem? Cùm communia fuerint Confessori sanctissimo hæc omnia, cùm nunquam non cum Deo esse, cum eodem versari amicissimè familiarissimeq́ue videretur, hanc propriam meditandi rationem propriam Societatis voluit esse Patriarcha celsissimus: ab hac instituere voluit alumnos suarum rerum actiones ante lucis diuinæ ortum, & cubitum nunquam eosdem ire, nisi eius meditationis pastu re-

creatos: Hanc monimentum Societatis celsissimum instituit, prouehendum conseruandumque censuit, atque decreuit. Hęc à traductione suâ semper cum heroe cœlesti versata fuisse visa est, & egisse totos dies ac noctes. Inde liber exercitationum spiritualium ad suorum vsum & progressus maximos, & ad aliorum cuiuscunque generis ac fortunæ hominum à peccatis abstrahendam multitudinem ingentem, & ad eandem in gratiâ diuinâ conseruandam, ad eandem multitudinem in gradus euehendam altissimos diuinæ familiaritatis commodo tanto, & incremento Christianæ Religionis exijt, & emanauit in lucem. Qui cœlestis Christianæ Religionis heros si in suæ traductionis cunabulis, in illis primis ineuntis, & ingredientis viam spiritus rudimentis tantam diuinæ contemplationis vim & affluentiam obtinuit, quid illum progressu temporis consequutum fuisse diuinarum cõsolationum, quod cœlestium iucunditatum & solidarum voluptatum obtinuisse, hausisseque incrementum dicemus? Nihil ille vnquam nisi immortalis Dei gloriam appetijt, nihil quæsiuit amplius, neque studiosius, neque vehementius. Eius stemmata fuerunt non lupi, non lebetes, non reliqua generis ac familiæ Loiolarum insignia, sed Iesus ipse: Sed illa tria verba, Ad maiorem Dei gloriam: O Diuinum Confessorem! O Cœlestem Patriarcham! O verum Pastorem, & auctorem Religionis sociorum Christi Iesu dignissimum! Quas ego tuas alias virtutes charissimas, quos titulos illustres & excelsos, quos tuorum fructus toto terrarum Orbe tanti parentis patrocinio ac virtute perceptos enumerem? Quę proferam tua miracula nobiscum agentis, & in cœlo commorantis, miranda quidem & stupenda? Sed ista ad aliam orationem reseruo. Quanquam nullum maius virtutis testimonium, neque illustris sanctitatis monimentum proferri potest, & poterit vnquam ad Sanctorum laudem, suis trophæis & immortalibus virtutum maximarum monumentis. Fruere his omnibus laudis insignibus Patriarcha celsissime, atq; hæc, quæ prædiximus, & patriæ, & generis, & fortitudinis, & virtutum maximarum lumina tam illustria, trophæa permansura ad sæculorum omnium immortalitatem in hac militanti triumphantique Ecclesia tot tuis titulis & insignibus honorificentissimis illustrata, recognoscemus omnes & venerabimur. Et quod illorum studiosi sumus, quòd participes eorundem esse cupimus, quòd tanto tuo bono gaudemus, quòd filij tui memoria beneficiorum immortalium obligati, & ob eam causam tibi dediti esse

esse volumus: Quòd quem modò Beatum colimus, & in Beatorum numerum asscriptum ferijs tam sacris tamque solennibus suspicimus, atque veneramur, & in Sanctorum ordinem asscriptum, quàm breuiter Pauli hoc nomine Quinti, Vicarij Christi Iesu auctoritate referendum esse speramus, & ad has nos ferias colendas, venerandasque non minore Religione, iucunditateque animorum incredibili, maiore quidem apparatu, maiore pompa & splendore nos comparamus, adesse & præsentes esse cupientes, & solâ recordatione gestientes inrredibiliter. tuis nos precibus in itinere virtutis adiuua, tuo patrocinio tuere. Quod si adfuerit, vt adfuturum sine dubitatione speramus, erimus, qui debemus esse, virtutis fideles, egregijque maiestatis diuinæ cultores. Dixi.

(***)

FINIS.

INDEX RERVM VOLVMINIS PRIMI CAMPORVM Eloquentiæ.

A.

Abatus quid sit 382 Ornatus & apparatus eius 383
Abrahã alter est S Ignatius 462
Academiarum in genere laus, à partium enumeratione, maximè Salmaticensis 104
Academia ius liberandi studiosos à Prætore incarceratos 244
Academia Complutens. laus, 445
Academia Salmanticensis situs laudatur ab inamœnitate 7
Acanthi natura & color 299
Accipiter qualis auis 295.336
Acupictrix 401
adiuncta quid sint, 120 patent latissimè, ibid. exempla varia, 129. & seq. ex eis suasio ad bellum Isabella Anglorum Reginæ inferendum, 146. dissuasio ad Cæsarem, 148. coniectura quo pacto facienda, ibid. reprehensio patet in filio prodigo, 150 spes in adolescente literis vacãte, 151. inuidia, 152. odium de patrato Cain peccato, 153. metus in finem 154
adiuncta quibuscum argumentis cohærent, 156. & seq cum quatuor causarum generibus, 157. & seq. cum antecedentibus & consequentibus, 162. & 163. cum attributu personæ, loci, temporis, 171. ab eis exordia & narrationis varia sumpta & diuersis rebus applicata 229. & seq.
Adolescens primus in omnibus studijs 74.92.113
adolescentis boni pia exercitationes 39.92
adolescens flagitiosissimus 105
adolescens innocuus, solum sibi & studijs vacans 149
adolescentis mali peruersa studia, 38.79.80.105
adolescens nobilis subitaneâ morte sublatus 106
adolescentis scholastici laus, 232. 233.234
adolescens rerum magnarum decoctor 10
adolescentis vituperatio, 142.205
adolescens inter vitiorum plurimas occasiones, doctrina & virtuti studet 7
adificia qualiter & quomodo cõstruenda, 396. eorum partes descripta 396.397
Ægeæ Proconsulis insania, & crudelitas 78
ægroti medela 411
Ægyptus Nilo inundatur tota æstate, 431. quomodo agros postea discernat, ibid. artium inuentrix ibid.
æquitatis amans Propretor 128
affectus praui compescendi 205
Agareni Granatensibus infesti, 236
Agarenorum immanitas 236
Agasæi canes venatici quales, 264
B. Agnetis constantia, 202. miracula 203
Alauda sex Galeritæ auis cuius natura 295

Aloy-

Alcyonis natura 336
Alexandri magni statua Cæsarem excitat 124
Alexander felix magistro Aristotele, 441. Homeri libros in theca pretiosa Darij asseruat, ib.
Alexandri Macedonij Regis laus, 441
allium quid sit, 363. cur gratum messoribus æstiuo tempore, ibid.
aluus quid, 355. & in qua parte corporis locata ibid.
amplificatio ex causis & affectis, 40. ex antecedentibus & consequentibus, 15. & 193. ex adiuncto in Tyrannum Herodem, ib. ex toto integro & partibus eius, 253. à proprio, 355. ab enumeratione 209
amplificatio ex causa absoluta efficiente amoris in amicum, 25. ex adiuuante, procreante & conseruante, 28. & seq. ex casu & necessitate, 30. sponte agente in laudem D. Thomæ 29
amplificatio ex fine diuersis exemplis illustrata, 3. ex uno & multiplici, ibid. ex fine cum effectis & partium enumeratione, 5. cum similitudine & effectu in laudem Cæsaris, 6. ex fine cum adiunctis in laudem S. Hyacinthi, 8 laudis & vituperij cum similibus effectis, & causis efficientibus, 11. suasionis & dissuasionis 15. & 13
amor caducorum reijciendus, 207
amor Dei in homines, 206. & 207
amor Dei perfectus 514
amor hominis in Deum, 206. 207
amoris effecta 25
Anacephalæosis Epilogi accurata, 245
Anacephalæosis virtutum S. Ignatij, 477. alia laudum Geometriæ 433
anatis descriptio 300
Andreæ Apostoli martyrium, 78
Anglia Catholicis deserenda 4
Angliæ persecutio in Catholicos, 36
Anglis pyratis resistendum 109
anguis natura 347
anima corpore præstantior, 561. passeri comparata ibid.
animalia quadrupedia quotuplicia 292
animalium varia genera, varia arma 292. 293
animalium in specie descriptiones 260
Annibalis fortitudo 186
anseres coloris varij 301
antecedentia quid sint, 121. variis & diuersis argumentis connexa, 179. & seq. eorum usus multiplex, 177. amplificatio ex congtobatione 182
M. Antonij furor & vituperatio, 11. machinationes in Remp. 17. Vitia 84
Antonij intemperantia 10
Antonius contra Romanum Senatum agit 181
Antonij familiaritas cum Cæsare 84
Apelles pictor maximus 381
Apes cuius rei symbolum, 340. illarum natura ibid.
Apostolus, cognomen S. Pauli, 257
Apostolorum SS. Martyria 252
Apostrophe ad B. Ignatium 468

Ligna quæ igne accenduntur, 474
aqua ignem nutrientes, 473. 474
aquila natura 302
araneorum descriptio 344
arborum descriptiones, 365. & seq.
vitia 366
Archilochus & Sophocles post mortem ob scientiam honorati, 443
Archimedes Arithmeticus laude celebris, 429. eius factum egregium 433
Archimedes geometra post mortem honoratus ob artem, ibid. argentum auro mixtum in corona Regi indicat 435
Archytas geometer magnus, 432
ardea quasi ardua petens qualis auis 303 336
argumentatio à 4. causarum generibus, 12. à partiũ enumeratione. 74. ab adiuncto, 193. coniugatis 258
aries bellicum instrumentum, 422
Aristoteles 300 libros scripsit, 439. omnia docta natura humana habuit, 440. Demonium i. diuinus dictus, ibid. Mors eius ex nimia auiditate sciendi, 441. exilium eius & idola exosa, 444. conuersio eius ad Deũ in morte, ibid.
Aristotelis laus in omni arte, 437. & seq.
Arithmetica laus & vtilitas ex adiunctis descripta 425
arma militia 417. 419
armorum bellicorum descriptio, 419. & seq.
ars militaris à gruib. docetur. 324
Artium Dialectica, Arithmetica, Geometria, Rhetorica laus, 248
Ascensio Christi in cœlum gloriosa 117. 970
Atlantes & Caratides domuũ, 398
attagen auis 336
Attentionis & beneuolentiæ captatio 523
Attentionis captatio in media oratione 463
Attentionis & beneuolentiæ captatio 438
Auarus in pauperes 35
Auari hominis studia ac vota, 216
Auium proprietates, 295. vnde sit dicta, 336. quotuplices ibid.
Aucupis solertia in capiendis perdicibus, 297. turturibus, columbis, & similibus. 208. & se.
aurũ vnde sit dicta, 352. cur semper pateant ibid.
Austeritas vitæ eremiticæ. 197.

B. (134

BAccalaureatus digno collatus, Bacchanaliorum lusus iuuenũ lepidus 63
balneorũ vsus quã salutaris, 414
B. Barbaræ parentis crudelitas, 40. narratur cum amplificatione, 91 spes in Deo fixa, 204
Basilisci natura venenosa, 347. Regulus alius ibid.
Beatificatio S. Ignatij celebrata stylo soluto & ligato 61
Beatificatio S. Ignatij concessa, Canonizatio prolongata, 479 beatificatio, quid à Sanctificatione differat, 485. Beati qui dicantur, 484. dies beatificationis S. Ignatij qua pompa Romæ actus, 482. Beati idem qui Sancti, 486. 487. Beatificatio in Hispania quomodo acta 488

Bea-

Beatitudo in quo consistat 486
bellum ciuile inter Cæsarem & Pomp. 127. *belli ciuilis Romani adumbratio*, 12. *belli cades describuntur* 11
belli clades magna, 236. *bellicorum armorũ descriptio*, 419. *& seq.*
belli cum Anglis gerendi causa sũt Hispanis 5
beneficia Dei in hominem peccatorem, 39. *beneficia Dei in hominem*, 217. *beneficio Ecclesiastico dignus* 93
Beneuolentia captatio 458
Beneuolentia & Attentionis captatio, 53. 55. 56. 57. 61 62. 98. 96
Bombyx vbi & quomodo nascatur 343
bona triplicis generis à quibus cõmendamur 522
bona cœlestia 198
bona huius mundi præ æternis contemnenda 41
bonorum paternorum dilapidatio ab adolescente, 10. *bonorum temporalium decoctor* 12
Britãnia ferax canũ Agaseorũ. 264
Bubo à sono Bunditum dicta, 304. 386.

C.

CÆremonia, *vnde dicta*, 225
Cæsaris prima militia rudimenta 124
Cæsaris laus ex adiunctis, 124
Cæsaris dictatura perpetua arguitur 153
Cæsar omnes hostes vicit, 126. 127
Cæsari bellum in Romanos dissuadetur 148
Cæsaris vsus cum Antonio 84
Cæsar Pompeium generum per quẽ vicerat, debellat 42
cœlum laboribus, & puritate conscientiæ acquiritur 159
cœli facies pulcherrima 32
cœlestis vita bona 193
calamus aquaticus pacis & belli instrumentum 379
calandris auis similis alaudæ, 300
canabis natura, 376
candelabrum 395
canes aduum custodes quales 267
canis venatici descriptio, 261. 262. 263. *villatici, pecuarij, domestici* 266. *& seq.* (nẽt, 350
capilli calui in homine quid designent 349
capitis humani descriptio 349
caprarum descriptio 268
capus qualis auis 316
carceris descriptio 414
carni repugnandum rationabiliter 18. *requies danda aliqua*, 189
Carduelis à carduis nomen sortita, 304. 336. *qua arte capiẽda*, 304
carduorum descriptio 365
caro porcina quam preciosa, 291
castanea quid sint, & quanam esui grata 359
castrorum muniendorũ ratio, 423
casus qualis causa efficiens 25
casu in venatione interficiens, an venia dignus 30
catellorum Melitensium natura & forma 260
Catharina S. *Martyrium* 65
Catilina *in exilium proscriptio*, 3
Catilina *coniuratio euersa studio Ciceronis* 6. 7. 103
Caini *detestatio ob mortem fratri allatam* 153
Cãnensis *Romanorum clades* 187
causa quẽ locum in oratione teneãt 50. *omnes in laudẽ B. P. Ignati*

collata. 45. earundem notitia vtilis & necessaria, ibid. ab ijs deductum exordium & epilogus 50. & 68
causarum quatuor genera 2
celle penaria vnde sit dicta, 367. eius effigies ibid.
charitatem laudat pra omnibus B. Ioannes 122
charitas ad Canonizationem Sancti necessaria 509
charitas gemina Dei & proximi in S. Ignatio 512. 513
charitatis vis & efficacia 21
charitas in Deum 123
charitas Dei perfecta in Ignatio, 514
charitas Christi in peccatores, 212 213
chirurgi ars, instrumenta q; 412
Christus quis? 8
Christi nati beneficium laudatur, 112
Christi circumcisionis causa, 78
Christi vita compendium & labores 21
Christus Dei patris voluntatem compleuit 459
Christi mœror in crucem sublati ex adiunctis descriptus, 155. transfigurati gloria quanta, 158. odium rectum in Iudam proditorem, 185. amor in genus humanum 206
Christi crudelis flagellatio 34
Christi patientis & glorioſi corporis membra 960
Christi tormenta flagitijs impiorum imposita 107
Christi crucifixi membra 155
Christi latus, est velut arca Noe 156
Christi resurgentis figura diuersa 960
Christi ascendentis gloria excitat Christianos 117. 118
Christianus verus sit sine mortali peccato 44
cibi quomodo sumendi, 390. eorum varietas & copia 385. 387
Ciceronis laus 6. & 28
Ciceronis laus, exilium, restitutio, amor subditorum 179. 180
Cicero quanti factus ob scientiam Romæ, 443. etiam à Cæsare hoste ibid.
Ciceronis studium in coniuratione Catilina tollenda, 28. vrbis Romana conseruator fuit, 29. Pater patria ibid.
Ciceronis laus, studium & labor in tollenda coniuratione Catilina 6. 7. 103
Cicada natura canora, & vnde sic dicta 344
ciconia descriptio, 305. 306. in adificio quid sit 399
cilicis descriptio 343
cimicis natura, 346. cletsamidij descriptio 403
circumcidi Christus cur voluerit 78
ciuile bellum Romæ 12,
claritas corporis Christi glorioſi 959 960
Clodij scelus in Ciceronem expellendo 179. 180
Coehlides adium partes quid sint, 399
cœparum proprietas 364
collum vnde sic appellatum, 354. capitis sustentaculum ibid.
Colonia B. Ignatius apparet P. Kesse-

Kesselio 519
colores varij 380
columbarum genera duo, 306. proprietates, ibid. fructus, 308. 837
columbarium quid 387
colus quid sit 401
columna & partes eius 397
commendatio suijpsius 115
commiserationis affectus 116
commoratio quid sit, & unde petenda 220
concionatorum ordo à B. Dominico institutus 165
concordia admirabilis gruum, 323
confirmationis in oratione amplificandæ exemplum, 64. refutatæ, 66. reprehensæ 67
coniuncta, vulgo abstracta, quid? 257. triplicia, 258. ab eis argumentandi forma ibid.
consensus & concordia ab amore nascuntur 25. & 26
consequentia quid sint, 120. eorum exercitatio multiformis, 182. & seq.
constantia martyrum 64. 65
consulatus potestatis abusus 175
consulatus Romani dignitas, ibid.
contemptibilis homo 142
contemptus rerum mundanarum, 122
contemptus mundi & mundanorum 197
conuersionis peccantium causa, 181
conuiuiorum apparatus: mores conuiuarum 285. 390
coquina necessaria 384
cor vitæ sedes 355
cornix auis coruini generis, 310. modus capiendi ibid.
cornua diuersa animalium, 293
coronarum genera 417
coronati martyres aqua gelata necati 474
corporis gloria futura magna post labores pro Christo 160
corporis humani fabrica mirabilis 254
corui descriptio, 311. hostis tauri & asini ibid.
coturnix cur sic appellata natura eius 311. 337
crucifixi facies, pectus, pedes, manus, latus 155
crudelitas Ægeæ proconsulis, 78, 79
crudelitas Herodis in innocentes, 198
crudelitas Syllæ Dictatoris 43
crudelitas parentis in S. Barbaram 101
crudelitas parentis in filiam 40
crudelitas feras superans 211
cubile nocturnũ describitur, 400
cuculi natura 313. 337
culicis descriptio 343
cultura ingenij ad doctrinam obtinendam requiritur 108
cuniculi cur sic dicti, 268. illorum natura ibid.
cuniculi bellici descriptio 423
Cupido Veneris filius, eius descriptio 8
curculio insecti genus 346
cursus equestris 416
cygni descriptio 314

D.

DAciani tyrannis 201
Dæmonium ob scientiam qui dicti 440
Daniel è lacu Leonum liber Christi fi-

sti figura 960
Danieli confertur Ignatius, 467
Dei beneficia in hominem 217
deliria ciborum 386.387
deploratio vitæ malæ actæ 68
descriptiones ex adiunctis, 260. *animalium in genere & specie*, 260. & 292
Dicearchus Siculus Geometer magnus 432
dictura Cæsaris perpetua reprehenditur 153
digressio per enumerationem 212
diligentia in studijs, 133.134.140. 141 (191
diligentia florere facit academias, *discipulus eximius* 87.92
discipulus discolus 35
discordia rem Romanã perdidit, 38
dissuasionis ex fine exemplum 15
distributio seu partium enumeratio quid sit, 72. *modus ab ea argumentandi* 74
diues negotiando factus 20
diuiti in diuitys haud gloriãdũ. 30
diuitiæ pro adiuuãdis pauperib. 216
diuitiæ contemnendæ 41
diuitiarum vsus & abusus 12
B. Dominicus quis? 8
B. Dominici laus 85.164
B. Dominicus contra hæreses datus 164.165 *Cõcionatores, Martyres, Confessores, Virgines plurimas fecit* ibid.
B. Dominici charitas in proximũ, 110
doctus fit ex studio & cultura ingenij 107
doctus à populo honoratus 176
doctus in omni scientia adolescens, 74.113. *doctus ac bonus bona*, 90
docti à principib. honorati 442.443
docti laudandi suscipiuntur, 50.51. 52.55.113 (255
docti hominu proprietates in schola
doctor indignè à cathedra remotus, 67
Doctor gentium proprium cognomẽ S. Pauli 257
doctor Theologiæ excellentissimus omni genere 75
Doctorem Academicum eligunt scholastici ipsi 3
doctoris nouelli laus eximia 89
doctoris laus & vituperatio à partium enumeratione 74
doctrina nobilitati iuncta, 454. 446. *doctrinæ variæ in candidatis graduum doctoralium cõmendati*, 445. *vsque* 456
doctrinæ comparandæ locus aptus, & incitamenta. 151.

E.

Ecclesiastico beneficio dignus, 93
Echini descriptio 269
edulia quomodo præparanda, 393
effectorum cõglobatio, 34. *cum vehementi interrogatione & repetitione, & adiunctione, item cum interrogatione, & demonstratione*, 35, *cum præteritione*, 36. *cum cõparatione & exemplo simul*, 38. *cum causis*, 41. *cũ dubitatione & apostrophe per amplificationem*, 42. *cum repugnantibus & dissimilibus*, 43. *cũ obtestatione ad concludendũ*, 44
efficiẽs causa quid sit & quotuplex 24. *sua sponte & non sua sponte efficiens quid, ib. absoluta efficientis amoris in amicum amplificatio*, 25. *procreantis & cõseruantis*,

uantiu, 28. *sponte & consilio agentu*, 29. *efficientu causa amplificatio, cuius species quatuor*, 30. *ex casu & casu & fortuna de homine in venatione interfecto, ibid. cum materia, forma & varijs generibus causarum & effectu*, 32. *ex minore cum exemplu* 33

elephantus 270

elephantes amant flores, 271. *fugiunt homines mira arte. ib. vagabundos in iter dirigunt* 272

Elizabetha Anglia regina impia, crudelis 168

eloquentia quid sit, & quid agat, 13

enumeratio partium ex causis & exemplu in Ægeam proconsul, 78. *ex dissimili* 79. *cum antecedentibus & consequentibus in Leouigildum*, 81. *comparatione & descriptione*, 84. *repugnantibus & minoribus*, 86. *varijs schematibus illustrata*, 87. *& seq cum repetitione in singulu periodu*, 88. *solum cum repetitione*, 87. *cum repetitione per preteritionem*, 89. *cum articulu, traductione, & interrogatione*, 90. *subiectione cum correctione. & dubitatione* 94

enumeratio quo loco in oratione locanda, 95. *per ironiam, ibi. eius exordium in laudem B. Ermenegildi, ibid, dominatur in Epilogo* 114

Epilogus ex fine illustratus diuersimodè, 25. *& 22. per causas ad effectus concitandos*. 65. *eius exemplum per enumerationē partium cum petitione*, 114. *ex adiunctorum frequentatione*, 245

Episcopi laudes à grauitate, modestia, scientia, &c. 159

epularum descriptio 389

equi natura, & quatuor in eo spetanda, 272. *equi vitiosi descriptio, ibid equorum diuersa genera*, 294. *equitu effigies funesta*, 275 *equitu cursus* 416

Eremitica vita S. Pauli, 196. 197. 198

B. Ermenegildi laus à partium enumeratione, 95. *ex adiunctis*, 222. *contrarius parentis impietati* 210

Ermenegildus martyr colēdus, 114

Eruca vnde sic dicta, 345. *plantu pernitiosa ibid.*

Euclidis laus 432

Eudoxus Guidius Geometer magnus, 432. *Euclides maior, ibid.*

Euripi natura mirabilis, 441. *mergitur in eo Aristoteles. ibid.*

B. Eustachij laus 219

exempla temeriorū in cultu Dei 213

exercitus totius promptitudo 90

exilium S. Hilarij pontificu, 80. 81

exordia orationu varia, ex fine, 19. *ab extenuatione & enumeratione causarum* 50 *per preoccupationem causas officij reddens*, 51. *ex causis cum partibus absoluti exordij*, 53. *ex causis diuersis*, 56. 57. *& seq.*

exordij genus in laudem Philippi Hispaniarum Regu III. 231

exordij genus in laudē S. Sebastiani 60. *Imperatricis defunctæ*, 59. *B Ignatij*, 61. *ex enumeratione partiū de S. Ermenegildo*, 95. *ab adiunctis persona, loci, temporis*, 227 *& seq.* ex-

expolitio quid differat à commoratione, 223. & quid sit ibid.
expolitio egregia in confessorem B. P. Ignatium 224

F.

FAbarum vsus 362
fabri ferrarij opera 406
faciei laus 352
falx messoria quid sit 361
felis descriptio 275
ficedula auis 337
ficus arbor & quotuplex 368
filius degener incusatus 70
filius patri inobediens & recalcitrans 43.44
filij parentum studia libenter sequuntur 454
filius prodigus ad pœnitentiam motus 156
filij prodigi ex adiunctis reprehensio 150
filius virtutis paterna imitator perfectus 69.71
finis hominis cœli beatitudo perquirendus 16
finis hominis 4
finis quid sit & quotuplex, 2. ex fine amplificatione 3. ex vno & multiplici fine, 3. ex fine cum dilemmate, forma, causa efficiente partiũ enumeratione cum effectis, 4. & seq. cum similitudine & effectis in laudem Ciceronis, 6. cum dissimili & exemplo, 7. cum adiunctis in laudem B. Hyacinthi, 9 ab eodem fine officia diuersa petita, 10. laus & vituperatio cum similibus effectis & causis efficientibus, 11 quo pacto ex eadem suadendum 13. dissuadendum, 15. coniectandum ibid.
finis sedes in orationis epilogo, narratione & exordio locanda, 18. & eius rei exempla, 19. & seq.
flagellatio Christi cruenta 34
forma quid sit 2. & 247
fortitudine animi opus est hominibus secularibus 962
B. Francisci laus, 86. 100. humilitas 495
fratris erga fratrẽ obsequium, 86
fratres moribus dissimiles 167
frontis humanæ descriptio. 350. eius explicatio lætitiæ signum, ibid.
frugum descriptio 359
funda bellicum instrumentum, 420. vnde sic dictum ibid.
fundamenta ædificij quænam & quomodo iacienda 395
Fuci quinam dicendi, 342. illorum descriptio ibid.
funeris sacri apparatus 5
furis nocturni deprehensio & angustiæ 154
furti crimen ab homine depellitur 66
Furor Sauli in Christianos, 31. 32.

G.

GAlerus presbyterorum qualis 375
galli gallinacei decus & prestantia, 315. in fouendis pullis liberalitas 310
Gallias domat Cæsar 125
Gallia status Arrianorum tempore miserè afflictatus 194
gallina natura 317
gallinarum genera 338
gallinaria quo loco constituenda, 317

Gallopani Indici descriptio 321
genera summa quomodo dicta & quid sint, ibid. vltima & media quid? 247
genus quid & quotuplex 246
à genere amplificare quid, 247. ab illo amplificandi modi varij 248
Geometriæ laus & dignitas ex adiunctis petita, 430. à quibus & cur inuenta 431
Geometria sine magistro non discitur, 432. diuinam naturam cognoscit 437
Geometræ excellentes 432
gloriam Dei quærit S. Ignatius in omnibus 463
gloriam Dei maiorem Ignatius semper quæsiuit 513
gloria corporis & animæ beatorũ magna 160
gloria mundana inanis & fallax 501
graculi cornicibus similes 322
grassantes noctu studiosi homicidium patrantes in carcerem coniecti 242
gratitudo in Deum 249
grillorum descriptio 344
grues artem militarẽ docent, 324
grues cuius coloris & vbi nascantur 322
gruum concordia admirabilis, & regimen 323
gryphis natura 324.

H.

Hæretici Magistratus impij, 107
hæresis omnium malorum causa, 91. 92
hæreticorum status miserabilis 107 furor, 846. diuersa opinio & sectio ibid.
halcon auis 337
Hama bellica 421
Hannibalis victus, victoriæ, & subiugatio 186. 187
Heluo 200
Heluonum ex adiunctis notatio, il.
Hephæstij montes flagrantes 477
herbarum species quæ & qualis, 362. descriptio ibid. & seq.
Herodes occisor S. Ioannis Baptistæ arguitur 170
Herodis contra Iesulum fraus 93
Herodis crudelitas in Iesum & Innocentes 193. 194
Hiera insula flagrans 474
Hilarius Pontifex Arrianorum hostis infensissimus 194
hirundo auis apibus infesta, 325. duplicis generis ibid.
Hispalis quanto apparatu Beatificationem S. Ignatij egerit, 490. 492
Hispalis caput prouinciæ Bethicæ, 190
Hispanis fluuius ardens 472
Hispani à Mauris, Agarenis in parasceue Christi omnes opprimendi fuerant 238
Homicida S. Thomæ Cantuar. 158
hominis & eius partium descriptio 349. & seq. amplificatio ex toto & partibus integrantibus, 254
homo flagitiosus, à fide deficiens, hancq; infestans, vituperatur, 76
homo improbissimus 219. & 220
homo vilis industria ad magnas opes emergens 162
homo vilissimus cõtemptibilis, 142
homi-

homicida in venatione an venia dignus 30
hominu finis beata vita 16
homines ad suum finem non tendere dolendum ibid.
honos ad studia incitat 16. & 17
honre cathedra privatus excusatur 67
honores doctis delati 442. 443
honores è doctrina promanant, 164
honoribus Academicu dignus, 172
Homeri libri magno in pretio Alexandro 442
horologij fabrica selarij 402
hortorum descriptio 370
Hosij anima cœlum petit 519
humilitas S. Ignatij, 494. 495. 496. 497
humani corporis fabrica mirabilis 784 (54
Hyacinthus S. laudandus suscipitur S. Hyacinthi laus, 8. & 37. 54
Hydrus animal noxium 347
hyperbarum quid sit 402

I.

IAcob veteri confertur Ignatius, 467
Iacobe fœmina pudica cognita P. Fransisci morte mœrore conficitur 5
Iconoclasta 77
Iesuitarum societas unde sic dicta 23. laus 48. 521
S. Ignatij secularis vita, & spiritualis descriptio 46
S. Ignatij vita mutatio, & quis finis 45
Ignatij S. pampertas, 221. zelus honoris Deipare 226
Ignatij S. virtutes & facta 48
B. Ignatij Loiola laus, 22 221. 459
& seq. ex omni causarum genere desumpta, 4. à repugnantibus per subiectionem & praeoccupationem, 59. & seq. eius in Deiparam amor, 225. praclarum dictū de Dei in nos munere & liberalitate, 512. contemplatio, 518. victus abstinentia 524
Ignatius Loiola semper Dei voluntatem sectatus, 459. Christus Romam eunti apparet, ibid. Pōtifici obedientiam vouet & cur ibid. suos docet pendere ex voluntate Dei, 460. dissolutionem societatis aquo animo laturus, ibid. animi pax, 461. Abrahamo, Dauidi, Samueli, Moysi, Noe comparatur, 461. & 462. Fundatoribus Religionum par, 462. gloriā Dei in omnibus quasiuit, 463. 470. Alumni & socij ab eo educati, 464. martyres multi per Ignatiū facti, ibi. Iosue & Paulo in gloria Deo danda confertur, 466. Moysi, Danieli, Iacob, Iudæ Machabæo, similis in gloria Dei quarenda 467
Ignatij ignis amoris persecutione alitur, 473. 474. 475. ardebat in aqua mersus, 474. Miracula eius frequentia, 475. Tituli plures honorarij eius, 477. Canonizatio eius per quos urta, 479. Beatificatio eius facta, ibid. Patientia, 510. humilitas Ignatij, 494. & sequent. cum pampre habitum nobilem mutat, 495. humilitas interior, 497. vana gloria expers, 501. Confessarius triduo ante se mortuus, ac sua mysteria vita sancta revelat, 500

Ignatij S. Charitas in Deū, 512, gloriam Dei maiorem semper quarit, 513. cupit dissolui & esse cum Christo, ibid. Inferni pœnas pati paratus, 515. paratus cum cornibus prodire, ibid. Meretrices à peccato auertit, 516. contemplatur diuina feruenter, ib. Sæpè visus radios emittens, ibid. visiones eius cœlestes, 517. apparitiones, 519. Patria Ignatii, 523 genus & corporis forma, 524. Militia fundamenta sub quo pœnat, 525. Legationes obit in sæculo, ibid. Ducem agit strenuum 526. rudimenta conuersationis, ib. mortificatio eius prima, 527. lacrimæ pœnitentis 528
Ignatii S. pietas in Deum & res omnes sacras, 224. pietas in omnes Catholica religiones principes, 225. in alia 226
Ignatii festa magno apparatu & deuotione celebrata 49
B. Ignatius gloriam diuini nominis zelauit 22
Ignatii nomen infans sibi imponit, 49. eius nomen vbi pueris frequentissimum ibid.
Ignatii miracula aliqua, ibi. Beatificationis eius pompa aliqua, 61
Ignatii S. exercitia pietatis 47
ignis aqua extinguitur, virtus aquis persecutionum alitur, 473
ignis vastat 11
igne non combusti sancti 475
ignis magna portendit 473
imitatio parentum vitia 69. 71
immodestia in templis arguitur, 209
impedimenta profectus in scholasticis 40
Imperatricis defuncta virtus & laus maxima 59
improbissimus & sceleratissimus homo 219. 220
impudicitia exuenda 240
impiissimi hominis flagitia, 76. 77. 105
incitamenta studiorum 27
industria pauperem ad opes euehit 162
indoctus per ironiam exploditur, 95
inferorum pœna peccatori parata, 217
inimicitia peccatoris cum Deo, 241
ingenia magna fert parum aer ac solum 453
iniuria facta adolescenti exprobratur 173
innocentium puerorum cædes, 193
inobediens filius & recalcitrans, 43. 44
insectorum descriptiones 340
intemperatissimus homo 200
intestinorum munera 355
inuidia detestatio 210
inuectiua in peccatorem 108
Ioannis Austriaci mors, & exequiæ in Hispania celebres 249
Ioannis Austriaci bellica virtus, 237
Ioannis Baptistæ laus 170
B. Ioannis Baptistæ prærogatiua & laus, 170. cur lucerna ardens, 471
B. Ioannis Euangelistæ laus ex solis adiunctis 121
Ioannes Ildephonsus, Academicæ iuuentis exemplar 7
Ionas Christi figura 961
Iobi patientia 252
Iosue S. Ignatius confertur 466

Ioſephus patriarcha Chriſti reſurgentis figura 960
Iſabella Anglorum Regina bellum inferendum ſuaſio ex adiunctis, 146
Iuda crimen omnia fere crimina habet 88
Iuda ſcelera 189
Iuda ſcelus & proditio 63
Iuda proditio & traditio narratur 64
Iuda Machabæo confertur Ignatius 467
iumentorum diuerſa genera, 292
iuriſperitia vtilis 116
iuriſperiti virtus & commendatio 132
iuſtitia vnde ſit dicta 258
iuſtitiæ diuinæ ſeueritas 214
iuſtitia & æquitatu amans 128

K.

KEſſel, Pater Soc. Ieſu 519

L.

LAbores Chriſti hominis cauſa ſuſcepti 212
labores ſtudiorum intuitu præmiorum ſuperare 163
lacerta vnde ſic dicta 348
lactuca varij generis 364
Leander ſanctus commendatur, 53
loquearia domuum 398
laterna quid 395
lamia quid ſit 416
latrocinijs locus aptus 71
Laurentij martyris ſancti laus, 251
Laurentij S. martyrium 65
B. Laurentij encomium 351
laus à nobilitate generis, 130. 140 *à corporis bonis*, 131. *à bonis animi*, 131. 140. *à Theologia* 141
laus ex fine petita de nomine Ieſu, 11. *de B. Ignatio*, 22. *ex adiunctis B. Ioannis Euangeliſtæ*, 121 *B. Ermenegildi*, 122. *Cæſaris*, 124. *Prætoris*, 128. *iuriſperiti*, 132. *Medici*, 135. *Theologi*, 139. *Ioannis Baptiſtæ* 170
lecti apparatus 400
Legum, Canonumq; ſcientia commendatur 116
lendis deſcriptio 345
Leonardus Keſſel Colonia videt B. Ignatium apparentem 519
leonis natura & deſcriptio, 276. *voracitas* 277
Leouigildi crudelitas in pium filiũ 81. 82. & 87
Leouigildi Regis in filium crudelitas, impietas 210. 211
Leouigildi vituperatio ex adiunctis 143
leporum deſcriptio multifaria, 279 *venatio* 281
lex quid ſit, 828 *eius vtilitas*, *ibid.*
Licentiatus à Doctore quid differat 486
Licentiatus dignus promotione ſibi data 192
libidinis & ludorum damna 12
librorum deſcriptio 423
liber exercitiorum ſpirit. S. Ignatii 530
libros 300. *ſcripſit Ariſtoteles*, 439. *libri Homeri in pretio ſunt Alexandro regi* 441
lignorum vſus 366
lilii ſpecies venuſta 370
linum quid ſit ex quibus locis conſitum 377
literæ duæ inuentæ, 669. *literarum ſcribendarum forma* 424
locus horridus latronibus aptus, 71

locus

oeus aptus ad vacandum literis, 152
locustarum descriptio 343
ludi gladiatorij cur à Romanis habiti 3
ludi Scenici, & militares dati in Beatificationem S. Ignatij, 491
lumbrici vermes quales 340
lupi descriptio 282
lusus Bacchanaliorum iucundus, 63
Lutheri apostasia, sacrilega nuptia, impietas, haresisq; inchoata, 240. & 241
Lutheri conatus & dogmata sacrilega, 240. scelera 241
lychni unde sic dicti, descriptio, 93. 395
Lycurgus Arithmeticam patria proscripsit, cur 429

M.

Macary pietatu exercitia, 111
Machina bellica apud veteres quales 421. & seq.
Magistratus impij 107
Magnanimitas Ermenegildi, 123. 124
Magorum in Bethleē profectio, 93
mali punici forma 368
Marcellus belli dux honorat Archimedem ob artem 433
Marcellus fregit Hannibalem, 186
B. Marcelli laus fortitudo, patientia, humilitas 199. 200
Maria Virginis encomium 111
Maria Gallia Regina martyrium, 168. martyrij signa prognostica, 177
Maria Regina Scotia virtus, innocentiaq; & martyrium 178
Maria Regina Anglia malè ab Isabella habetur & occiditur, 168
Martyrum SS. laus, 251. 252. martyres cōfractis hydricis Gedeonis similes. ibid. gloria martyrum 253
martyres SS. proponendi fortibus pro patria athletis, 39. & 40
martyres plures ab Ignatio educati, 463
martyrium ob fidem Ermenigildi, 81. 82. 83
martyrum pro fidei defensione cōstantia, 64. in agone latitia, 201
martyrum tormenta magno gaudio tolerata ibid.
materia quid sit 2
materia amplitudo ad dicendum excitat 52. 54. 56
Maxentij tyrannis in Marcellum Papam 199
medicamenta varia 411
medici laus. ibid. instrumenta, 412. 135
medicina studiosus diligens, 137. peritus 138
meditari divina Ignatius suos docuit 530
mendicus abiectissimus 142
mensa descriptio, 382. ornatus, 385
meritu nostru, & Christi beatitudo obtinetur 44
metus ex adiunctis in finem, 154
meum ac tuum Societate à Iesu abest 221
Michael Archangelus 487
misericordiam Dei experti 218
miles unanimis pro fide pugnaturus 90. 91
miles ignavus 9
militis descriptio 415
militaris scientia à gruibus, 324

militaris vita 46
militis arma, 417. & seq. labores 418
millepeda genus insecti & quale, 345
milui descriptio, 326. circa coquinas cur semper volitet, ibid.
misericordia Christi crucifixi in peccatores 213
modestia in templis seruanda, 208 209
modi aliquot in cibis sumendis seruandi 393
moleterina munera 361
morborum varia genera, 407. remedia 411
mors repentina floridi adolescentis 106
mors inopina multis 214
mors pia viri probi, 131. mors mala improbi 143
mors promptè subeunda 190
morituri iuuenu lamentatio, spes & desperatio 68 69
mores edentium 390
Moyses alter Sanct. Ignatius, 462. 467
muli descriptio 283
mulierum officium 401
mulierum vestitus 373. & seq.
mundi huius bona ob cœlestia contemnenda 41
munera reijciens Proprator, 129
murices 422
muscipula descriptio 201.

N.

NArratione vtendum non est in re nota 227
Narratio debet esse breuis, probabilu, iucunda, 236. spectans ad deliberationem duplex ibid.
narrationis exempla, 63. 232. & seq. in genere deliberatiuo, 236 ad pralium nauale, 237. inducit in Lutheri perfidiam & scelera, 240. in equitem Salmaticensem à studiosis occisum 241
Nasorum descriptio 232
Natalia IESV CHRISTI per enumerationem amplificata, 112
nauis descriptio, 404. varia nomina ibid.
necessitas qualis causa efficiens, 24
negligens studiosus 171
negotiatio pes parit 20
B. Nicolai in proximum charitas 493
nidi anium 339
nobilu genere, 130. statura corporu, 131 nobilis virtute ibid.
Noctua natura, 326. cur Minerua sacrata ibid.
Noe alter Ignatius 462
nucu descriptio 369
numeri à Deo hominibus dati, 427. numeris omnibus absolutus homo, 427. numerus anima dicta 428
numeris carens odibilis est 436
numerus arithmeticus quomodo à quibusdam intellectus, 428

O.

OBsecrationis & obtestationis exemplum 217 & 218 occi-

Occisores B. Thomæ Cantuarien-
sis 158
oculi cur alto loco positi 361. cur
pellucidi, ibid.
odium ex adiunctis in peccato Ca-
in, 153. eius affectus, 208
opera sua quisque amat 460
oris descriptio 353
Ortygometra rex coturnicum na-
tura mirabilis 313.337
ostiorum descriptio & partes 397
oui descriptio 338
ouorum discrimen 319
ouium descriptio, 283. quo tem-
pore tondenda 284

P.

PApa factus stabularius ob fidē,
199
Papyrij L. horologium Romæ 403
paralysis quid sit 402
paranymphi oratio ad virum il-
lustrem 446
parentes filijs communiter inde-
lem communicant 70
parentum viua imitatio in filio,
69. degenerans à patre 70.71
partes integrantes quid sint 253
Paschatis tempus latum 962
passeris nomen quale, 327. &
quam latè pateat, ibid.
pater in filium crudelis 101
patris crudelitas in filium pium,
81. 82.
patriæ amor virtuti haud prafe-
rendus 9
patriæ alicuius laus 139
patientia opus est hominibus pijs,
& secularibus 962
patientia & fortitudo 123
patientia ad canonizationem Sā-
ti requiritur 509
patientia S. Ignatij, 510. 512. via
brevis ad perfectionem patien-
tia 513
patiendum cum Christo, vt con-
glorificemur 961.962
patronus vrbis colendus 114
Paulus ante conuersionem qua-
lis, & qualis postea 256
Pauli Apostoli propria nomina:
Vinctus, Doctor gentium: A-
postolus, tuba diuini verbi,
256
Paulo confertur Ignatius 466
B Pauli primi eremita laus, 196
Pauli 3. studium & amor in so-
cietatem & S. Ignatium, 483
Paulus 5. Beatificat S. Ignatium
479. eius in Ignatium studiū,
480. & seq. Pauli 5. soror ornat
templum societatis, 481.482
Pauonis descriptio, 321. olim Iu-
noni sacer, 327. educatio, 329
paupertas mater religionis, 222.
in quo consistat ibid.
paupertas S. Ignatij & societatis
Iesu 221.222
pauperculus ad opes sua industria
euectus 162
pauperum neglectus in fame im-
pius 35
pax suadetur 68
peccata Adami, Dauidis, Luci-
feri, Sodomorum, punita,
109
peccata Deus seuerè punit, ibid.
peccatoris ad Deum conuertendi
motiua 212
peccatorum conuersionis occasio-
nes 181
peccatoris cum Deo hostilitas, 211
status miser 212

peccator per Dei beneficia reuocatur à malo 39
peccatoris reprehensio grauis, 108
peccator bellum contra prauos affectus gerere debet 188
peccatum mortale fugiendum, 44
pectoris humani situs & descriptio, 354
perdices quo pacto capiendæ, 297. & 330. illarum industria, 298
pelicani descriptio 329
perfectio Christiani hominis in voluntate Dei 459
pergula 398
perissereon quid sit 307
peroratio, 468. 477. 495. 508. 522 530
peroratio cum anacephaleosi. 245
pèrorandum fere inuito, nec sine causa graui 19
persecutio Catholicorum in Anglia 36
pestis grauis effectus, 190. promptè acceptanda à Deo ibid.
pestilentia scholas soluit 88
petitio promotionis ad cathedram 115
Pharnax Rex victus à Cæsare, 127
phasianus auis 331
Philippus III. Rex Hispan. scholas inuisit, 231. beneficia eius in societatem Iesu, ibid. virtus, ibid.
Philippus Rex liberalis in exules Angliæ 169
philosophia gnauus studiosus, 137
phœnicis descriptio 332
phreneſis qualis morbus 408
pica quanis auis & cuius naturæ 332
Picauij laus 80
pictores quinam maximè celebres 381. eorum industria & studium 380
pictoria artis eximium opus 31
pietas Æneæ, 224. pietas Romanorum, 225. pietas Metelli & Pompei ibid.
pietatis exercitia quotidiana viri probi 131
piger scholasticus 30
pigritia à ciconijs damnatur 305
piscium descriptio, 393. diuersi generis & nominis, ibid. quomodo inescandi & capiendi 394
pistores quinam dicendi 382
Plato à Dionysio honoratus 442
Plinij libri compendium Aristotelis 444
Psittaci proprietas & vbi nascatur 332
pocula & vasa diuersa 383
pœnitentia agenda ob peccata, 206
B. Polycarpi in fidei defensionem constantia 201
pompa sacra beatificationis S. Ignatij, 482. & 489. 490. & seq.
Pompeius Asiæ victor Athenis inisit scholas 231
Pompeius quanti Possidonium ob doctrinam fecerit 442
Pompei fortuna repente euersa, 42
Pompeius à Cæsare victus 127
Porcellus Troianus 291
Possidonius doctus amatur 442
postulatio 216
Prædonis magni facinora 76
Prætoris laus ex adiunctis 128
Praij clades describuntur 11

præmium literarium non ex gratia dandum 191
præmia labores studiorum subleuant 163
præmia beatorum post hanc vitam 160. 161
prandiorum apparatus 385
precatio contra larvas, lamias, & umbras nocturnas 415
Prodigi filij miseria, & pœnitentia, 156. 157
prodigi filij reprehensio 150
prodigi egestas & miseria, 20. 21
Propratoris laus insignis 128
proprium quid 255
propositio in exordio 62
proscenium quid apud Romanos, 403
Prosopopœia in laudem B. Pauli Eremita 196
pudoris laus 240
pudoris affectus 204
puer malus in schola 30
pulli descriptio, 73. columbini, 308
pyratarum facinora 101
pyrausta similis Ignatius 472

R.

RAtina & *sacrilegia* 77
Raphanus qualis herba 364
Rector magnificus sedat tumultus studiosorum 2449
refutationis exemplificatio 66
Regum trium Sanctorum iter & aduentus in Bethlehem, 93. 94
Religionis cœnobitica amplectendæ motiua 14
Religiosorum pia studia & exercitia ibid.
repetitio maximum enumerationis amplificandæ ornamentum, 87
reprehensionis in confirmatione exemplum 67. & 70
requies moderata corpori danda, 189
Reus furti purgatur 66
Rhetorica quot partes, 73. ex adiunctis cum materia descripta, 160
Rhetorica ad alias artes & facultates necessaria 183
Rhetorica diligens studiosus, 136.
peritus ibid.
Rhetoris officium 13
Rhetorum classis visitatio 112
Rhinocerotis proprietas 285
Riphæi montes igniti 474
Rhombus quale instrumentum, 401
Romanorum potentia, & auxilia ad bellum 148
Romanorum maximus hostis Hannibal 187
Romanorum Imperatorum fortitudo 35
Rosa vbi nascatur & cur Veneri sacra 370

S.

SAgitta 420
Salamandra par Ignatius, 472
Salmaticensis Academiæ laus, 104
Salmaticensis vrbis descriptio, 7
salus hominum Christo fuit cordi, 22
Sanctus laudandus suscipitur, 53
Sapientum auctoritas quanta, 437. 438
Sauli furor & ira in Christianos, 31. 32
Scarabæorum genus & natura quotuplex 343
Schola laudatissima 104

Schola-

Scholastici adolescentis exercitationes laudabiles, 232. & seq.
Scena apparatus theatrica 403
Scientia honores in vita & post confert 442
Scientia Legum & Canonum utilissima 116
Sclopeti quid sint 421
Scutum 420
Sebastiani sancti laus à Poetis & Oratoribus celebrata, 60. beneficia eiusdem in Hispalenses, ibid.
Segetes quomodo crescant 360
Seminaria cur & à quo primùm instituta 464
Serpentis cum Echino pugna, 269
Sidonii inuentores Arithmetica, 425
Silentium in templis seruandum, 209
Simia cur sic dicta, 286. natura qualis, ibid.
Similitudo morum in parente & filio frequens est 70
Similitudinem omnium zelat amor 25.26
Societas mala 80
Societatis Iesu exercitia pietatis, 47
Societatis Iesu exercitationes, 521
Societatis Iesu paupertas superat aliorum paupertatem, 222
Solitaria vita laudatur 197
Solitudinis encomium, 196
Spartum qualis herba 378
Spes desperanti adolescenti reddita 69
Sphinx monstrum forma terribilis 289
Spinus qualis auis 299
Status Alexandri excitat Cæsarē ad magna 124
Stellio insecti generis quid proprie, 348
Stephanus protomartyr 201
Struthio auis bipes & quadrupes, 333
Studia ex spe præmiorum vigent, 17
Studiorum incitamenta 27
Studium diligens in literas, 133. & seqq.
Studiorum profectum qua impediant 40
Studiosus improbus, bonis omnibus exosus, 183
Studiosi noctu grassantes, hominē nobilem occidentes, cum magno tumultu & periculo describuntur 242
Studiosi tumultuantes ob socios in carcerem Prætoris iniectos, 243
Studiosus adolescens primas tenēs in omnibus 74
Suasionis & dissuasionis exempla, 71. 148
Subiectio orationis decus 95
Subulci proprietas 290
Suis descriptio 289
Sulla carnis delicia 291
Supellex Sutoria, 381. victoria, 380
Textoria, 381. Pistoria, 382
Vasorum & poculorum, 383.
Coquinaria 384
Superbia detestatio 205. 501
Sutoris studium 382
Sylla Dictatoris tyrannis 43

T.

Taberna aromataria quid sit, 359. & quibus referta aromatibus, ibid.
Talum

zelum 420
tempestas marina 30
templa honoranda, ac colenda silentio, pietate 209
templorum violatores puniti, ibi.
tentationibus fortiter resistendum 182
tergorum descriptio 356
testudo bellica 422
textoria ars 391
theatri apparatus 403
Theologi studiosi laus
Theologia autor Deus 28
Theologia studium ad quid seruiat, 15. Iurisperitia praferendum ibid
Theologia cur tantopere expetenda, 28. eius laus ab adiunctis, 139
D. Thomæ Aquinatis laus ex causa sponte agente petita 29
D. Thomæ Cantuariensis nefarij occisores 158
thorax coriaceus quid, & ex qua materia confectis 375
Thrasimenus lacus igneus, 474
Thucydidis honor ob eloquentiam 442
Tigridis furor 32
timor pœnarum infernalium habendus 214.215
timoris affectus 203
tipula genus insecti 345
tonsorum ars & instrumenta, 413
tormenta bellica varia, 421.422. & seq.
totum integrum quid sit 252
transfiguratio Christi 158
Trinitatis SS. mysterium Ignatio reuelatur 517
S. Trinitatis mysterium incomprehensibile, 838. obscuritas B. Augustin. quomodo reuelata, ibid.
triremes quid sint 406
triumphus & oratio vt acquisiti, 418. differentia vtriusque, ib.
Turcarum Rex Catholicos omnes opprimere conatur 237
turdi descriptio 334
turtures qua industria capiendi, 309. illorum natura & educatio ibid.
tyrannis patris in filium ob fidem, 81.82.83
Tyrannis in Christianos excogitata ab Agarenis in Hispania, 238

V

VAna gloria expers Ignatius, 501
velorum nauticorum genera, 405
vela nauium pretiosa, 378. vela fori & platearum ibid.
vena sectio 413
venatici canis descriptio, 261, 262.263
venatio leporum quomodo instituenda 288
Veneris hyeroglyphicum, & descriptio 8
verni temporis descriptio 87
vermium descriptiones 340
vesparum descriptio 342
vestium descriptiones 371
vestitus virorum & mulierum, 375
vestitus muliebris qualis, 374. minius arguitur 376
via breuis perfectionis, pati, 513
victoriam qua consequantur, 419

vilu & abiecti hominis ortus, genus, mores praui 142
Vincentij martyris fortitudo, tormenta, &c. 201
Vinclus cognomen S. Pauli proprium 256
vinea qualis machina apud veteres 422
vini vsus & parcitas 389
violarum proprietates 371
virium in dicendo extenuatio, 50. 51. 57
virorum vestitus 373
visitatio classis Rhetorum 112
vita militaris & spiritualis, 46.
vita adolescentis depranata, 74. 80
vita sancta, deuota, auctaq; in eremo 196. 197
vita vana mutatio in piam, 45
vita malè transacta vltima ante mortem deploratio 68
vites graphicè descripta 367
vitia reprimenda 205
vituperatio ex fine cum similibus effectis & causis efficientibus, 11
ex fine multiplici, 12. adolescentis humili loco nati 142
virginitas B. Agnetis à Deo defensa 203
Virtutes Iustitia, Fortitudo, temperantia, prudentia, 247
virtutis laus à genere 247
virtutis species amabilis 4
virtus honoranda 85
virtus & pietas B. Hiacynthi, 37
virtus Imperatricis digna laude, & præmio 59
virtutes inuicem connexæ 505
Vmbilicus quid in corpore humano 356
voluntas Dei completur omnem perfectionem 459
voluntas Dei à Christo perfectè completa ibid.
voluptatibus carnis non indulgendum semper 188
Voluox qualis vermis 396
vulturis natura 339

Z.

ZEuxis pictor egregius. 381.

FINIS.









Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0580
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0583
DFG

is in tabulationem nauium infi-
ualoris, magna ex parte nauibus
us, sine Principibus, sine suo Re-
ditanorum? qui mœror omnium?
ea viderant, & in Africam inci-
tea in Portugalliam, miseranda
mmo silentio redeuntem reuise-
s captiuorum multitudo, horum
antea auroque fulgentium illo-
a, plurimorum in prælio prostra-
rofusus, cadauerum plurimorum
tot Principum, tot Magnatum
Regis Sebastiani miseranda ni-
Inde insedebat in animo classis
ucorum redeuntium fœditas &
, lamentationes Virginum, plo-
Portugallia, motusque vniuersè
m Regis miserandam. Hi propin-
ratres, omnes amissum Regem,
rsionem lugebant. Tragica hæc
itosa, Auditores, quæ necessi-
eiusdem subeundæ mortalibus,
imperium amplissimum in Re-
ommemoremus, si placet, breui-
us admirationis afferat Regis Sa-
meditata nobis in perpetuum es-
m Sebastiani, & à natura ad virtu-
insitam commemorabo. Non
us imbutum, & virtutis præce-
Non ostendam politioribus lit-
Regia dignitas informari solet ad
m politumque: quis est, qui ne-
nper à pueritia Regem incubuisse
ora virtutis documenta dare po-
um sæpius ille per sacram confes-
m per vnum annum, quam alij
ncipes huiusce sæculi? Qui sæ-
tis laude cumulatis egit, quam alij
i eo fuerunt interuallo versati? sæ-
do suspiciendoque sanctissime ca-
ones habuit, quã alij Principes de

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A5 B5 A2 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81078517X/phys_0585
DFG